COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOL. V

O'FERRALL & O'CONNELL

94156

MCMLIV.

94156

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

FLORENTIAE
OPUS SUSCEPERUNT ATQUE ABSOLVERUNT
PER ANNOS 1661-1666

FR. PATER RICHARDUS (BARNABAS O'FERRALL)
LONGFORDENSIS

FR. PATER ROBERTUS (DANIEL O'CONNELL)
DESMONDENSIS

UTERQUE E PROVINCIA HIBERNICA
ORDINIS MIN. CAPUCCINORUM

NUNC PRIMUM E FONTIBUS TOTUM
EDENDUM CURAT

FR. PATER STANISLAUS (JOANNES KAVANAGH)
EIUSDEM ORDINIS ET PROVINCIAE

DUBLINI: ANNO MCMXLIV

PRINTED AT THE WOOD PRINTING WORKS, LTD., STAFFORD STREET, DUBLIN

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

VOLUMEN QUINTUM

ANN. 1652–1666

DUBLINI: MCMXLIV

OIREACHTAS EIREANN
1-SAMH.1944
LEABHARLANN
94156

DUBLIN:
PUBLISHED BY THE STATIONERY OFFICE

To be purchased directly from the
GOVERNMENT PUBLICATIONS SALE OFFICE, 3–4 COLLEGE STREET,
DUBLIN, C.5.
or through any Bookseller.

Price: £2 2s. 0d.

OIREACHTAS EIREANN
Leabharlann

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

SERIES RERUM

VOL. V. PARS I. AN. 1652.

Paragraphus		Pagina
(1)-(36)	Multa de rebus a D. Antonio Mageoghegano hoc anno gestis ex ipsius Relatione citantur. In controversiam vocatus est circa ejus epistolam interceptam .	1
(37)-(38)	Mense Aprili Galvia in hostium potestatem venit. Declaratio a Parlamenti Anglicani Commissariis in Ibernia 18 Martii edita deditioni januam aperuit .	15
(39)-(45)	Commissarii decretum a Parlamento in Anglia 27 Sept. 1650 latum ad Iberniae Catholicos extenderunt. *Articulus Quartus* deditionis a Galviensibus factae. Haeretici fidem publicam fefellerunt. Ante deditam Galviam Clerus in eadem urbe se tenens in duas partes scissus erat	15
(46)-(49)	Impium decretum *Per Commissarios vectigalium publicorum Provinciae Conaciae* contra Clerum latum est Galviae 7 Maii. Pestis Galviae iterum grassata est. Patricius Lynchaeus aliique e Clero Galviensi hoc anno ante deditionem in continentem trajecerunt .	20
(50)-(52)	Mediae Occidentalis Comes aliique Lagenienses 12 Maii turpissimas cum Parlamentariis inierunt conditiones. De qua re scripserunt Doctor Enos et Antonius Mageogheganus	22
(53)-(55)	Lageniae ecclesiastici in loco vernacule *Doire-na-neach* congregati pactum cum Parlamentariis initum censuris prohibuerunt. Pactionis authores a pactis semel contractis non resilierunt. Laghleniensis aliique ecclesiastici Antonii mentem suspectam habuerunt . .	24
(56)-(71)	Antonii consilia parvi facta fuerant. Exercitus Lageniensis reliquiis in Hispaniam transportatis, tota Lagenia pleno haereticorum Anglicorum imperio permissa fuit	26
(72)-(73)	Bellasananum a Clanricardio recens expugnatum hostibus deditum est. Clanricardius, Vicecomes Maioensis, Richardus de Burgo aliique Carolo Cooto se submiserunt. Haec nefanda submissio facta est 12 die Julii, 1652 .	31
(74)	Clanricardius in Galliam, exindeque in suam Angliam se	

Paragraphus		Pagina
	recepit. De ejus proditionibus scripsit Doctor Enos. Richardus de Burgo Angliae Regi adhaesit. Maioensis postea in Ibernia ab haereticis morte multatus est .	32
(75)- (77)	Muscrius Castellum in Comitatu Kierriensi situm ipsa fame cogente hostibus ad mensem Julium dedidit, et in Hispaniam trajecit. In Iberniam remigrans Dubliniae in carcerem conjectus est. Joannes Barrius, egregius Ormonista, glandea plombea perfoditur . .	33
(78)-(93)	Natio Ibernica hoc anno ad deplorabilem statum redacta est. Datur nefarii Parlamenti Actum "*Ex nunciis Anglicanis* 17 *Augusti* 1652 *Londini excusis,*" eo spectans ut magna Nationis pars deleretur .	36
(94)-(98)	Lotharingus suam subveniendi Iberniae voluntatem declaravit acto Bruxellis 14 Aprilis 1652 scripto. Rex Angliae pactis inter Ibernos et Lotharingum celebrandis obicem posuit	42
(99)-(101)	Lotharingus celocem in Iberniam destinavit, quae in Insulam Innisbofinniae ad ineuntem Julium appulit. D. Georgius Cusakus, egregius Ormonista, Insulam moderavit. Cum hoc celoce P. Franciscus Magruarkus in Iberniam remigravit. Attulit secum Breve Pontificium Archiepiscopo Ardmachano 13 Januarii 1652 missum	44
(102)	Institit P. Richardus O Ferallus ut Breve illud reformaretur, quod tamen non successisse liquet .	47
(103)-(110)	P. Franciscus Primati quid Romae et in Belgio cum Lotharingo egerit, retulit. Inita est in quatuor Provinciis nova Confaederatio. "*Declaratio novae Confaederationis Iberniae.*" "*Nomina Officialium qui subscripserunt Declarationi*" . . .	47
(111)-(118)	Nonnulli officialium Lageniensium Parlamento Anglicano se submiserunt. Ultonienses "*Procuratorium et Instructiones ad Episcopum Cluanfertensem*" 25 Julii dederunt	50
(119)-(122)	Ardmachanus Cluanfertensi 26 Julii, et P. Francisco et D. Thadaeo Mac-Egano 7 Augusti epistolas dedit .	52
(123)-(129)	Dantur binae epistolae ad Innocentium X et ad Lotharingum ab Ardmachano aliisque mense Augusto scriptae	54
(130)-(143)	P. Francisco cum Episcopo Cluanfertensi intercessit controversia, de qua Thadaeus Mac-Eganus 9 Sept. et Cluanfertensis 4 Novembris ad Primatem epistolas dederunt	57
(144)-(154)	"*D. Episcopi Cluainfertensis Apologia in P. Franciscum Magruarkium.*"	63
(155)-(157)	Cluanfertensis ad Primatem et Episcopum Kilmorensem, nec non ad Ultoniae duces et proceres litteras 6 Novembris dedit ad causam publicam pertinentes .	67
(158)-(173)	Datur charta Latina a P. Guillelmo de Burgo in Urbem missa: "*Ibernia est recuperabilis mediante Deo suoque Regio Protectore Serenissimo Duce Lotharingiae*" .	68

Paragraphus		Pagina
(174)-(175)	Innisbofinniae Insula Parlamentariis a Cusako fuit dedita. Constat P. Franciscum Magruarkium haud ineptiisse quod Cusacum in suspicionem vocasset .	73
(176)-(178)	Cluanfertensis, P. Francisco excluso, P. Guillelmum de Burgo ad Lotharingum allegavit. Guillelmus Regni causam incassum egit. PP. Patricius O Kearneus et Patricius Hacquettus, Dominicani Iberni, collegio Lovaniensi deturbati sunt	74
(179)	Richardus O Ferallus cum Parlamenti Anglicani Commissariis concordavit	76
(180)-(183)	Episcopus Dunensis Romam profecturus ex Ibernia navigavit, sed inter pugnam navalem obiit die Dominica Palmarum, 1652. Author ejus chartas in P. Richardi O Feralli scriniis repertas Florentia anno 1664 Romam misit	76
(184)-(186)	" *De Martyrio Reverendorum Patrum Bernardi et Laurentii ex O Ferallorum familia, et S. Dominici Religione, natione Ibernorum.*"	79
(187)-(189)	Episcopus Waterfordiensis hoc anno Nannetis mortuus est, cujus epitaphium subjungitur . . .	80

PARS. II. AN. 1653.

(1)-(4)	In medium producitur crudelissimum edictum a Parlamenti Anglicani Commissariis Dubliniae 6 Jan. 1653 latum	85
(5)-(7)	Sequitur frustum edicti Reginae Elizabethae in Anglia anno 1585 lati. Indicantur multae aliae crudelissimae clausulae in eodem statuto sanguinario contentae .	87
(8)-(11)	*Humilis Petitio* Cleri Ormonio et Ormonistis adhaerentis Parlamenti Commissariis praesentata est, sed incassum. Nullis ecclesiasticis in Ibernia remanere licuit .	88
(12)	Hucusque haeresis nunquam triumphum plenum confecit. Edicti 6 Januarii lati executio fuit exactissima. Alii e Clero in continentem exundarunt, alii pro Christo mori cupientes in Ibernia pedem fixerunt . .	90
(13)-(19)	Hoc anno P. Fiacrius Tobinus, Capucinus, exulavit. In Galliam Armoricam appulsus a Superiore licentiam remigrandi in Iberniam petiit, qua obtenta Nannetis Carolopolim 3 Maii 1653 epistolam scripsit. Paulo post in patriam rediit. Circa annum 1656 ab haereticis captus, atrociter tractatus et ad exilium damnatus, ad Kinsaliae portum piissime expiravit . . .	91
(20)-(21)	Richardus O Ferallus Dubliniae in custodiam datus est. In Hispaniam hoc anno navigavit, indeque 12 Junii Archiepiscopo Firmano in Italiam epistolam scripsit. Causam agebat in Aula Madritensi, sed operam lusit .	96
(22)	Castrum *Clochuachterense* mense Aprili Parlamentariis deditum est, Philippo O Rellio cum legione in Hispaniam translato	97

Paragraphus		Pagina
(23)-(25)	Parlamentarii Nationem Ibernicam extirpare, fidemque in Ibernia extinguere cupiebant. Sub Vicecomite Dillono aliisque ducibus ad hujus aestatis finem quinque circiter Ibernorum militum millia ex Ibernia in Hispaniam appulerunt, e quibus non pauci fame et siti enecti perierunt	98
(26)-(27)	Aliae aliquot legiones Ibernicae in Hispanum a Gallo stabant. Jacobus Dillonus Larmonti deditionem procuravit. Frater suus, P. Georgius Dillonus, Franciscanorum Ibernorum Conventum Parisiis inchoavit .	100
(28)-(32)	Indicantur Ibernorum defectiones ab Hispani partibus ad Gallum. Jacobus O Diomasa et bini Feriteri sub Hispano Condaei castra secuti sunt. Datur summa rationum ab Ibernis in Gallia famae vindicandae causa editarum	101
(33)	Hugo O Nellus, Eugenii O Nelli nepos, hoc anno in Belgium, exindeque in Hispaniam navigavit. Ad annum 1660 in Hispania decessit	105
(34)-(36)	Muscrius a Cromuello in Anglis praehensus et in Iberniam missus, Dubliniae in carcerem conjectus est. Demum in Galliam exulavit. Mac-Cartius *fuscus* in custodia Dubliniensi hoc anno squaluit. Demum in Belgium transfretavit. Felix O Nellus Dubliniae hoc vel sequenti anno vitam suspendio finivit	106
(37)-(42)	Complures e Momoniae nobilitate ulterius bellum prosecuti sunt. O Sullevanus Bearrensis hac aestate in Galliam mittitur, ut subsidia procuraret. Ad Archiepiscopum Firmanum Firmum litteras dedit. Rex Angliae ipsi nonnullam rem numariam suppeditavit .	107
(43)-(49)	Datur charta Summo Pontifici per Episcopum Cluanmacnosiensem et Bernardum O Neill praesentata. Hi legati Romae suppetias non obtinuerunt . .	110
(50)	P. Joannes Poncius Relationem ab Episcopo Fernensi scriptam typis mandandam curavit. Fuit calamorum digladiatio inter Poncium et Bellingum . .	113
(51)-(77)	Fernensis Parisiis operam dedit ut difficultates circa Collegium Ibernorum componeret, sed oleum et operam perdidit. In Italiam perrexit, sed ad Suae Sanctitatis audientiam admissus non fuit. "*Modesta defensio Reverendissimi D. Nicolai, Episcopi Fernensis,*" in medium producitur	114
(78)-(122)	Prima hujus Apologiae capita annotationibus illustrantur. Sequitur charta in Fernensem Suae Sanctitati hoc anno porrecta. Fernensis S. Congregationi chartam obtulit continens "*Rationes ob quas erit brevi in Ibernia magna Pastorum inopia.*" Obtulit etiam chartam Pontifici praesentandam. Roma discessurus P. Richardo O Ferallo 5 Junii literulas scripsit . . .	129
(123)-(126)	Episcopus Duacensis, Archiepiscopi Tuamensis frater, Londini delitescens, 17 Novembris hoc anno epistolam	

Paragraphus		Pagina
	apologeticam ad Massarium scripsit, qui Roma 29 Decembris 1653 responsum dedit . . .	145
(127)-(140)	Habetur decretum quo Innocentius X Jansenismum ipsissimis Ibernorum propositionibus hoc anno damnavit	147
(141)-(143)	Duo Carmelitae discalceati Iberni, qui in Nuncium ejusque censuras rebellarunt, in Italia capti, damnati sunt .	150
(144)-(157)	Ad hunc annum Richardus O Conaldus, episcopus Ardfeartensis, decessit. Nuncii partibus constantissime adhaesit. A Gubernatore haeretico captus, in custodiam datus est. Ejus fratres et sorores fuerunt singulari in Deum pietate commendabiles. Mauritius, nepos, nobilissimi martyrii genere vitam finivit . .	151
(158)	R. P. Francisci O Sullevani, Franciscani, memoria ab oblivionis injuria vindicatur. Ad hujus anni initium ab haereticis martyrio affectus est . . .	157
(159)-(170)	P. Joannes Datonus, Franciscanus, Fr. Joannes Verdunus Capucinus, et duae moniales hoc anno die 2 Augusti Kilkenniae ab haereticis capti sunt. P. Datonus 5 Augusti martyrio vitam finivit. Moniales in Hispaniam exulandi facultatem impetrarunt. Fr. Joannes reliquos hujus anni menses in carcere squaluit . .	158
(171)-(174)	R. P. Thadaeus Mac-Moriartius, Dominicanus, 18 Octobris martyrium passus est. Haeretici Anglicani Petrum Feriterum, poetam utraque lingua, praesertim Ibernica, insignem, Killarniae laqueo sustulerunt . .	163
(175)-(182)	Archiepiscopus Firmanus Firmo Romam ad P. Richardum O Ferallum anno 1650 et 19 Januarii 1651 epistolas scripsit de rerum Ibernicarum historia contexenda. Postea ad eum 8 Maii 1651 notulam librorum transmisit. Firmanus morbis laborare caepit, qui historiae componendae obicem posuerunt. Idibus Decembris 1653 mortuus est	165
(183)-(184)	Firmani epitaphium sequitur. Sepultus est Firmi in ecclesia Cathedrali, praelatus totius aeternitatis encomio dignissimus	166

PARS III. AN. 1654.

(1)-(3)	O Sullevanus Bearrensis in Gallia Armorica pedem fixit. Exercitus Catholicus in Comitatuum Corcagiensis et Kierriensis montibus cum Anglis decertarunt. Copiae Catholicae in Daririae Insula arma posuere ea lege ut ipsis in Belgium navigare liceret. Edmundus Duir anno 1653 ex Belgio in Iberniam remigravit ad milites Ibernicos transvehendos	171
(4)-(5)	Militum distributio inter varios ejusdem nationis chiliarchos ipsis Ibernis multam inter se contestandi occasionem praebuit. Ibernia a funesto illo tredecim annorum bello conquievit. Restabant tamen aliquot	

Paragraphus		Pagina
	militum Catholicorum quod vulgus *pueros desides* nominaverat. Ex quibus specialem meretur mentionem Daniel O Kifus	172
(6)-(8)	Hanc demum Catholicorum Iberniae Confaederatio funestam habuit periodum. Tristis erat post deditionem rerum facies. Pestem et gladium excepit fames. Vix sexta nationis pars hoc anno 1654 superstes fuit, et hac ipsa parte quinquaginta nostratium millia hoc anno in exilium transportabantur. Magna Insulae pars innocentium sanguine a Cromuellistis fuit cruentata	174
(9)-(12)	Decrevit crudelissimus Cromuellus ut agrorum possessores, proceres, nobiles, aliique in Conaciam mense Maio transplantarentur. Datur epistola P. Petri Talbotti circa hanc rem Antuerpia 3 Julii 1654 scripta .	177
(13)-(27)	Ab immanissimo tyranno, Cromuello, immensa fuere imperata tributa. De rabie et mala fide Cromuelli et Anglorum aliquot exempla memoriae prodit Joannes Lynchaeus in libro cui titulus *Cambrensis Eversus* .	180
(28)-(40)	P. Matthaeus O Fogorta, Capucinus, 15 Aprilis 1654 ab haereticis captus, Clonmelliae in carcerem detruditur. Ipse et P. Guillelmus Tirraeus, Augustinianus, una ad judices tracti, mox patibuli condemnantur. P. Guillelmus martyrium pertulit 22 Aprilis 1654 stylo Romano	190
(41)-(46)	Matthaeus in ergastulo delituit menses tres. Mortis sententia exilio mitigatus est. Clonmellia Waterfordiam translatus, Fr. Joannem Verdunum, Capucinum, in carcere offendit. Ambo Capucini in Galliam navigarunt, 14 Augusti 1654 Rupellam appulsi, ex quo loco ad Conventum Carolopolitanum transierunt . .	197
(47)-(53)	Exules Iberni magna apud Galliam humanitate cumulabantur. Nec minorem Regis Catholicae et nationis Hispanicae experti sunt pietatem et humanitatem. Specialem merentur mentionem collata in Capucinos Ibernos a Rege Galliae beneficia. Datur diploma Ludovici XIV mense Julio 1654 ipsis concessa .	199
(54)	Cromuello cum Hispano bene, et cum Gallo male convenit. Cum Hispani exercitus ad Attrebatum profligatus esset, Cromuellus proficiendi in Gallia spem abjecit, adeoque non trajecit	203
(55)-(57)	Tres legiones Ibernicae Gallo militarunt et praeclare se gesserunt. Variae legiones Ibernicae Hispano militarunt, quorum magna pars ante pugnam defecerunt, sperantes ut tandem aliquando in patriam Insulam remigrarent. Philippus O Rellius mille circiter Ibernos in Belgium appulit, ubi sub Hispano meruit . . .	204
(58)-(59)	Lotharingiae Duce ab Hispano in custodiam dato, multae legiones Ibernicae in ejus phalangem insertae in Franciam transierunt. Georgius Cusacus in Belgium rediit. Alii legiones Galli castra sequebantur .	206

Paragraphus		Pagina
(60)-(63)	Rapotensis, Cluanfertensis et Patricius Hugonius in Belgio exules circa Censuras Romam miserunt libellum supplicem 25 Aprilis 1654, quem hic legas. Miserunt etiam ad Massarium relationem a Nicolao Halpino scriptam. Massarius nec libellum supplicem nec relationem Cardinalibus praesentavit . . .	207
(64)	Halpinus Romam literis annunciavit Patricium Crellium Cromuelli fuisse exploratorem. Traditum est Crellium a fide lapsum in mortis articulo haeresim abjurasse. Circa annum 1658 expiravit	209
(65)-(72)	*Scoti montani* in Scotiae montes se receperunt, indeque in Anglos interdum eruperunt. Horum ut origo sic et lingua Ibernica est. Missionarii Iberni in Scotia rei Catholicae progressum fecerunt. Datur *Relatio Missionis Scoticae* mense Aprili 1654 scripta	210
(73)-(74)	Hoc anno 5 Aprilis Episcopus Limericensis Bruxellis expiravit. Nuncii Censuras velut invalidas usque ad mortem improbavit. Superstites Ormonistae se ab eo authoritatem derivasse jactarunt in suae causae defensionem	214
(75)-(93)	Die 5 Maii 1654 Compostellae diem obiit Archiepiscopus Cassiliensis. Sequitur ejus elogium et epitaphium ex libello Antuerpiae ad annum 1655 typis mandato .	216
(94)-(96)	Cassiliensis a Nuncio semper stetit. Liquet ex ejus epistola 30 Novembris 1653 scripta quam timoratae conscientiae fuerit. P. Guillelmus Salingerus in suo Antistitis elogio suam in Nuncium malignitatem prodidit	229
(97)	Joannes Mac-Ceallachanus sub ementito *Philopatri Irenaei* nomine librum famosum in Nuncium anno 1650 in lucem edidit. Pauculis mensibus post ejus mortem liber Romae a Sacra Indicis Congregatione decreto 10 Junii 1654 subscripto prohibitus est . .	232

PARS IV. ANN. 1655–1666.

(1)-(4)	Innocentio X 7 Januarii 1655 mortuo, Alexander VII 7 Aprilis successit. Nostratium spes obtinendi subsidia hoc anno nata ad nihilum recidit. Subduntur binae epistolae a duobus Capucinis ex Ibernia 18 Julii et 10 Octobris 1655 scriptae, ex quibus constat quam lugubris illis diebus fuerit Catholicorum et praeter alios Cleri in Ibernia conditio	237
(5)	Consectaneum est Iberniae Primatem ad annum 1655 vel paulo ante decessisse	241
(6)-(8)	Fr. Joannes Dundalkensis, Capucinus, 15 Martii 1655 vitam sanctam sancte finivit. P Matthaeus Tiperariensis in Iberniam regressurus, Nannetis 9 Octobris	

Paragraphus		Pagina
	eodem anno pie expiravit. Paulo ante ejus mortem Angli plures Ibernos invitos in navim importarunt, in exilium deportandos. Post aliquot dies Iberni, Anglis in vincula datis, navim in Galliam detorserunt. Iberni Brestam municipium magna ex parte Ibernicum effecerunt	241
(9)	Antonius Mageoghegganus mense Junio 1653 ex Ibernia navigavit, de quo dantur epistolae Lovanio Romam hoc anno ad P. Richardum O Ferallum, Capucinum, a Nicolao Halpennio et Doctore Enos scriptae .	243
(10)-(14)	Nostrates in varias abierunt sententias circa modum quo cum novo Pontifice agendum esset de Censuris anno 1648 fulminatis. Cluanmacnosiensis Pontificem rogavit ut absolutionem generalem concederet, sed 27 Augusti 1655 Breve hic datum exiit	244
(15)-(24)	Transmissum est hoc Breve ad Rapotensem, Laghleniensem, Cluanfertensem et Corcagiensem, patria exules. In Belgio typis mandatum est cum praeludio in textu habito. Examinantur Breve et praeludium	247
(25)	Archiepiscopus Cassiliensis, qui a Nuncio semper steterat, ante obtentum hoc Breve decesserat . . .	253
(26)-(27)	Clerus populusque Britanniae Gallicanae exules nostrates omni humanitatis officio cumularunt. Quatuor Praelati Iberni P. Oliverum Walshaeum in Urbem destinarunt ut a novo Pontifice toti Ormonistarum factioni absolutionem generalem procuraret . . .	254
(28)-(47)	Datur libellus supplex Romae Ormonistarum nomine praesentatus, a vero haud mediocriter aberrans .	255
(48)-(56)	P. Richardus O Ferallus hujus libelli exemplar obtinuit. Non nemo anno 1656 libellum refutavit. De hoc libello et de quatuor Praelatis Massarius Summi Pontificis jussu succintam censuram protulit . . .	262
(57)-(68)	Alia quoque P. Oliverus Walshaeus in Urbe procurabat. Sua Sanctitas ejus chartam ad binos Cardinales nec non ad Massarium remisit. Dantur eorum responsiones	265
(69)-(82)	Sequitur totius controversiae compendium a P. Richardo O Ferallo Summo Pontifici Romae 11 Junii 1657 datum	268
(83)	Massarius S. Congregationis Propagandae Fidei secretarium exuit	277
(84)-(88)	Ex quatuor Praelatis, a quibus Walshaeus Romam missus erat, Fernensis in Hispaniam ab aliis tribus secessit; Tuamensis et Aladensis a Censuris absoluti sunt. Traditum etiam est Finiborensem absolutionem obtinuisse. Unde Walshaei conatus ad nihilum reciderunt	277
(89)-(91)	Errores de eventibus Ibernicis Romae divulgati effecerunt ut Ormonistarum causa longe pejor ibi habita est. Verum Nuncii causae aequitas et veritas satis superque suffecerat ipsa sibi	281
(92)	In libellum adversus Nuncii Censuras Romam missum	

Paragraphus		Pagina
	tres Relationes compositae sunt. P. Richardus tertiam propria manu scriptam Albritio, S. Cong. Propagandae Fidei secretario, 5 Martii 1658 tradidit . .	283
(93)	D. Walterus Enos praefatum libellum supplicem Latine refutavit. Massarius hujus belli Ibernici historiam Italice composuit	285
(94)	D. Joannes Creaghus, qui anno 1649 a Censuris steterat, sub Alexandro VII Ormonistis apud Urbem favit. P. Richardus operam dedit ut non Creaghus sed Massarius res Ibernicas in Urbe procuraret . . .	285
(95)-(97)	P. Richardus O Ferallus apinas tricasque Ibernicas et Romanas pertaesus, suapte sponte Florentiam secessit	286
(98)-(99)	P. Richardi Relatio 5 Martii 1658 Albritio tradita ad Ormonistas transmissa est, gravissimamque in P. Richardum procellam concitavit. Card. Albitius litteris Roma 9 Augusti 1659 scriptis P. Richardum defendit	288
(100)-(113)	D. Oliverus Plunkettus literis 14 Junii 1659 scriptis apud P. Procuratorem Generalem de P. Richardo O Ferallo graviter conquestus est. Olivero P. Richardus Florentia 12 Julii suas rationes significavit. Datur P. Richardi epistola hac de re ad Procuratorem Generalem Florentia 19 Octobris scripta. Oliverus protestatus est se ambire P. Richardi amicitiam. Episcopus Corcagiensis Nannetis hoc anno expiravit	289
(114)	Constat Ardaghadensem in induciarum et censurarum controversia Ormonistis in Nuncium coaluisse .	296
(115)-(120)	P. Richardus, ut sibi Relationis exemplar concederetur, Albritio 29 Novembris 1659 et Summo Pontifici 13 Septembris 1660 epistolas scripsit, ad quas nullam responsionem recepit	296
(121)	Nonnulli Capucini Iberni in P. Richardi Relationem insurrexerunt. Mense Maio 1662 ad Card. Farnesium recursum habuit, qui ei non respondit . .	301
(122)-(140)	Philippus O Rellius et Moriartus O Brien litteras in Urbem 1 Maii 1656 scripserunt ad subsidia procuranda, unaque miserunt "*Instructiones pro Reverendissimo Cluanmacnosiensi et reliquis*," qui tamen illa subsidia non obtinuerunt	302
(141)	Episcopus Cluanmacnosiensis ad diaecesim Midiensem translatus, in Iberniam rediit. Quem secutus est novus Iberniae Primas, Edmundus O Rellius. Eodem tempore Episcopus Rapotensis pie vitam finivit. Ad mensem Januarium, 1658, R. P. Joannes MacColganus decessit	306
(142)-(146)	Laghleniensis Romam ad P. Richardum Madrito 28 Octobris 1653 et Portividea 12 Novembris 1656 epistolas scripsit. Rogavit P. Richardum ut Romae suas vices obiret. Sacra Congregatio 29 Sept. 1657 ad Laghleniensem epistolam misit, qui circa idem tempus in Hispania diem obiit	306

Paragraphus		Pagina
(147)	Ad annum 1657 plures Romae instituti sunt diaecesarum Ibernicarum Vicarii Apostolici . . .	310
(148)-(149)	Ludovicus XIV Sedani primum lapidem Conventus Capucinorum Ibernorum posuit, quod testatur per instrumentum manu Episcopi 21 Augusti 1657 munitum	310
(150)-(157)	Fr. Bernardinus O Ferallus, Capucinus, anno 1658 in Iberniam remigravit. In Galliam reversus Relationem inde in Urbem direxit	310
(158)-(160)	Cromuellus cum Gallo in Hispanum belli societatem coivit. Angliae Rex et Dux Eboracensis in Belgium perrexerunt. Multae etiam legiones Ibernicae in Belgium transierunt, quarum duae specialem merentur mentionem	313
(161)-(162)	Jacobus Darcius, Insequinnius et Jacobus Prestonus cum suis legionibus castra Gallicana secuti sunt. Fatendum est exulum Ibernorum multis Galliam, Hispaniam, aliasque regiones Catholicas magna charitate, dum exularent, subvenisse . . .	316
(163)-(165)	Anglus in Belgio didicit Ibernorum prae Anglis et Scotis fidelitatem. Expectabat Rex occasionem congruam qua in Angliam trajiceret. Datur "*Oliveri Cromuelli Britanniae Protectoris Epitaphium*" . . .	317
(166)-(167)	Cromuello mortuo, Richardus Cromuellus in patris locum suffectus est. Lambertus, Fleetwoodus, aliique pauci duces militares totum Regimen per vim usurparunt. Munkus rerum potitus est et Parlamentum convocavit	319
(168)-(170)	Contractis inter Gallum et Hispanum induciis, de nuptiis inter Gallum et Hispani filiam agebatur. Tota tunc Europa parum dubitabat quin Anglus fidem Catholicam professurus erat. Ejus subditi rebelles statuerunt ut Rex in Angliam revocaretur. Mense Junio 1660 Londinum processit	320
(171)-(174)	Multi qui necis Caroli primi rei fuerunt, ultimo supplicio affecti sunt. Rex decrevit quae Catholicorum Iberniae ruinam augere videbantur. Quibus in Gallia auditis, Ludovicus XIV epistolam Carolo II 7 Sept. 1660 scripsit. Eventus probat Anglum pacem Iberniae Catholicis non praestitisse	321
(175)-(176)	Angliae rebelles allegarunt ad Regem Commissarios cum ipso acturi de certis conditionibus in Catholicorum ruinam tendentibus quibus admitteretur. Eorum duo Bruxellis in Capucinorum Conventu cum Rege per plures dies egerunt. Brohillus et Cootus cum praecipuis colluvionis Anglicanae sicariis Dubliniae deliberarunt	323
(177)-(178)	Forbesius et Foschius ad Regem, et Clotworthius in Angliam mittuntur. Universi per Iberniam carceres repleti sunt Catholicis. Rex in Angliam regressus edicto contra Iberniae Catholicos manum apposuit . .	325
(179)-(182)	Habetur circa has tragaediae partes epistola Londino 7 Sept. 1660 scripta.	326

Paragraphus		Pagina
(183)	Brohillus, Cootus et Clotworthius titulos obtinuerunt. .	328
(184)-(226)	Oreriensis, Clotworthius et Mervinus crudelissimum Actum circa Iberniam cuderunt cui Rex demum subscripsit: *"Gratiosa Suae Majestatis declaratio,"* 30 Nov. 1660 data	328
(227)-(240)	Quaedam circa crudelissimam illam Regis declarationem notantur, Rex suo commodo tractus in Catholicorum ruinam consenserat. *"Quid sit Innocens Papista in Ibernia censendus, declarat Angliae Rex"* . .	352
(241)	Mandavit Rex ut soli suae declarationi circa Iberniam 30 Nov. 1660 datae insisteretur. Multi viri nobiles pene ad mortem contabuerunt	360
(242)-(243)	Ad belli initium sectarii in Carolum I insurrexerunt, solis Protestantibus cum Catholicis a Rege stantibus. Rex, domum regressus, sectam Protestanticam in throno collocavit, atque, *Ecclesiae Caput*, praelatos Protestantes in suis Regnis multiplicavit	361
(244)-(249)	Haeretici Anglicani in Ibernia positi saepe sectas mutarunt. Rex sectariis clandestinorum conventiculorum frequentationem interdixit. Hoc edictum Iberniae Justitiarii 22 Jan. 1661 reformarunt, insertis etiam Catholicis. Graviora tormenta Catholicis infligebantur	362
(250)-(275)	Eodem anno 1661 convocatum est Dubliniae *Parlamentum Rusticorum*, ad cujus exordium Mauritius Eustacius, Cancellarius, orationem 18 Maii habuit in textu legendam cum annotationibus	366
(276)-(282)	Quam grave fuerit Catholicorum Iberniae jugum conjectari potest ex Acto Dubliniae 10 Dec. 1661 lato. Nonnulla circa hoc edictum dicuntur. Observandum est quam iniquum in Iberniae Catholicos fuerit illius Cromuellistarum pseudo-Parlamentum Dubliniense . .	373
(283)-(289)	*"Serenissimae Regis Majestati humilis Remonstratio, Agnitio, Protestatio, et Supplicatio Cleri Iberniae Romano-Catholici,"* Londini se tenentis praesentata	378
(290)-(293)	Laghleniensis de P. Petro Walshaeo ad P. Richardum O Ferallum in Urbem 12 Nov. 1656 scripsit. Reliqui e Clero Ibernico atque alii in varias Europae plagas dispersi Protestationi praefatae non subscripserunt. *"Judicium Facultatis Theologicae Lovaniensis super eadem formula,"* 29 Dec. 1662 datum . .	381
(294)-(317)	*Protestatio* etiam Romae displicuit. P. Petrus librum Anglicanum Londini in lucem edidit. *"Quaedam Propositiones excerptae ex libro Anglicano P. Petri Walsh."* Carolo II congratulatus est epistola Anglicana authoris impietatem multis modis spirante . .	384
(318)-(333)	Praefatae Protestationi subscripsit P. Raymundus Carronus. *"Extracta ex Libro Fr. Raymundi Carroni, Londini nuper edito, cui titulus Loyalty asserted"* .	388
(334)	Walshaeus et Carronus Londini tunc tuti Sedis Apostolicae fulminationes susque deque habuisse videntur.	

Paragraphus		Pagina
	Walshaeus nusquam ullum unquam paenitentiae signum prae se tulisse reperitur	390
(335)-(357)	Archiepiscopus Ardmachanus suae Provinciae Synodum in 15 Oct. 1660 indixit. Dantur Acta Synodi apud Clunilih in parochia de Killeo diaecesis Ardaghadensis habitae	390
(358)-(366)	Primas Ardmachanus a malevolis accusatus ex Ibernia Romam revocatus est. Provinciae Clerus eum Suae Sanctitati purgarunt, libello 31 Dec. 1660 Romam misso. Ad annum 1665 ex Urbe recessit	396
(367)-(389)	Mense Martio 1662 quidam P. Carmelita Discalceatus, natione Ibernus, Romam profectus, cuidam Cardinali Relationem tradidit	398
(390)-(391)	Ormonius eodem anno 1662 ex Anglia in Iberniam Prorex remigravit, sub quo persecutio multum deferbuit. Ejus fautores asseverarunt cum anno 1647 rebus Regiis prospexisse	406
(392)	Ibernorum, praesertim qui Nuncio adhaeserant, non pauci foris miseria contabescere quam sub Rege et Ormonio redire maluerunt. Cootus et Eustacius haud ita diu post impias animas efflarunt	407
(393)-(394)	Insequinnius castra Gallicana secutus ad fidem Catholicam conversus est. A pyratis captus, ad P. Goaghum 20 Feb. 1660 litteras dedit. In Angliam reversus suum patrimonium recuperavit	408
(395)	Muscrius ab Anglo tunc in Flandria se tenente Clanricartiae Comes salutatus est. Ad annum 1660 Londinum invitatus, patrimonia recuperavit . . .	410
(396)	David Rochaeus, inclyta matre martyrio coronata, in Flandriam exulavit, ubi omnibus eximium Christianae probitatis exemplum praebuit. Castelli-Conaldi Baro et Mac-Cartius *fuscus* in Flandriam pariter exularunt. Qui omnes postliminio restituti sunt . .	411
(397)-(398)	Vicecomes Taaffus Regi et Ormonio adhaesit. Vicecomitis Dilloni uxor a germano fratre, P. Eduardo Whitaeo, Capucino Iberno, Bruxellis ad fidem Catholicam conversa est	412
(399)	Iberniae perutile fuit quod nostratium plurimi aliquot annos exularint. Qui domi permanserant ex hostium nequitia magnum fructum collegerunt. Legiones Ibernicae in Belgio magna ex parte in Iberniam remigrarunt	412
(400)-(401)	Richardus O Ferallus ex Hispania Romam se recepit. Roma Viennam se contulit, exindeque P. Richardo O Ferallo, Capucino, Florentiam 2 Aprilis 1661 scripsit. O Sullevanus Bearrensis in Hispania ad annum 1660 decessit, pauloque post ibidem obiit Hugo O Nellus .	413
(402)-(403)	Mac-Cartius Magnus ab oblivionis injuria vindicatur. Ubi Iberniam a Cromuello subactam vidisset, in Hispaniam navigavit. Multi ex nostratibus in patriam	

Paragraphus		Pagina
	remigrarunt, Ibernicam obliti et linguam callentes earum nationum quas frequentaverant . .	414
(404)-(405)	Mac-Cartius anno 1660 Carolopolim se recepit. In Flandriam descendit, ibique anno 1661 decessit. Scribit author se esse parentibus natum illius Mac-Cartii Magni domus clientibus ab aevo haereditariis . .	415
(406)-(407)	Marchio Antrimiae Dubliniae in custodiam datus est. Walterus Donganus et Sherlocus in bello Hispanico praeclare se gesserunt, Waltero demum in Hispania defuncto	418
(408)-(428)	Ad ultimum subnectitur relatio de P. Richardi O Feralli vita et de rebus ab eo gestis in Ibernia, Romae et Florentiae. In Capucinorum Conventu Ugomontano ad Florentiam sito die 13 Augusti 1663 pie decessit	418
(429)	Dionysius Massarius Firmi 30 Julii 1664 decessit .	432
(430)	Anno 1664 editus fuit in lucem apud Galliam libellus famosissimus hoc titulo *Alithinologia* in Relationem a P. Richardo ad annum 1658 Romae porrectam .	432

PARS V. RELATIO NUNCIATURAE.

(1)-(2)	Inter Iberniae Catholicos duae semper regnarunt contrariae factiones. Majori virium Catholicarum parti imperabant Eugenius O Nellus et Thomas Prestonus. Anno 1641 Catholici foedus inter se coierunt. Indicantur recentiorum Ibernorum suspiciones . . .	435
(3)-(4)	Rex Angliae Ormoniae Marchionem in Proregem ascivit, ut Ibernos inter se divideret. Concilium Supremum pacem cum Rege et Protestantibus contraxit, contra P. Scarampi consilium. In Iberniam destinatus est Rinuccini cum Nuncii extraordinarii titulo . .	437
(5)-(7)	Iberni veteres Nuncium reverebantur velut Dei ministrum, et alii ut Principis Thesaurarium. In Ibernia invenit res spirituales in optimo statu, sed in rebus militaribus detexit deceptationes	439
(8)-(11)	Inter O Nellum et Prestonum divisa sunt subsidia. Secuta est victoria Benborbiensis, Nuncius Synodum Waterfordiam convocavit ad pacem examinandam. Omnes pacem esse iniquam judicarunt. Tres deliberationes Clerum sollicitum tenebant	442
(12)-(17)	Tunc jacta sunt fundamenta illius conjurationis quae usque ad Nuncii ex Ibernia discessum duravit. Congregatio ecclesiastica Kilkenniae in duas maximi momenti sententias ivit. Frustrata est expeditio Dubliniensis et sic triumphavit factio Ormonica. Scribit Nuncius de Fernensi et Plunketto . .	448
(18)-(22)	Anno 1647 Ormonius Anglis Dubliniam permisit et in Angliam navigavit. Confaederati in duobus praeliis pro-	

Paragraphus		Pagina
	fligati sunt. Insequinniae Baro cepit insultu Cassiliam. Alexander Mac-Donaldus 13 Nov. 1647 in praelio occubuit	456
(23)-(26)	Comitia Generalia ultimam Confaederationis ruinam perfecerunt. Legati Romam et in Galliam missi sunt. Nuncius totam aestatem in visitandis civitatibus Catholicis collocaverat. Massarius Roma regressus Duncananiam 12 Martii 1648 appulit. Nuncius Kilkenniam remigravit et Episcopos convocavit . .	462
(27)-(30)	Ormonistae tria concluserunt. Nuncius saluti suae consulens, Kilkenniam reliquit et Mariamburgum fugit. Die 27 Maii 1648 excommunicationem et Interdictum publicavit. Septemdecim Episcopi pro Censuris fecerunt, sed octo se alienarunt . . .	466
(31)-(32)	Nuncius Atloniam, exindeque Galviam perrexit. Consiliarii in D. Decanum manus iniecerunt. Narrantur huius aestatis expeditiones bellicae . . .	472
(33)-(34)	Nuncius Galviae commorabatur. Marchio Ormoniae in aestuario Corcagiensi appulit. Nuncius dedit mandata in discessionem. S. Petri celox in portum Galviensem pervenit	475
(35)-(36)	Ormonius jam Proregem gerens cum applausu Kilkenniam intravit, et Catholicorum confaederationem dissolutam declaravit. Nuncius suae Nunciaturae exercitium haeretici Regimen pati non posse declaravit. Inter comitantis populi planctus ad navim conductus est, et septem diebus trajecit in Galliam . .	478
	Emendationes in hac Relatione faciendae . .	480
	Epilogus	483
	Appendix	485

Leabharlann Éireann

De haeresis Anglicanae in Iberniam intrusione et progressu, et de Bello Catholico ad annum 1641 caepto, exindeque per aliquot annos gesto

COMMENTARIUS

[VOL. V.—PARS I.—AN. 1652].

In Nomine Sanctissimae Trinitatis
incipit Annus 1652.

(1) Multa ad annum superiorem de D. Antonii Mageoghegani in Regnum reditu, mente, et conatu ad eam mentem exequendam adhibito diximus. Jam restat ut alia hoc anno ab ipso in eundem finem gesta prosequamur ex ipsius Relatione saepius memorata. Itaque cum ejus industria eo magnam partem tenderet, ut Iberniae Catholici, excusso Proregis tanquam iniqui jugo, solius fidei et patriae causa faedus inter se percuterent, et sub Lotharingo suppetias suppeditaturo militarent, operam semper dedit ut sua consilia iis quidem, quos consensuros, cooperaturos, et secretum usque ad congruam rei palam praestandae occasionem observaturos existimaret, aperirentur, alios vero aliter affectos et obviaturos celarentur. Hinc via ad scopum attingendum apud Lageniam et Ultoniam anno praeterito (sicut vidimus) strata, hoc anno summam operi manum impositurus in Conaciam interiorem se recepit et Galviam perrexit, ibi Comitiis Generalibus a Clanricardio celebrandis interfuturus, atque operi colophonem additurus. Comitabatur Antonium P. Thomas Makiernanus, Franciscanorum strictioris observantiae Exprovincialis, ejus in negotio

prosequendo collega. Qui ambo Archiepiscopo Tuamensi, ejusque fratre Episcopo Duacensi, nec non Episcopo Dunensi
2251 in loco qui *Maiour* vocatur, 2° Januarii | 1652 repertis, duos
v primos, tanquam suspectos totum celarunt, sed tertio sub secreti sigillo communicarunt, deindeque 9° Januarii Episcopum Cluanfertensem apud Rossam, 14 circiter milliaria Galvia distantem, eorundem arcanorum conscium effecerunt. Exinde Galviam profecti sunt; ubi biduo cum commorati essent, nec Clanricardium ibidem tunc haerentem interea convenissent, hic ad eos D. Patricium Brianum sibi a consiliis misit. Qui dixit mirari Proregem quod (sicut audiverat) negotia publica tractarent, nec se omnium primum adiissent. Quare 13° Januarii Proregem convenerunt, et sciscitanti narrarunt quomodo exercitus Catholicus esset fortis, tripartitus, et ad bellandum paratus. Quaerenti autem cur Midiae Occidentalis Comes sibi de rerum statu non significarit, responderunt Joannem Fitz-Patricium ad solvendam Galviae obsidionem (nam haec expeditio in motu erat) ante alios esse idoneum, rogaruntque ut cum suis viribus eo fine ex Lagenia in Conaciam advocaretur. De qua re Prorex se cogitaturum dixit, et die postera litteras ad Joannem, quo tum ex suis, tum ex aliorum copiis tria militum millia in eum finem aggregaret, dandas scripsit. Quas tamen mittendas tradere noluit, plura prius resciturus ex Midiae Occidentalis Comite, atque aliis Galviam ad Comitia propediem accessuris. Verum Comite, Episcopo Dromorensi, Jacobo Barnevallo, atque aliis Galviam ex una tantum parte obsessam appulsis, rumor in urbe illa sparsus
2252 tulit nec | aliarum Provinciarum vires, nec Lotharingum Galviae subsidio futurum, sed bonas a Parlamento Anglicano dandas conditiones. Qua fama factum ut cives ultra modum animos abjecerint. In cujus mali remedium 16° Januarii coaluit in Congregationem Clerus, ad quam Antonius, P. Thomas Makiernanus, et P. Franciscus Foxius acciti contrarium persuaserunt in maximam Galviensium consolationem. Quo cognito Midiae Occidentalis Comes coram Prorege respondit se praefata *omnia ex joco dixisse.*

Ant. Rel. (2) Inter haec Antonio causam suam occulte peragente, Episcopus Cluanfertensis atque alii non nulli 22° Januarii promiserunt se ejus menti adfuturos. Unde die ejusdem mensis 23° missi sunt, qui fideles copiarum Conaciensium duces, et D. Carolum O Kellaeum, Decanum Tuamensem, monerent ; dieque 25° Januarii Episcopus Cluanfertensis proposuit ex Con-

aciensibus DD. Vicecomitem Maioensem, Carolum O Kellaeum, Decanum Tuamensem, Thomam Lynchaeum Ambrosii, Galviensem, Joannem Briminghamum, et Thadaeum O Conorum, qui cum aliis aliarum Provinciarum membris (donec omnia forma meliore fieri possent) novae confaederationis Consiliarios gererent, et cum Lotharingo, cui alii fucum faciebant, agerent, nihil tamen nisi praefato Episcopo conscio conclusuri. Litterae quoque et instrumenta, quibus nihil praeter militiae vota deerat, in hunc finem expedita.

(3) 26° Januarii D. Moriartum O Brien et alios quarundam copiarum Momoniensium, quas Tomonienses fuisse crediderim, duces, tunc Galviae se tenentes, | de iisdem consiliis monent. 2252
Quibus Moriartus se pro Cleri nutu omnia facturum pollicitus v
est, addens se Clanricardio, totique factioni Ormonicae invisum, adeoque rem eos celandam, donec ejus prudenter gerendae occasio se praesentaret. Qua oblata, se ad liberandam obsidione Galviam cum mille quingentis militibus adfuturum spopondit.

(4) 27° Januarii DD. Vicecomes Maioensis, Moriartus Brien, Hugo Rochfortus, Brienus O Nellus, et alii consuluntur quo pacto ea, quae in Lagenia et Ultonia ad annum superiorem in Congregationibus ecclesiasticis decreta fuisse vidimus, effectum sortirentur. Qui concluserunt expectandas Lotharingi suppetias (quarum spe Clanricardius et alii Ormonistae Clerum populumque lactabant, licet strenua daretur opera ut ille caeptis desisteret), vel saltem ex Ultonia et Lagenia exercitum Conaciensibus et Momoniensibus in Conacia eidem coalituris auctitandum, quo Cootum ejusque copias Galviam ex una parte obsidentes profligarent, et hac victoria semel parta, se mentem palam facturos atque aperto Marte eam facili negotio executuros, alias, si frustra tentarent, prodendam a male affectis ejus occasione ad hostem libenter transituris. Cum ergo in hanc sententiam unanimi consensu clam itum esset, destinantur 28° Januarii in quatuor Regni Provincias, praesertim in Conaciam, Ultoniam, et Lageniam, cursores cum Proregis Clanricardii (cui non confaederationem coeundam, sed obsidionem Galviae solvendam proposuerant) | mandatis, eo 2253
fine ut occulta alia consilia suspicari non posset, procuratis et cum secretis quorundam novae confaederationis fautorum litteris *ad fidos et sinceros, qui soli invitabantur*, quatenus tria Ant. Rel.
militum millia ab Ultonia promissa, et totidem ex Lagenia in Conaciam quantocyus accederent, et ibi coalituris ex eadem Provincia et Momonia, saltem Tomonia aliis viribus Galvia

obsidione liberaretur, aliaque occulte decreta deinde palam praestarentur. In Ultoniam P. Clemens O Brien, in Lageniam quidem frater Laicus Franciscanus dirigitur. Verum Prorex interea Moriartum O Brien, strenuum hujus et totius causae Catholicae fautorem, male tractavit.

(**5**) Moriartus enim aestate superiori (sicut ibi tetigimus) Comitem Portu-Castellanum proditionis accusavit, quod libens Iretono atque ejus copiis Sineno flumine aditum in Conaciam et Tomoniam permisisset. De qua controversia tunc Galviae discussa, qui Comitiis intererat, Antonius Mageogheganus: *Ant. Rel.* " Sub id (inquit) tempus acriter egit Prorex adversus Moriartum O Brien, quod praecedenti aestate querelam proditionis in Comitem *Castlehaven* (Portu-Castellanum) instituisset, nec eam (ut asseruit Prorex) probasset. Quare non obstante quod Commissio ad testes ruri existentes, qui ad oppidum obsessum vel nollent vel non possent accedere, audiendos eidem D. Moriarto sit denegata, ab officialibus et Colonellis, quos ipse Marchio, utpote suae factionis, elegit, seclusis aliis, morti lege
2253 talionis | adjudicatus est in Concilio Bellico, nec illum ad
v suam praesentiam admisit Prorex, nec ut testes tunc in oppido existentes in favorem ejus exciperentur. Id per aliquot dies agitatur de mandato Proregis. D. Moriartus suae Camerae tanquam carceri addicitur." Haec Antonius. Moriartum tamen morte illa multatum non fuisse liquet. Quod ex parte probat illam sententiam in ipsum latam haud alio spectasse, quam ut Portu-Castellanus aliqua ratione de proditione purgaretur, licet ipse Iretonus sua epistola 3° Novembris anno praeterito ad Parlamenti Anglicani Prolocutorem scripta, et Londini typis mandata, significarit, se ad ineuntem aestatem *opportuno et facili transitu* copias Sinenum fluvium trajecisse. Quinetiam Antonius Martinus, Jurisconsultus Galviensis, hac sententia spreta postea 13° Junii hoc ipso anno 1652 ad Doctorem Enos in Urbem scribens: " Comes (inquit) Portu-Castellanus, cui ex ultimorum Comitiorum Generalium praescripto commissum erat ut cum suo exercitu Sinenum flumen ex Tomoniae parte tueretur, tantum abest ut id praestiterit, ut potius recesserit, et patentem hosti viam reliquerit." Haec ille.

(**6**) Praeter illam sententiam a Clanricardio ejusque fautoribus in Moriartum O Brien tunc Galviae latam, aliud eodem tempore Galviae successit, quod omnia Antonii consilia etiam suis suspecta reddidit, deindeque omnes ejus conatus in praeceps
2254 detulit. Siquidem Antonius in | urbe Parisiensi ante ejus

reditum in Iberniam cum Patricio Crellio, Abbate Niurensi, consilia miscuerat, et jam in Iberniam regressus cum eodem ex Gallia Londinum reverso per litteras notis arcanis scriptas, et ad Parlamenti Anglicani *Secretarium Status* Londini se tenentem, qui eas Crellio traderet, per hostium viam directas eadem arcanorum commercia ita fovit ut alios sinceros e Clero populoque patriotas commune fidei atque Iberniae bonum anhelantes hanc (quod sciam) circumstantiam celarit, exceptis forsan uno vel altero, quibus velut instrumentis omnino necessariis, et nihil forsan nisi in optimam partem interpretantibus, ad litteras modo jam dicto dirigendas usus est. Quales mihi non liquet eum nisi semel transmisisse. De qua re jam notoria ipsum potius loquentem legas :

(7) " 4° (inquit) Februarii 1652 scripsit D. Antonius Geogh- Ant. Rel.
egan per ancillam litteras ad D. Vicarium Generalem Cluanmacnosiensem, et ad avunculum suum, Terentium Coghlan, in quibus inclusit alias ad D. Abbatem Crelly Londinum mittendas. Sed eadem nocte ancilla transitura flumen capta, et litterae a praesidiariis interceptae fuerunt, et ad D. Deputatum delatae per Capitaneum Lambert, fratrem ejus Secretarii. Quibus tanto terrore perculsus est (ut retulerunt postea ejus famuli), ut de suae personae securitate ea nocte multum diffideret, consulens domesticos et familiares an esset in Palatio illo ea nocte remanendum, an potius clam eundum alio, ratus praesentaneas sibi strui insidias et conspirationem. 5° Februarii | Mediae Occidentalis Comes, Vicecomes Prestonus, oppidi 2254
Gubernator, Patricius Brian et Secretarius Proregis, Joannes v
Lambert, miserunt D. Gelasium Smith, sacerdotem, ut vocaret ad eos D. Antonium. Qui nihil suspicatus perrexit ad eos in plateam, indeque domum Prestoni una iverunt. Profert Secretarius litteras. Agnoscit ipse suas litteras, nolens tamen tradere cyphras, quod illae spectarent ad negotia Cleri Regni, inter quem et Curiam Romanam eo fine inde ad eos missus correspondere tenebatur, asserens se extimam chartam direxisse ad Secretarium Status Parlamenti, quod non videret aliam viam liberam, eaque sola restaret ad dirigendas litteras Romam et litteras ita esse scriptas ut intercipientes eas non intelligerent. Igitur (inquit Comes Mediae Occidentalis) Summus Pontifex magis favet Parlamento, quam nobis aut Regi. Caeterum protestatus est D. Antonius se nunquam prodituram secretum Cleri aut Sedis Apostolicae. Advenit D. Episcopus Finiborensis eos adjuturus, dicens se cyphras et characteres bene novisse,

et quomodo etiam res fiat Romae : Utere (inquit) D. Antonius tua cognitione. Ab hora 1ª usque ad 5ªm ita eum detinent. Ipse interim per amicum securavit omnes suas chartas.

(8) " Accessit tandem D. Jacobus Fallonus, Vicarius Generalis Tuamensis et loci illius, et Secretarius *Lambert* cum mandato ad Vicarium Ordinarii directo pro executione a D. Prorege, assistentibus Vicecomite de Taragh et Secretario ut personam D. Antonii securarent et chartas et cyphrarum claves ab |
2255 eo tollerent. Quod cum vidisset, objurgavit Vicarium quod contra Clerici statum et immunitatem ecclesiasticam id officii in se suscepisset. Ingressis cubiculum D. Antonii et lecto mandato ait D. Prestonus chartas debere inveniri. D. Antonius adversus mandatum protestatus dixit se ei obedire non posse, 1°, ne immunitas Clerici violetur per saecularem potestatem ; 2°, ob missionem a Sede Apostolica et ejusdem a Clero Regni acceptationem. Et sic minitando districtum Sedis Apostolicae et Cleri judicium, destitit Vicarius Generalis. Executionem tentanti, quamvis leviter, Prestono respondit (Antonius) ipsum solum pro uno assistente Vicario Generali esse, ideoque cessante principali ipsum et alterum cessare debere. P. Makiernanus et P. Foxius multa, etiam Regni proditionem, et litteras ad Dromorensem (a Clanricardio 16° Octobris 1651) scriptas etc., improperarunt rogantibus ut in obedientiam Proregis mandato dignaretur in sua Camera manere. Quod etiam noluit.

(9) " 6° Februarii 1652 convenerunt Comitia et D. Prorex post sacrum auditum cum pompa apud Augustinianos, quorum plerique Sedis Apostolicae Ministro inobedientes erant, et post meridiem in Aula D. Richardi Blake, ubi ipse habitabat, conquestus est, et proditionis accusavit D. Antonium, rogans Comitia pro illius rei decisione. Unde constituti sunt Vicarius Generalis Ordinarii, Episcopi Cluainfertensis et Duacensis assistente secretario *Lambert* ad examinandum D. Antonium.
2255 Lectae sunt litterae interceptae et | earum commentarium
v ab ipso D. Prorege factum, sed distans a veritate et cum invectione in Clerum. Noluit Antonius eas exponere aut claves dare, sed affirmans eas nihil contra D. Proregem continere, et se nunquam revelaturum mentem Cleri aut Sedis Apostolicae cuiquam, quem non tangeret. Quod approbavit Cluanfertensis.

(10) " Queritur D. Antonius apud Episcopos de injuria sibi facta in interceptione litterarum contra ecclesiasticam libertatem, quanquam notum esset laicos quotidie et impune scribere ad hostes, et dixit palam Cluanfertensis non debere

Proregem ita in Clericos saevire, sed post reditum a Prorege dixit idem Cluanfertensis rem in pejori statu esse quam ipse credidit et prius intellexit ; atque ita aliqualiter mutatus est.

(**11**) " 7° Februarii cum responsa D. Antonii non satisfecissent Proregi, de satisfactione in Comitiis consulitur, et dicentibus Episcopis eum velle satisfacere corpori Cleri, rem ad Clerum remittit Prorex, cui etiam D. Antonius consensit, ut ostenderet coram Clero et per Clerum civibus falsa esse obloquia, et quae de eo sparsa fuerant, quasi proditurus esset civitatem, et similia a Proregis domesticis et amicis ficta.

(**12**) " 8° Februarii mittit Vicarius Generalis citationem ad totum Clerum, Canonistas, et Theologos Galviae tunc ut adessent, eique assisterent ad audiendam et determinandam illam causam. Qui omnes convenerunt et ex parte Proregis Dominicanus quidam Mackeogha cum Secretario et D. Hugone Rochforto, tanquam regio | Advocato, qui noluit se immiscere 2256
huic causae, nisi quod contrarium ei suasit ipse D. Antonius eligens potius hominem candidum et Catholicum quam alium. Discursu suo ad Clerum recenset sua privilegia. I^m^ Cleri. 2^m^. Praelati insignis cujusdam Monasterii, cujus Praelati inter Regni Proceres assidere solebant, et jure Regni a solis proceribus judicandus ipse. 3^m^. Protonotarii Apostolici, unde sub Ordinariorum jurisdictione non cadit. 4^m^. Ordinarii unius diaecesis, qui favorabiliter Episcopi privilegiis gaudet, quia Episcopalem habens jurisdictionem. 5^m^. Agentis seu Missionarii ad Clerum Regni a Congregatione propagandae fidei. Et quamvis ratione aliquorum ex his privilegiis non nisi Sanctae Sedi se sistere teneretur, pro omnium tamen satisfactione se resignat in manus eorum, salvo suo jure &c.

(**13**) " Ad objectiones Patris Mac-Keoghi, Capellani Proregis, respondit D. Antonius nihil esse in litteris de persona Proregis, esse tamen de malis ejus consiliariis ob solutionem Comitiorum Jacobopolitanorum. Unde obex positus est recipiendis Lotharingi articulis, et impedita satisfactio ab Illustrissimo D. Primate, ejusque Provincia et a Provincia Dubliniensi danda ibi Summo Pontifici et Sedis Apostolicae Procuratori ut cessaret ira Dei contra Nationem, eosque ei suasisse ut Comitia Galviam removerentur. Incredibile est (inquit quidam P. Lincaeus, Augustinianus) quod Sancta Sedes rem alicujus momenti committeret juveni tam imberbi et illiterato. Ad | 3^m^ 2256
respondit D. Antonius se Catholicos non divisisse, sed unire v
velle, et se de partibus, quas mundus novit esse inter illos,

dedisse relationem quomodo sunt divisae et discordes, quarum una Sedi Apostolicae adhaeret, altera contra ejus Sedis ministros insurrexit, et omnibus Christianis notum esse tales extare et extitisse in Ibernia antequam ipse de illis quidquam dixisset. Assurgit Cluanfertensis protestando : si ita (inquit) res est, omnes probi Praelati et ecclesiastici idem agere debent, et ego (inquit) ab initio partes D. Nuncii sum secutus, et adversariorum ejus contumaciam detestatus. Et sic dicebant fere singuli caeteri.

(14) " X° Februarii constituuntur a Prorege et Comitiis Episcopi Cluainfertensis, Dunensis, Finiborensis, Duacensis, et P. Robertus Nugent et P. Sedgravius Jesuitae, cum Vicario Generali loci, ut denuo examinarent D. Antonium pro satisfactione Proregis, qui protestatus se amplius non processurum in Comitiis, donec sensum litterarum aperte sciret. Nolente autem Antonio aperire quidpiam ex secreto Sedis Apostolicae coram ullo refractario, &c., conclusum est ut ipse alloqueretur Proregem. Quod acceptavit, sed modo credat Prorex nihil esse in litteris contra suam personam, et non quaerat secretum Cleri aut Sedis Apostolicae.

(15) " 11°. Ductus a Vicario Generali loci ad Proregem. Hic petit an ille sit ? Apportato attramento et charta petiit sibi dari clavem litterarum. D. Antonius multa de sua in Proregem benevolentia prolocutus, ait se daturum seu exposi-
2257 turum ei quicquid in litteris | erat contra ejus personam aut Regem, secreta vero Cleri et Sedis Apostolicae nemini revelaturum, et de partium in Regno distinctione interrogatus respondit : notum est ubique duas esse in Ibernia partes, unam Sedi Apostolicae ejusque ministris fidelem, obedientem, &c., alteram contumacem, a qua Illustrissimus D. Nuncius Apostolicus ejectus est, &c. Cui Prorex : si (inquit) Nuncius Apostolicus, qui extraneus esset, moliretur aliquid adversus fundamentales Regni leges, ego ipsum e Regno etiam cum opprobrio ejicerem. Si autem, qui talia faceret, nativus Regni esset, secundum Regni legem eum suspensionis supplicio afficerem, sicut tecum agam. Cui D. Antonius : ego nunquam frui vita desidero, quin paratus sim eam pro religionis Catholicae et ecclesiasticae libertatis defensione profundere. At ille : non das (inquit) clavem ? Non do, inquit D. Antonius. Quare ergo (inquit ille) in conspectum meum venisti ? Non alia lege (inquit Antonius) quam ut hoc quod facio, facerem, ut heri Capellano vestro intimatum est. At ille conviciando ait : tu Vicarius

Generalis Midensis ? Non es dignus, qui sis Vicarius unius parvae parrochiae. Tu idoneus ut Roma cum negotiis destineris ? Abi hinc. Abiit.

(**16**) " Eodem die Clanricardius scripsit ad Comitia, seu (ut vocabantur) magnum Concilium, regiam authoritatem ita rejectam et pessundatam esse ac etiam ab uno sacerdote perditam, ut cum justitiam in eum fieri non inveniret, tutius et melius duxerit Regno exire, secumque regiam ferre authoritatem, quam ut tam grave pateretur praejudicium et injuriam, ac proinde se illis sequenti mane valedicturum. Rogant autem Comitia Praelatos | ibi praesentes ut suscipiant causam, et 2257
cogant satisfieri Proregi, administrando justitiam in D. v
Antonium. Suscipiunt onus Praelati, atque omnes se parant ut suadeant D. Proregi mutare propositum egrediendi e Regno et continuare authoritatem regiam in Regno, seque effecturos cum D. Antonio quicquid justum esset. Mirum sed justum Dei judicium quod qui coryphaeus erat ad expellendum Nuncium Apostolicum, ipse jam Regis Minister, Prorex, &c., fateretur se expellendum ab uno sacerdote. Quod certe evenisset si Praelati, qui res Iberniae ab initio perdiderant, permisissent.

(**17**) " 12° Februarii D. Episcopus Dunensis et alii ecclesiastici, amici D. Antonii, rationibus aliorum victi persuasum habuerunt quod si Prorex abiret et authoritatem regiam auferret, hostis inde animaretur, et Catholici inter se dividerentur, et ad hostes confugerent, ideoque ipsius discessus noceret religioni. Verum nihil magis prodesset Regno et Regioni quam ut discederet, quia eo absente Clerus perficeret quod incepit ad satisfaciendum Sedi Apostolicae, obsidione Galviam eximeret, et suppetias Lotharingi obtineret, &c. Suadente tamen Clero consensit D. Antonius aperire sensum litterarum coram sex Praelatis. Recusavit autem Finiborensem et Duacensem eo quod contra Illustrissimum D. Nuncium fuerint. Duacensis tamen facta protestatione de sua absentia tempore D. Nuncii, suasu amicorum admittitur, quia in eo fidebat Prorex, nec ei satisfieret hoc excluso. Electis ergo Vicario loci, Episcopis Cluanfertensi, Dunensi, Duacensi, D. Joanne Duly, J. U. Doctore, et P. Andrea Brouno, | Priore Dominicanorum 2258
(omnes hi praeter Duacensem erant obedientes Sedi Apostolicae) ostendit credentiales et aliquot capita instructionum. Respondet Duacensis cum in credentialibus non exprimatur *de mandato Suae Sanctitatis*, se eis non habiturum fidem. Porro Antonius clavem illis ostendit, tactis pectoribus se nulli, etiam nec

Proregi, manifestaturos ea, quae in litteris erant, et relaturos solum ei nihil in eis contineri contra Regnum aut ejus personam. Sed quia tardum erat, sequenti tantum die affirmant nihil in litteris contra personam Proregis aut Regnum contineri. Et examen scribunt non tam ex verbis D. Antonii, quam ad placandum Proregem. Qui tamen viso examine minus quievit.

(**18**) " 15° die venit Prorex, et Comitiis proposuit sensum litterarum interceptarum, et coram omnibus exaggerat tanquam proditionem Regis et Regni continerent. Protestatur se Regno abiturum, nisi de D. Antonio fiat justitia. Quod commissum est Episcopis a Comitiis.

(**19**) " Die 17° controvertitur in Comitiis an curia saecularis contra eum agere posset? Affirmant quidem legistae secuti jura Anglicana. Negant Episcopi cum sit contra immunitatem ecclesiasticam. Solus Finiborensis contestabatur, Clericum in seditione comprehensum ex Barbosa a laicis apprehendi posse. Alii probant hunc alium esse casum. Urgentibus autem ut Vicarius Ordinarii tunc absentis procederet, ille se excusavit, quod Ordinarius sibi causas criminales non commiserit.

(**20**) " 18° scribit Clanricardius suas expositiones in litteras et eodem die missas ad Clerum. Clerus remittunt, asserentes sese eis ulterius non immisturos. Respondit Prorex indig-
2258 nabundus, quod suas chartas tanquam pollutas | non re-
v ceperint.

(**21**) " 20 ad Comitiorum Cleri et Episcoporum instantiam recipit Vicarius chartas, quibus opposuit D. Antonius suam
hanc declarationem (quam hic videas pag. 159), quam per varias
declara- manus dispersit contra calumniantes, eum et 2000 Ultonienses
tionem ibi praesidiarios conspirasse ad prodendam Galviam Par-
non vidi. lamentariis, quae sedavit mentem civium.

(**22**) " 21° in Comitiis de mandato Proregis lecta, ventilata, et discussa declaratione, Vicarius Generalis cum Episcopis declarant D. Antonium innocentem, et ab objecto crimine proditionis immunem, sed solum aliqua ab eo in illa epistola indiscrete scripta fuisse. Legistae autem et Proregis fautores ob hoc angustiantur, et D. Antonium tanquam proditorem incarcerandum notant. Clamans adversus hos protestatur Clerus, sed egressis Praelatis sero a D. Richardo Blake, Prolocutore, nomine Comitiorum, mandatum ad comprehendendum D. Antonium scribitur. Quo audito reclamant Episcopi, et ex laicis Midiae Occidentalis Comes coram Prorege.

(23) " 23° mittit D. Praetor mandatum ad portarum custodes, ut non sinerent egredi D. Antonium, sed ad *Praepositi* admonitionem id clam revocat. D. Prolocutor jussit ut unus e Vicecomitibus civitatis duceret D. Antonium domum suam. Quorum unus ad hoc una cum D. Vicario Generali adivit D. Antonium. Sed objurgatus ob hoc D. Vicarius, eo quod contra sententiam datam faveret potestati laicali contra ecclesiasticam immunitatem, respondit, se ivisse ut amice eum | moneret 2259
ut in domo Vicecomitis hospitaretur. Non est amici (inquit Antonius) suadere, ut quis sciens et volens incarceretur. Quidam autem rogat Vicarium, ut quae in Comitiis strenue egerat dando sententiam, non perdat aliter agendo deinceps, cum non sit ulterius ipse nec Archiepiscopus Judex, quod unum sit utriusque Tribunal. Porro fide jubente D. Episcopo Dromorensi quod compareret D. Antonius coram Primate, vel Tuamensi vel ejus Vicario, scribit Vicarius ad Tuamensem in hunc modum.

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(24) " Gratia et faelicitas. P. Antonius Geogheganus, Vicarius Generalis Midensis, hic in controversiam vocatus est circa ejus epistolam interceptam et ad talem perductus periodum ut coactus fuerit aperire claves cyphrarum nobis Praelatis et praesertim mihi, ut Illustrissimae Dominationis vestrae Vicario, et post examen invenimus fundatas ejus litteras super duo. Primum est quod, si ex necessitate Regnum ad se Parlamento submittendum cogeretur, cum (Parlamentum) sit in duas partes divisum, Independentes scilicet et Praesbyterianos, Catholici potius Independentibus, qui nullum cujus voluerit esse religionis, prohibent, quam Praesbyterianis adhaerere deberent. Alterum est : litteras cum instructionibus habuit ab Illustrissimo D. Secretario Congregationis de Propaganda Fide, et correspondentiam et cyphras ad hunc finem inter ipsum et suum correspondentem. Cyphrae hae fuerunt aliter quam in se a D. Prorege intellectae, sicut ex litteris suis Illustrissima Dominatio vestra percipiet. Ad illum pervenit res apicem, ut ego fuerim inductus ad judicium et sententiam meam | 2259
proferendam coram D. Prorege et Concilio, et advertens minus v
malum esse latoris mentem, eum a crimine objecto immunem declaravi. Verumtamen in custodiam meam eum accepi, donec D. Episcopus Dromorensis pro eo mihi cautionem dedisset, quod coram Illustrissima Dominatione vestra esset compariturus ut judicaretur aut ad suum remitteretur Ordinarium. Praelati

hic degentes huic rei consenserunt, ac proinde eum ad Illustrissimam Dominationem vestram remitto in nomine Domini ; et remaneo

Illustrissimae Dominationis vestrae verus servus.

Jacobus Fallonus."

Galviae,
28 Feb. 1652.

(25) " 24° Placuit Comitiis datam de D. Antonio cautionem comparendi coram Ordinario, et mandant Comitia legistis ut scribant quaerelam et statum negotii ex parte D. Proregis contra D. Antonium ad Ordinarium mittenda. Nolunt illi id praestare, eo quod judex esset spiritualis, et reus ecclesiasticus. De mandato tamen Comitiorum 25° die scribuntur litterae ad eum finem, et eodem die in Comitiis protestatur Vicarius Generalis loci se nulla authoritate saeculari uti voluisse, quando Vicecomites de mandato Concilii domum suam ducere voluerunt D. Antonium.

(26) " 26° die declarat Prorex se consultius existimare ut D. Antonius Galviae detineretur, quam ut mitteretur ad Archiepiscopum, ne ab eo facilius dimitteretur rogatque ut imploretur Commissio D. Archiepiscopi ad eos e CIero, quos ipse Prorex nominaret pro causa illa, electurus eos, qui D. Antonium damnarent ut mox degradatum interfici curaret.
2260 In contrarium nituntur D. Antonius et | amici Praelati. Tamen in eum finem scribit Prorex litteras et querelas et per octo sequentes dies instat apud Comitia ut de Comitiorum mandato mittantur cum uno expresso. Renuunt Praelati. Sciebant enim quod per invidiam res fieret, et illum morti tradendum desideraret ; ipseque Dromorensis inter alios saepe coram Prorege in Comitiis hoc dissuasit.

(27) " 4° Martii dum D. Proregis animus aliquantulum mollesceret et res pene sopita esset, rediit Galviam frater ille Laicus Franciscanus, qui fuerat alias in Lageniam missus cum litteris, et litteras Londino missas a D. Abbate Crelly ad D. Antonium, dedit Dominae *Bourgo a Doiremaclachna* et Dominae *Meara*, Doctoris *Meara* matri. Hae feminae in suo appulsu adierunt D. Vicecomitem Prestonum, Gubernatorem, eique tradiderunt illas litteras. Hic eas D. Proregi dedit ita ut recrudescens Prorex sit totus in furorem et venenum versus et confirmatus in sua opinione de proditionis proposito D. Antonii, maxime audiendo de submissione Domini Joannis Fitz-Patricii Parlamentariis, contra omnem spem et fidem ab eo datam

Clero, unde spes omnis liberandi Galviam ab obsidione et renovandi confaederationem in fumum abiit.

(28) " 5° Martii missis istis litteris ad Comitia ibique lectis, nituntur ibi quidam probare evidentiam proditionis. Rogat Prorex DD. Episcopum Dromorensem, Dunensem, et Vicarium Generalem loci, nec non PP. Thomam Makiernan et Franciscum Fox, qui tunc ex Comitiis (eo a D. Prorege vocati) erant, ut litterarum clavem peterent | a D. Antonio. Is id negat, eo 2260
quod praeter juramentum secreti fuerit ipse delusus antea, et v
sensus litterarum (priorum) divulgatus. Cautius igitur nunc ait agendum nequid in aliorum damnum in eis contineretur. Itaque noluit cyphras in epistola contentas explicare.

(29) " 7° Martii deputatis ad eum a Comitiis obtulit explicare ea quae in epistolis essent, pro bono publico. Recusat Prorex, asserens se nemini litteras daturum, donec eas Regi ostenderet, ad quem per Comitem Portu-Castellanum transmiserat alias litteras ejus.

(30) " 9° Martii suadebant aliqui in Comitiis expositionem litterarum cogendam vi tormentorum, sed cum plerique cives et maxime juniores et praesidiarii cum omnibus, qui pro D. Nuncio steterant, pro eo starent, et seditio timeretur, nihil fuit attentatum.

(31) " 10° Martii Ultonienses praesidiarii disponuntur ad egrediendum ex urbe et quidam Conacienses, duce D. Murucho O Flaherty in eorum locum introduci tractatur ut dispositis omnibus inter Proregem et Carolum Cootum civitatem traderent facilius, ejectis Ultoniensibus, qui alias resisterent, quibus ad excitandum in eos odium, denegant stipem. Unde ad pacificandum officiales, consultantibus de remedio (cum jam tractari aperte viderent inter cives et Proregem cum Parlamentariis) promittunt cives stipendium ordinarium.

(32) " 11° die spondet Prorex in verbo nobilis et generosi se nulli revelaturum sensum litterarum, si illum ei revelaret | D. Antonius, qui id negat, donec eas prius videret. 2261

(33) " 14° die Martii exeunt milites Ultonienses, officiales, PP. Thomas Makiernan et Franciscius Fox Galvia, et solus remanet Antonius.

(34) " 15°. Misit D. Antonius ad Proregem supplicationem, cum periculum esset oppidum utrinque obsidendi, et cito capiendi, se non dubitare quin morte eum plecterent Parlamentarii, nisi sua Excellentia vellet, ut prius exiret. Sed D. Prorex viso ejus nomine excanduit. Libellum supplicem

abjecit. Offerentem objurgavit dicens inimicum si eum capite plecteret, juste id facturum, seque velle, si posset, idem facere, qui nomen Antonii audire non potuit absque nausea. Eodem die tres quaestiones a Comitiis Clero civitatis propositae fuerunt circa personam D. Antonii, rogando eorum sensum : 1ª. Utrum liceret personam ecclesiasticam perduellionis suspectam incarcerare per potestatem saecularem seu laicam absque laesione immunitatis ecclesiasticae. 2ª. Liceretne ab ejusmodi persona tollere ejus chartas et characteres absque laesione ejusdem immunitatis. 3ª. An liceret eundem tormentis cogere ad revelationem characterum et criminis ? Ad has quaestiones nullas dare voluit solutiones Clerus. Soli tres Augustiniani Lynchaei, Ecclesiae rebelles, dederunt in scriptis Proregi egressuro suam opinionem ad ipsius sensum (ut aiebant) concurrentem. Eodem die exiit Galvia Prorex, postquam esset ab eo ejusque Comitiis decretum Ultonienses illinc amovere, et inducendos esse eorum loco in praesidium quosdam Conacienses Proregi fideles.

(**35**) " 18° Martii D. Antonius veritus hanc mutationem,
2261 exiit | etiam cum supradictis litteris Vicarii Generalis ad loci
v Metropolitanum, nullo contradicente, et 20 die prope *Achanuir*, ubi erat Prorex, intellexit litteras pridie ex Lagenia a D. Waltero Dungan ad Proregem venisse, quibus ei significabatur totum, quod fuerat factum autumno praecedenti, et quomodo vera essent, quae objiciebantur Sacerdoti cuidam Galviae incarcerato (non enim novit relator D. Antonium). Unde (inquit relator) Prorex hodie mane diluculo misit Secretarium suum Galviam cum mandato illum post Ultoniensium egressum arctius incarcerandi. Hinc D. Antonius cum sociis alio itinere declinarunt. Dunganus autem forte haec scivit a Reverendissimo Laghleniensi aut aliquo alio in Concilio Provinciali. Ubi cum Dungano, Barnevallo, et ejusmodi farinae hominibus laicis mense Februario in loco Garviensi pessundederunt Cleri et praecedentis anni acta, labores, et decreta, et Commissarios ad tractandum cum Parlamentariis elegerunt, qui Maio sequenti pudendas ab iisdem conditiones receperunt, nulla prorsus habita conditione pro ecclesiasticis, qui exclusi erant dando iis tantummodo fidem publicam, qua exularent, nisi post examen et ad nutum Generalis Parlamentariorum, &c.

Fuere Comitia Lageniae.

(**36**) " 23° Martii respondet Tuamensis D. Antonio, lectis litteris sui Vicarii, nullam fuisse passurum injuriam a Prorege, si Galviae fuisset, aitque D. Antonio ut ad suos pergeret, seque

deinceps responsurum, si quid ea in re ei objiceretur, vel D. Antonii responsum petiturum. Hac lege decessit D. Antonius. Sed unica postea hora elapsa | D. Episcopus Duacensis eo 2262
venit, dolens valde de D. Antonii discessu, ob mandata (ut dicunt) D. Proregis, quae tulit ad ipsum detinendum." Hactenus de se et sua historia Antonius.

(37) Galviam anno praeterito et hactenus a Cooto ex una tantum parte obsessam fuisse vidimus, praefataque Antonii Relatio eam ante diem Martii 20^m^ hoc anno ex altera parte obsidione cinctam non fuisse ostendit. Urbem tamen mense Aprili hoc anno (civibus nec a Lotharingo nec aliunde opem humanam sperantibus) in hostium potestatem venisse litterae tunc ex Ibernia Romam scriptae testantur. Cui deditioni alias forsan differendae januam aperuit sequens declaratio paulo anterius a Parlamenti Anglicani Commissariis in Ibernia Anglice edita, ut Iberni haereticorum Angliae jugum minus horrerent, proindeque facilius se submitterent.

(38) " Nos denunciamus eam esse delegatorum Parlamenti voluntatem, ut omnes in Ibernia degentes beneficio gavisuri sint decreti, cujus titulus est *de religioso ac tranquillo populo legibus iis exonerando, quas Parlamentum in re religionis antea sancivit.*" Quod decretum 27 Septembris anno Domini 1650 latum est. " Insuper etiam denunciamus Ministrorum Parlamenti in Ibernia mentem esse, ut nemo e *recusantibus* (l. Catholicis) hujus nationis ad cultum ullum aut officium divinum conscientiae suae contrarium adigendus sit. Datum 18 Martii 1652.

Reynols. Hieronimus Sankius. Guillelmus Allen. Henricus Jonius. Joannes Vernon." |

(39) Gratianus Lucius, in suo *Cambrensi Everso* pag. 281 2262
hoc decretum in medium producit addens fuisse latum a v
Commissariis Parlamenti Anglicani authoritate munitis ad transigendum cum Catholicis Lageniae viribus de deditione. Porro decretum 27° Septembris 1650 a Parlamento Anglicano in Anglia conditum, et juxta pollicitationem hic factam ad Iberniae Catholicos extendendum, mihi occurrit Latine redditum hunc in modum :

> " *Decretum succurrens devotis et pacificis hominibus, eosque liberans a rigore aliorum Statutorum Parlamenti in causa Religionis.*

(**40**) " Parlamentum Angliae considerans diversa Statuta retro Regum Reginarumque hujus nationis diebus condita contra *Recusantes*, ad templum non accedentes, communi orandi Deum modo non utentes, et dies festos atque alios articulos, qui ad religionis materiam pertinent, non observantes, videnque quod hujusmodi Statutorum occasione multi pii et pacifici homines in Reipublicae salutem alioqui bene affecti non solum molestati et incarcerati, verum etiam in discrimen suae Patriae renunciandi aut, in reversionis casu, mortis paenam sustinendi deducti fuerint, et quod totum in similium bonorum ac piorum hominum inquietudinem ac ruinam perpetuam, nec non in totius Reipublicae detrimentum redundaret, statuit, et per praesens Parlamentum perque ejus authoritatem statutum est,
2263 ut omnes et singulae | particulae, clausulae, articuli, et cautiones expressae contentaeque in decretis Parlamenti sequentibus, videlicet in decreto anni primi Reginae Elizabethae intitulato *de uniformitate modi orandi et sacramentorum administratione*, et anni 35 Elizabethae intitulato *de puniendis personis obstinate recusantibus ad templum venire, et persuadentibus aliis ut Reginae potestatem in causis ecclesiasticis impugnent*, omnesque et singulae particulae, clausulae, articuli, et conditiones expressae contentaeque in decreto Parlamenti anni 23 Elizabethae intitulato : *Decretum de retinendis Reginae subditis in debita fidelitate et obedientia*, &c. Et omnes ac singulae clausulae, particulae, articuli et conditiones expressae contentaeque in alio quocumque, seu qualicumque decreto, statuto, et ordinatione Parlamenti, qua, quibus vel in quibus paena aliqua aut punitio imposita est, aut paenae seu punitionis personis quibuscumque quod ad sua templa parochialia respective non veniant, vel dies festos non observent, vel communes preces non audiant, vel in communium precum librum invehantur aut obloquantur, imponendae vel infligendae mentio fit, religantur, abrogentur, et antiquentur authoritate praedicta, et praesentium tenore refixa, abrogata, atque antiquata esse decernitur et declaratur.

(**41**) " Statuitur similiter et declaratur omnes processus factos vel faciendos virtute cujuscumque particulae, clausulae,
2263 articuli et conditionis, quorum in quocumque | ex praedictis
v statutis, decretis, seu ordinationibus mentio fit, contra quamcumque personam vel personas qualescumque revocatos, cassatos, refixos, ac nullius effectus esse et fore authoritate praedicta, proviso quod hoc praesens statutum non extendatur

ad abrogandum aut refigendum quodcumque aliud statutum aut edictum factum per praesens Parlamentum circa debitam diei Dominicae aut dierum publicae gratiarum actioni et humiliationi destinatorum observantiam, et quominus prophani ac licentiosi homines a praedictarum legum abrogatione tendente solum ad liberandos pios et devotos homines ab earundem legum vigore, occasionem arripiant officio divino non vacandi, declaratur et statuitur ut omnes et singulae personae sub hac Republica et in ejusdem dominiis se tenentes, nisi legitimam suae absentiae excusationem habuerint, singulis diebus Dominicis et diebus solemni gratiarum actioni atque humiliationi destinatis in aliquo loco publico, in quo Dei veneratio ac divini servitii exercitium fit, omnino compareant, aut ad alium aliquem locum, in quo orabitur, praedicabitur, legetur, aut scriptura sacra exponetur, se conferant et praesentent. Statuitur insuper et decernitur authoritate praedicta ut omnes et singuli, qui hujus praesentis statuti fines diligentissime non observaverint, aut rationabilem in contrarium excusationem non allegaverint, hujus legis transgressores | censeantur, et contra ipsos ut tales consequenter procedatur. 2264

Die Veneris
27° Septembris 1650.

"Ordinatum est per Parlamentum ut hoc statutum typis mandetur et promulgetur."

(42) Itaque Parlamenti Anglicani in Ibernia Commissarii jam dicti inter concordandum cum Catholicis Lageniae copiis per praefatum actum 18° Martii 1652 conditum extenderunt hoc decretum 27° Septembris 1650 in Anglia a Parlamento latum ad omnes Iberniae Catholicos ut facilius se Parlamento submitterent. Caeterum quod ad Galvienses specialiter attinet, inter paciscendum cum ipsis haeretici scripto affirmarunt Parlamentum Fidei Catholicae abolitionem nullo pacto moliturum aut cuipiam ejus professione interdicturum, sicut idem Gratianus Lucius, seu potius Joannes Lynchaeus, sacerdos Galviensis, testis oculatus, qui sub illo supposititio nomine librum illum edidit, testatur. Verum in his omnibus atque aliis plurimis haereticos fidem publicam fefellisse videbimus. Porro deditionis a Galviensibus factae articulos nondum integros vidi, quorum pars ad ecclesiasticos praesertim spectans ex Bellingo hic sequitur: Ibid.

"*Articulus* 4^us^.

Belling. Annot. in P. Poncium, p. 99.

(43) " 4° Inter partes convenit quod, qui ex Clero jam Galviae sunt, ibi commorandi ad sex menses a conclusione praesentis tractationis facultatem habebunt et quando intra istius temporis spatium id petierint, | salvos conductus
2264 v obtinebunt ut se, quaeque sua sunt propria, ad ultramarinas partes transvehant, ea tamen conditione nequid interim in praejudicium Status Angliae moliantur et priusquam deditio civitatis fiat, eorum nomina D. Praesidi innotescant . . . . et quod omnibus qui se Regimini Reipublicae Angliae submiserint (iis exclusis, qui ante excepti fuerunt), hoc illis licitum sit, etiam domi aut cum amicis vivere permittetur et quamdiu dicto Regimini obedierint, quoad personas, bona, et terras protegentur, sicut reliqui incolae ejusdem gradus et conditionis, ita tamen ut in hoc articulo jam memoratae protectionis beneficium ultra sex menses nequaquam ad Clerum extendatur." Haec ex Bellingo.

Ibid. p. 100.

(44) In deditionis articulis nec aliud, quod religionem aut Clerum attingat, verbum esse author est idem Bellingus. Quare quod Gratianus Lucius habet et jam ex ipso citavi, nempe haereticos scripto affirmasse inter paciscendum cum Galviensibus futurum ut nemini fidei Catholicae professione interdicerent, non de Clero Catholico, sed de solis laicis, nec de deditionis articulis sed de aliquo alio scripto intelligendum videtur. Porro ante deditam Galviam et conclusos utrinque articulos Clerus in eadem urbe se tenens in duas partes scissus erat, quarum una Galviam illis conditionibus illaesa conscientia dedi posse pernegabat, altera affirmabat. De qua re Joannes Dulaeus Tuamia ex Ibernia 5° Augusti hoc anno 1652 Romam ad Massarium scribens : " Deditio (inquit) Galviae imputatur partim negligentiae D. Proregis hostes ab obsidione istius oppidi neutiquam repulsantis (quo in casu culpant et Prestonum),
2265 partim Duci | Lotharingiae opem et promissas suppetias minime huc transmittenti, et partim P. Fr. Valentino Broun, Fr. Nicolao Linch, Augustiniano, Fr. Joanni Linch, ejusdem Ordinis, cuidem Seagrin Jesuitae et Joanni Linch, Wardiano Galviensi, qui contra communem opinionem et vota D. Episcopi Cluanfertensis et reliquorum ex Clero Galviae tunc existentium ejusmodi deditionem ut licitam suaserunt." Sic ille, Tuamensis Ecclesiae officialis, qui tunc in Urbem scripsit rerum in Ibernia, ex quo cum Lotharingo agi caeperat, usque ad hujus anni 1652 Augustum, gestarum relationem multa paucis continentem,

quae authoris mihi secus ignoti zelum, animi candorem, veritatis sobrie referendae studium, modestiam, et doctrinam spirat.

(**45**) His P. Gregorii Frensii, Dominicanorum Galviensium Prioris, testimonium ex urbe Nannetensi, quae Galliae Armoricae est, Romam 28° Julii hoc ipso anno 1652 Anglice directum addo: "Illi (inquit) ex Galviensibus, qui de introducendis Anglis valde solliciti erant, nunc ad miserum statum redacti sunt sine sacrificio, sacerdote, et sacramentis, quotidie magis a militibus onerati et exhausti. Fuere autem Robuccus Lynchaeus, Oliverus Frensius junior, ambo census equestris, Martinus Skeretus, Edmundus Skeretus, et alii ex laicis multi praeter non nullos ecclesiasticos, nempe P. Valentinum Brounum, P. Joannem Lynchaeum Juniorem, P. Joannem Lynchaeum, Augustinianorum Priorem, P. Nicolaum Lynchaeum ex eodem Ordine, Patrem Segreum, Jesuitam, et P. Thadaeum O Gormanum, Franciscanum, qui contra Episcopi | Cluanfertensis et nostram omnium sententiam re- 2265
sponderunt posse cives tuta conscientia omnium sacerdotum et v
Religiosorum exilio subscribere, modo ipsi bonas pro se et possessionibus conditiones obtinerent. Nostra quidem omnium sententia fuit ipsis pro possessionibus et se cum hostibus pacisci, et (si necessitas urgeret) nullis nostri causa conditionibus insistere licere. Sed ipsos nostro exilio subscribere vel leges adversum nos condere cum Catholici essent, non posse sine peccato mortali quantalibet angustia premerentur, nec truculentissimorum quorumque tyrannorum diebus simile in orbe terrarum exemplum unquam successisse. Nihilominus Robuccus Lynchaeus praefatorum opinionem suae conscientiae in tuto ponendae sufficere dixit. Et sic ipse atque alii miseris et rudibus civibus persuaserunt, ut in extremum eorum excidium consentirent." Sic ille, qui (ut ibidem refert) cum Patricio Lynchaeo, olim Collegii Galviensis Praeposito, P. Gregorio Skereto, Doctore Fallonio, Doctore Michaele Lynchaeo, et P. Henrico Joyceo cum praevalere nequivissent, Galvia ante deditionem exierant, ne tam lugubre spectaculum, nempe haereticorum admissionem et ecclesiarum prophanationem, praesentes intuerentur. Porro praefatus Joannes Lynchaeus, cognomento *Junior*, sacerdos Galviensis, qui postea anno 1662 sub ementito Gratiani Lucii nomine suum librum, *Cambrensem Eversum*, p. 279.
edidit, ibidem tradit Galviam Carolo Cooto honorificas con-
ditiones extorsisse. "Nimirum (inquit), | ut pristinae urbis 2266
immunitates, et positae intra fines urbis jurisdictioni obnoxios

civium possessiones integrae illibataeque, cives deinde manerent, Republica Anglicana ternionem tantum agrorum extra fines illos sitorum et civium domicilia ubivis collocata, quae Parlamentarii praesidio munienda esse censerent, referente, fundis in cives pro aedium ablatarum aestimatione conferendis. Praeterea civibus, intra et extra urbem, arbitratu suo, negotiari per pacta licuit. Sed a Parlamento in suprema Iberniae praefectura constituti haec pacta irrita, alia minoris momenti rata habuerunt." Haec ille.

(**46**) Decretum 27° Septembris 1650 a Parlamento Anglicano editum et alterum ab ejus in Ibernia Commissariis (sicut vidimus) 18° Martii hoc anno conditum Catholicis liberam suae religionis exercendae potestatem facere videbantur. Verum per illos Galviensium articulos constitit privilegium illud a Clero non participandum, deindeque pauculis diebus post Galviam hostium imperio permissam haeretici ibidem hoc impium edictum Anglice tulerunt.

" *Per Commissarios vectigalium publicorum Provinciae Conaciae.*

(**47**) " Cum vehementem habeamus causam suspicandi multas clandestinas Missas et alia Ecclesiae Romanae idololatrica ministeria in Dei offensionem et eorum, qui eum timent, atque in ejus viis ambulant, displicentiam, frequenter exerceri a
2266 multis ex Clero Papistico, quibus | se discedere non posse
v allegantibus in hoc praesidio pedem figere permissum fuerat per conditiones quibus deditum est.

(**48**) " Nos propterea hisce statuimus et declaramus omnes Jesuitas, seminariorum sacerdotes, et alios ex Clero Romano, quos ullam ministerialis suae functionis partem, vel ullum ex praedictae Ecclesiae ritibus aut ministeriis exercuisse constiterit, ipso facto esse suo in praefatam pactionem jure multandos, juxta ac eos omnes, qui dictis ministeriis interfuerint, vel eorum conscii extiterint, et ea intra quadraginta horarum spatium Gubernatori atque uni vel pluribus ex Commissariis ad justitiam administrandam delegatis non aperuerint. Ulterius requirimus et edicimus ut Praetor, Vicecomites Urbani, cives, habitatores, et cujuscumque generis homines in hoc municipio residentes mobilibus crucibus, *Crucifixis*, Reliquiis et picturis ad Ecclesiae Romanae jam dictae servitium adhibitis nullo modo sub praefatis paenis utantur, nec ea in suis domibus

asservent, et pariter omnes fixas cruces et *Crucifixos* tam intra quam extra januas demoliantur aut demoliri faciant. Hoc nostrum edictum, ubi tympano pulsato publicatum fuerit, locis hujus urbis maxime obviis affigatur, ne quispiam se id ignorasse causetur. Datum Galviae 7° Maii 1652."

(**49**) In hujus persecutionis paenam justo Dei judicio factum ut pestis, qua ante plures menses Galvia liberata fuerat, iterum ibi grassata sit, et nedum cives sed etiam praesidiarios haereticos, tanti mali authores et vicinos magna ex parte sustulerit, nunquam | tamen ante Galviae deditionem in Collegium ibi 2267
S. Nicolao dicatum ingressa licet Praepositus aliique sacerdotes ejus contubernales quotidiana pestiferis obsequia non subtraxerint, qui utique Nuncio ultima vice ex urbe Kilkennia Galviam appulso ita suum illud Collegium in domicilium reliquerant, ut et ipsi in censurarum controversiis tunc anno 1648 recens ortis magno zelo ab ejus partibus steterint. Quam circumstantiam eo lubens addidi quod hanc Collegii a peste praeservationem Nuncii ibi residentiae acceptam referat in quadam epistola ipse Praepositus, Patricius Lynchaeus, qui cum suo agnato et concive, Episcopo Finiborensi, atque aliis e Clero Galviensi paulo post deditionem hoc anno in Galliam Armoricam exulavit, sacra supellectile illo transportata, quam praefatus Episcopus et P. Gregorius Skeretus apud Decanum et Capitulum Macloviense custodiendam deposuerunt, in qua fuisse crediderim S. Constantii vel Constantis corpus, quo Nuncius anno 1649 Ecclesiam S. Nicolai Galviensem donaverat. Alii ex eodem Clero in Flandriam, in Hispaniam alii trajecerunt, in quibus majore commiseratione dignae fuere non nullae Moniales, quarum una ex Brounorum Galviensium familia postea in Hispania cum magna sanctitatis opinione diem obiit. Porro Praepositus seu *Wardianus* praedicto Joanni Lynchaeo *Juniori*, quem litteris postea hoc anno a quodam ex Ibernia scriptis *Wardianum* vocari video, suum locum reliquisse videtur et epistola 22° Decembris hoc anno 1652 Nannetis Romam ad P. Richardum O Ferallum, | Capucinum, missis : " Quod 2267
(inquit Anglice) ad me pertinet, adeo debili sum corporis v
constitutione et haemorrhoidibus assidue laboro ut longum iter conficere nequeam. Quare mihi decretum est hic vel Parisiis permanere donec Deo placuerit aliter disponere de patriae nostrae rebus vel de adversa corporis mei valetudine. Ad Illustrissimos DD. Episcopum Firmanum et S. Congregationis

Propagandae Fidei Secretarium diversis vicibus litteras dedi, sed nullum ab illis, ex quo in Italiam redierant, responsum accepi. Unicum, quod jam ipsos rogo, est, ut (si idoneum esse judicaverint) pauperem et exilio multatum amicum litteris diu expectatis consolentur, vel aliquod ad me dirigant instrumentum ipsorum manibus roboratum, quo testatum faciant qualem me esse norint, et quo pacto in afflicta mea patria inter haec tempora procellosa me gesserim ? " Haec ille, vir bonus, pius, in quibus (credo) paulo postea vitam exul pie finivit.

(**50**) D. Joannem Fitz-Patricium, qui aliquot Catholicorum millia apud Lageniam suam in armis habebat, privata authoritate nescio quae submissionis pacta hoc anno cum Parlamentariis ad exeuntem Februarium celebrasse vidimus, quibus factum ut iisdem hostibus potestatem facientibus, cum aliquibus deinde viribus in Hispaniam trajecit, ubi Regi Catholico, Philippo 4°, militarit. Quae ejus defectio cum aliis circumstantiis Galviam velut jam auxilium desperantem ad deditionem impulit, et Catholicos omni confaederationis renovandae spe dejecit. Quinetiam (sicut praelibatum est) |
2268 praesidente Episcopo Laghleniensi, mense Februario celebrata fuere in loco Garviensi Provincialia Lageniae Comitia. In quibus, pessundatis Congregationis Ecclesiasticae anno superiori in eadem Provincia celebratae actis, Commissarii a Lageniensibus ad tractandum suo nomine cum Parlamenti in Ibernia Commissariis electi. De cujus rei successu Doctor Enos :

Just. cap. 17. num. 14. (**51**) " Anno (inquit) 1652 mensis Maii die 12° de mandato Deputati Generalis, Clanricardii, Lagenienses se submittunt nulla pacta pro vitarum, bonorum, aut possessionum securitate, conditione sufficienti aut tuta. Pollebant autem tunc in sola Lagenia Catholici his viribus. Comes Westmediensis binas habuit legiones, alteram equitum, peditum alteram, Walterus Dungan legionem equitum, Walterus Bagnal etiam legionem equitum. Habuerunt praeterea Vicecomes Costeloghensis et Comitatus Longfordiae suas equitum turmas, nec non Chiliarchus Ludovicus Moore suos equites et pedites. Locumtenens Generalis Lageniae, Hugo Mac Phelim Byrn legionem habuit peditum ut et Thomas Esmond. Chiliarchus Brien Mac Phelim, Daniel Kevanagh, Lucas Tohil, Jacobus Dillonus, Chiliarchus Fitz-Simons et Comitatus Longfordiae suas habuere peditum legiones adeo ut in sola Lagenia undecim extiterint (quando arma posuerunt) Catholicae legiones peditum, equitum vero tres, praeter plures et varias equitum turmas Vicecomitis

Costelloghensis, Chiliarchi Ludovici O Morraei et Comitatus Longfordiae, quae in meo catalogo sub nomine Legionum non veniunt. Quae sane vires solae duce uno atque altero fido, experto, et magnanimo omnibus in Ibernia Comitialibus ad septennium negotium cum incremento Catholicae religionis facesserent. Quod si reliquae in tribus aliis Regni Provinciis Catholicae adunarentur copiae, longe | validiorem et 2268
numerosiorem constituerent exercitum quam fuerint omnes in v
toto Regno copiae hostiles, nisi sua praesidia praesidiariis denudarent maxime cum supra numero 6 tredecim militum millia Catholicorum ex duabus duntaxat Provinciis recenseantur. Sed quia *recesserunt a testamento sancto*, faederatione Catholica, 1. *Mach.* 1. 16.
et juncti sunt nationibus, haereticis, schismaticis, et perduellibus *venumdati sunt ut facerent malum*. Nec sanctius nec faelicius Machabaei, quam Faederati Catholici in Ibernia bellum contra hostes perduelles et haereticos auspicati sunt. Sed illi quam hi ob faedera cum Dei hostibus inita funestiori sancta sua bella clauserunt catastrophe ; et jam proditis hosti urbibus et praesidiis uterque ingemiscens clamare posset : *Facta est tribulatio magna in Israel qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israel.* Hujus autem infamis Lageniensium submissionis principes fuerunt actores, qui in defectione a Faederatione Catholica et cum haereticis conjunctione principatum tenuerunt, videlicet post ipsum Clanricardium Comes Westmidiensis (Mediae Occidentalis), Walterus Dunganus, Vicecomes Clanmalier, Robertus Talbottus, Richardus Barnevallus, Walterus Bagnall et Thomas Tirell." Haec ille.

(52) De eadem etiam re ulteriora dicentem Antonium Mageogheganum audi : " 12° Maii (inquit) Mediae Occidentalis Comes cum reliquis Commissariis turpissimas cum Parlamentariis ineunt conditiones, neglecta religionis Catholicae et propriae libertatis cura, et exclusis ab omni penitus pace et conniventia ecclesiasticis. Ut autem res haec sibi minus imputaretur, | Kilkenniae post salvi conductus ipsis, ut illuc irent, dati 2269
expirationem manentes dixerunt se a Commissariis Parlamenti incarceratos, donec paci utrinque iniquis conditionibus subscriberent, ac propterea se subscripsisse illis articulis, cum tamen magis sategerint singuli proprio quam communi religionis aut patriae commodo providere." Haec ille. Et paucis interjectis : " 16° (inquit) Maii Vice-Colonnellus, Richardus Duin cum manu militum factus obviam Mediae Occidentalis Comiti, Richardo Barnevallo, Thomae Tirello, et Ludovico Morro

redeuntibus a conclusione pacis cum Parlamentariis, eos apud se per triduum detinuit in custodia, quod tam iniquis conditionibus cum haereticis convenerint absque ulla provisione securitatis religionis aut vitae nativorum. Verum datis ad eum eo fine per nuncium consulto missum litteris a Reverendissimo Laghleniensi, cujus nutu res Catholica tunc in Lagenia unice regebatur, liberi dimittuntur, cum tamen satius esset eos non comprehendi quam ita dimitti." Haec Antonius.

(**53**) Laghleniensis tamen et alii non nulli Lageniae ecclesiastici inferius nominandi in diaecesis Midensis loco, qui Ibernice *Doire-na-neach* vocatur, congregati conditiones inter praefatos Lageniae Commissarios et Parlamentarios pactas examinarunt, et nomine Congregationis utriusque Cleri Provinciae Lageniensis eas censuris prohibuerunt. Quod ostendit Laghleniensem in Comitiis Laghleniensibus mense Februario celebratis non
2269 consensisse ut Commissarii a | Lageniensibus ad Parlamen-
v tarios de contrahenda pace acturi destinarentur, nisi ea mente ut rei Catholicae, quam fieri posset optime, per illum contractum consuleretur. Censurae autem sententiam hic habe :

" In Nomine Dei. Amen.

" *Per Congregationem utriusque Cleri Provinciae Lageniensis.*

(**54**) " Cum jam compertum habeamus contra intentionem non solum Provinciae Lageniae, sed etiam totius Regni et majoris partis Cleri et populi ac militum Catholicorum, die 12° Maii instantis iniquissimam pacem per quosdam Provinciae proditores et nostrae associationis detestabiles ministros, nec non contra voluntatem et intentionem publicam D. Marchionis de Clanricard, suae Majestatis in hoc Regno Proregis, inter Catholicos et Parlamentum Anglicanum conclusam fuisse, cujus omnes et singulos articulos prius a nobis omnibus simul congregatis mutue et diligenter discussos et tanquam injustos et iniquos per nos die 25° mensis praedicti, nemine excepto, damnatos et religioni Catholicae, nationis libertati, Dei omnipotentis gloriae, Regis magnae Britanniae praerogativis, innocentis populi prosperitati exitiales censemus. Nos igitur infrascripti sub paena excommunicationis ipso facto incurrendae omnibus et quibuscumque, tam ecclesiasticis quam saecularibus, in quacumque dignitate vel praeeminentia constitutis prae-
2270 cipimus et | mandamus, ne supradictam pacem quocumque

modo per se vel per alios, directe vel indirecte, consilio, auxilio, vel favore foveant, defendant, vel acceptent, nec non sub eadem paena praecipimus omnibus et singulis Generalibus, Colonellibus, Ducibus, officialibus, militibus, et quibuscumque aliis, ne ejusdem ministris sub praetextu supradictae iniquissimae pacis se ingerere, aut quovis modo ex superius enarratis eidem vel eisdem adhaerere praesumant, aut audeant arma sumere contra exercitus Catholicos dictam iniquam pacem impugnaturos. Cui etiam paenae omnes et singulos subjacere volumus et decernimus, qui supradictam pacem de facto acceptarunt, nisi infra novem dies ab harum publicatione in castris vel castro, resipiscant, vel si ipsam ulterius quoquo modo sectentur, districteque praecipiendo mandamus omnibus praesbyteris et Religiosis cujuscumque dignitatis, ordinis, aut praeeminentiae existentibus, sub eadem paena ne praesumant aut audeant Missam celebrare, Eucharistiam ministrare, aut Confessiones supradictis audire nisi in mortis articulo. Ultimo praecipiendo praecipimus sub iisdem paenis ut hanc nostram ordinationem, inhibitionem, et mandatum intra Missarum solemnia sacerdotes et Religiosi publicari faciant. Quicumque autem ausu temerario contrarium hujus nostrae ordinationis, intentionis, et praecepti insinuare praesumpserit, maledictionem Dei omnipotentis et nostram se noverint incursuros. Datum in loco nostri refugii (erat autem locus *Doireneneach*) die 25 Maii 1652.

Fr. Edmundus Laghleniensis Episcopus. Eugenius Duin J. U. Doctor et Rector de Gesil. Fr. Edmundus Morus Prior Atiensis. Fr. Bonaventura O Melaghlin Guardianus de Killihi." |

(55) Hae censurae (quibus D. Antonius Mageogheganus quod ex subscribentibus solus Laghleniensis eas fulminandi jurisdictionem haberet, et *quod expulsoribus Ministrorum Sedis Apostolicae faverent*, subscribere noluit) quem fructum tulerint, me latet. Praefatae tamen pactionis authores illis censuris a sententia deterritos fuisse non invenio, crediderimque a pactis semel contractis non resiliisse. Porro Antonius Laghleniensi inconstantiam imputare videtur, quod anno superiori in Provinciae Dubliniensis Congregatione Ecclesiastica Regiminis mutationem juxta acta ibi condita, et suo loco posita, faciendam decreverit, et hoc anno mense Februario in Provincialibus

2270 V Ant. Rel.

Lageniae Comitiis ab illius Congregationis actis resilierit, et per harum censurarum sententiam aliaque acta inferius laudanda Regimen inter Catholicos ante conditas anno superiori illas Congregationis Ecclesiasticae sanctiones stabilitum, et nominatim Clanricardii praefecturam agnoscat. Verum parum dubito quin Laghleniensis aliique in illis Provincialibus Lageniae Comitiis hoc anno 1652 mense Februario celebratis a Congregationis Ecclesiasticae anno superiore in Lagenia convocatae actis non recessisse, nisi audito Antonium per literas notis arcanis scriptas, et Galviae (sicut vidimus) ad ineuntem Februarium interceptas, consilia cum Crellio, Londini se tenente, per hostium operam et manus miscuisse. Quo semel cognito Antonii mentem, conatum, et industriam suspectam habuerint, et ab illis actis anno superiori ad ejus suggestiones conditis,
2271 tanquam ab eodem fonte derivatis, | resiliendum duxerint. Caeterum quidam exercitus Lageniensis Chiliarchi, spretis Joannis Fitz-Patricii et praefatorum Commissariorum Lageniensium pactis cum Parlamentariis initis, in causae Catholicae armis defendendae proposito perstiterunt, nempe Richardus Grace, Theobaldus Magaulius, Carolus O Moloius, Hilarius Walshaeus, et Daniel O Carol, quorum hunc Antonius Mageogheganus, jam, mortuo Episcopo Midensi, Vicarius Generalis Midensis, et aliis praelaturis insignitus, tanquam Fitz-Patricio in pacto cum Parlamentariis inito adhaerentem excommunicaverat et nunc deserto Fitz-Patricio, a quo cum trecentis viris ad praefatas partes Catholicas transiit, paenitentem ad Laghleniensis instantiam absolvit. Porro omnes jam dicti in sano consilio persistentes non nisi mille circiter et quingentos, partim equites, partim pedites sub vexillis habebant.

(**56**) Itaque ex Provinciae Dubliniensis Clero Episcopus Laghleniensis et P. Bonaventura O Melaghlin, ex Ardmachanae vero Provinciae Clero Antonius nec non praefati militiae duces 9° Junii 1652 in diaecesis Midensis loco, vernacule *Doire-na-neach*, de modo, quo procedendum esset, deliberarunt. De qua re Antonius lege :

(**57**) " Tunc (inquit) ursit D. Antonius Reverendissimum
Ant. Rel. Laghleniensem ut renovaret cum his paucis copiis unionem et confaederationem, prout statuerunt et promiserunt declarando se pro sola religione, sepositis vel tacitis aliis quibuscumque
2271 motivis et finibus. Haec ad | hoc proponit motiva.
v (**58**) " I^m motivum. Res Catholicorum Iberniae adeo

desperatas esse captis urbibus et munitionibus, absumptisque bellatoribus et plebe, peste, fame et bello, et restare videri unicum recursum ad Deum, solum istarum angustiarum liberatorem, qui recurrentes ad se in extremitate non deserit, sed favet. Ideoque pro sola religione declarandum in tanto periculo, cum teneantur ad Deum recurrere pro faelici successu.

(59) " 2m. Cum in causa Dei non sit dissimulandum, juramentum et confaederationem Catholicorum nihil continere debere, quod cum religionis libertate repugnaret, qualis est supportatio authoritatis cujusvis, qui faedus iniisset in odium et exterminium Catholicae religionis, cum tale juramentum in conscientia non obliget. *Fallere enim fallentem non est fraus*, et *frustra sibi fidem ab eo quis postulat servari, qui fidem a se praestitam servare recusat.* Reg. Juris in 6°. 75. Non magis siquidem subditi Principi fidelitatem praestare tenentur, quam is eorum curam et tutelam suscipere. Aliter faciens deponi meretur, et alius in ejus locum substitui. Sic privatus fuit Childebertus in Gallia suo Regno, quia inutilis, et Regnum datum Pipino. Cap. alius. 15. q. 6. Ita Valdesius cap. 18 no. 25. Cap. Apostolica de re Judicata in 6. Bellarm. lib. 5. c. 8.

(60) " 3m. Si pro religione sola declarent, non debet ideo Rex offendi, quia qui vere est pro Deo, | paratus est reddere 2272
suum unicuique, quae sunt Dei Deo, quae sunt Caesaris Caesari. Nec fieret illi injuria cum Patria, cui, aeque atque illi, debetur fidelitas, in ea declaratione taceretur, cujus causam nemo lubens omitteret.

(61) " 4m. Per hoc reliqui Principes Catholici eorum curam et protectionem facilius suscipient. Si autem Regem nominarent, nemo Principum cum illis tractaret absque ejus licentia, quam nemini dabit ipse sine suis conditionibus. Hoc retardavit Lotharingum a succurrendo citius Iberniae. Rex autem nunquam permitteretur a Consiliariis haereticis aequas dare conditiones Catholicis.

(62) " 5m. Si fiat declaratio, ut fuit hactenus, aperta relinquetur ansa iis, qui Sedem Apostolicam, Nuncium ejus ejiciendo, offenderunt, faciendi omnia ad suum libitum cum sint a Rege semper praeficiendi gubernio, in cujus jurium et praerogativarum defensionem asserent se facere et fecisse, quicquid deprimendo ecclesiasticos, violando immunitatem ecclesiasticam, etc., fiet ab illis. Unde nunquam satisfiet Suae Sanctitati aut Sedi Apostolicae.

(63) " 6m. Declarando pro religione tantummodo Catholica

satisfiet non solum Catholicis Principibus, a quibus suppetias expectant, sed etiam omnibus statibus et Rebuspublicis; ipsumque Angliae Parlamentum fiet ipsis minus infensum, cum ipsi pro libertate sua bellum se suscepisse dicant, adeoque in
2272 aliis id rationabiliter improbare nequeant, | praesertim cum
V quidam eorum existiment nemini suae religionis libertatem auferendam. Deinde declarando pro Rege, offenderentur alio novo motivo cum Rex sit eorum hostis.

(**64**) " 7^m^. Non faciendo hoc (prout Curiae Romanae nuper promiserunt) judicabuntur inconstantes, ne dicam perfidi.

(**65**) " 8^m^. Hanc unicam esse viam revocandi infamiam, quae de nostratibus sparsa est apud exteros, quod cum pro Deo agere se mundo declarent, a proposito deficiant.

(**66**) " Ad objectiones. 1°, quod forte Parlamentum concederet iis libertatem fidei, sed non praediorum, etc. Respondetur, si darent perfectam libertatem fidei sufficeret, quia caetera inde sequerentur juxta Evangelium : Quaerite primum Regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis, l. humana consequentur ad divina. Gratia naturam non destruit sed perficit. Quare si Catholici 1° stabilirent quae Dei sunt, ipse eis concederet humana. Quia qui dat esse, dat consequentia ad esse. Qui facit quod debet, habebit quod consequi debet. Unde declarando se pro religione sola non solum se suaque non traderent, sed suae conservationi providerent. In hac enim urgente necessitate non est qui adjuvet, nisi tu Deus noster.

(**67**) " Objicies 2°, ex tali declaratione fieret divisio
2273 Catholicorum Regni, nempe sincerorum et eorum, qui | regiis (ut aiunt) praerogativis adeo consulunt ut non nisi propter illas in bello perseverarent, et consequenter debilitaretur confaederatio, maxime cum Protestantes nunquam se nobis conjungerent nisi fieret pro Rege declaratio. Respondetur: rationes illae exterius et politice apparent bonae, introspectae vero nullae sunt. Quid enim cum politia ista humana habent homines profitentes se palam pro causa Dei et quibus ad propositum finem humana alia non suppetunt media, nisi a Dei providentia et charitate atque amicitia externorum Principum? Esto abstracturi sint se non nulli faedifragi, Ecclesiae impugnatores, etc., qui nunquam erant cum eis conjuncti, nisi in malum religionis. Amplius inde bonum quam malum pareretur Catholicis. Nam propter eos, eorumque impietates, sacrilegia,
Iosue. 7. etc., saeviit ira Dei in totam nationem, sicut in Israelitas, quamdiu inter eos extitit Achan anathematizatus. Sed liberati

ab hoc anathemate recte incesserunt, et reliquum terrae promissionis, Domino praecedente et adversariis terrorem incutiente, expugnarunt. Unde separatio excommunicatorum non debilitaret, sed roboraret Catholicos. Quod autem Protestantes regii se nobis non conjungerent, bonum esset potius, quia sint jurati fidei Catholicae hostes. Nullam ei nocendi occasionem praetermiserunt. Nunquam ei faverunt suis declarationibus, legibus, aut factis. Testes sunt tot caedes ab Ormonio et aliis Dubliniae, Cassiliae, et alibi factae. Unde | talium Catholicorum et haereticorum exclusio prodesset 2273
conservationi eorum qui vere Catholici sunt." Hactenus Antonii v
rationes. Ibidem autem subdens : " His tamen (inquit) non obstantibus, Laghleniensis, et ii quos habuit a consiliis, annuere noluerunt, sed 11° Junio inter officiales illius exigui exercitus formarunt Juramentum Confaederationis de pugnando pro Rege, religione, et patria, spondentes et jurantes obedientiam Clanricardio, tanquam Proregi, et Colonello Richardo *Grace*, Ormonistae, electo pro officiali praecipuo, scripserunt de his ad Clanricardium, agnoscentes eum in Proregem et postulantes ejus confirmationem. Aegre autem ferente Reverendissimo Laghleniensi, D. Antonium noluisse subscribere sententiae excommunicationis latae nomine Congregationis utriusque Cleri Provinciae Dubliniensis in submittentes se paci initae per Commissarios Lagenienses Kilkenniae 12° Maii immediate elapsi cum Parlamentariis, respondit alter eos contempsisse tot excommunicationes cum deesset brachium saeculare, quo cogerentur. Deinde ipsos semel incarceratos impune fuisse dimissos.

(**68**) " 3°. Se in re tanta expectaturum sensum sui metropolitani. 4°. Locum illum, in quo censura fulminata fuit, esse suae diaecesis non Laghleniensis, qui proinde non potuit ibi externum jurisdictionis actum exercere absque licentia." Haec Antonius.

(**69**) Antonii consilia etiam ab iis, qui eum anno superiori libenter audierant, parvi facta fuisse crediderim, | ex quo 2274
semel innotuerat ipsum litteras notis arcanis scriptas mense Februario Londinum ad Parlamenti Anglicani Secretarium Status direxisse, exindeque hostium opera alias notis pariter adulterinis exaratas a perfido Crellio ad ipsum (sicut praelibavimus) fuisse destinatas. Porro praefatis copiarum Lageniensium reliquiis paulo post a Clanricardianis in Conaciam accitis, Chiliarchus Richardus Grace, eorum dux, jussit ut

oppidum Loghreaghense ab haereticis anno superiori captum expugnarent, diriperentque. Quod dum tentarent, ex improviso Angli, vicinorum oppidorum praesidiarii, in Lagenienses impetum fecerunt, et Theobaldo Magaulio, Tribuno, occiso,
Ant. Rel. multisque aliis partim caesis, partim captis, Richardus *Grace* *pudenda fuga se salvavit.* Nec solum sed et Angli, duce Hieronimo Sankeio ad finem Junii Insloghurum Richardi jam dicti praesidiariis munitum obsederunt. Quo audito, Episcopus Cluanmacnosiensis et Antonius Mageogheganus litteras in Ultoniam scripserunt, rogantes ut sexcenti Ultoniensium opem ferrent. Hoc tamen non obstante, *Insloghurum* deditum fuit Sankeio, cum quo etiam Richardus suo suorumque nomine ita mense Julio occulte tractare caepit, ut mense Augusto inter ambas partes conventum sit iisdem conditionibus, quibus Mediae Occidentalis Comes, aliique superius nominati mense Maio se
2274 Parlamentariis submiserant. Quod pactum Richardus | ejusque
v partes celebrarunt annuente (inquit Antonius) vel non abnuente ipso D. Episcopo Laghleniensi, fide publica eundi in Hispaniam Episcopo et aliis ecclesiasticis obtenta, *nulla facta mentione religionis aut alterius, ad quae tamen se obligavit ante duos retro menses.* Sunt Antonii verba, qui in horum patrocinium addidisset Clanricardium aliosque (sicut videbimus) antea in Conacia, et Muscrium in Momonia certis conditionibus bello Ibernico nuncium remisisse, proindeque praefatis Lageniensibus antea quidem paucis sed tunc numero imminutis fuisse unde eorum sententiae mutatio minus taxaretur. Caeterum Antonius ad binos Tribunos, Richardum *Grace* et Carolum O Moloium litteras dedit percontans quibus conditionibus bello destiterint. Carolus autem respondit hoc epistolio.

Ant. Rel. (**70**) " Tuas ad Colonellum *Grace* et me litteras perlegi et exemplar remisi conditionum initarum inter Colonellum *Grace* et Sankeium ex parte sui et aliorum associationis nostrae, qui eas acceptarint. Quod attinet ad associationis Juramentum, nunquam tractatum inivimus antequam ea de re Reverendissimum Laghleniensem consuluimus. Cui ad hoc praestandum tenebamur, et nisi ob meram ignorantiam et oblivionem even-
2275 isset, nunquam ego quidpiam in ea re | fecissem te inconsulto et pro hoc ex Reverentia vestra veniam peto. 26 Augusti 1652.

Carolus O Moloy."

(**71**) Itaque his exercitus Lageniensis reliquiis in Hispaniam ad militandum Regi Catholico cogitantibus, reque ipsa deinde eo transportatis, in Lagenia solus Brienus O Bruin cum pauc-

ulis inferioris Lageniae viribus rem Catholicam armis asserere conabatur. Qui et ipse ad angustias redactus mense Decembri hoc anno cum paucis clam in Ultoniam transivit ; quo factum ut tota Lagenia pleno haereticorum Anglicorum imperio permissa fuerit.

(72) In Conaciam redeo ; ubi Clanricardius capta ab hostibus Galvia in Galliam trajecturus alterum in navi pedem habuit. Verum ubi Ultonienses ad Sligoae et Lietrimiae Comitatuum confinia in unum exercitum coaluisse et bellum in hostem prorogaturos esse comperisset, mense Maio pedem retulit et cum Conaciensium ac Ultoniensium septem millibus in Ultoniam penetravit, desideratisque suorum circiter quadringentis Bellasananum cum quatuor aliis castellis expugnavit. Venablo autem ex una parte et Cooto ex altera cum utriusque viribus | irruente, Prorex cum suis ita receptui cecinit, ut hostes 2275
Bellasananum recuperarint. Quo tempore inter Venabli v
exercitus alas et nostros non nullae intervenerunt in Ibernorum laudem atque hostium detrimentum congressiones ; sed Vicecomite Maioensi et Richardo de Burgo, Clanricardii patruele, cum ipsorum cohortibus ad alios Catholicos tempori non accedentibus et Clanricardio in occultae proditionis suspicionem vocato, proindeque et ob alias causas ab Ultoniensibus deserto, solitae partium Catholicarum discordiae progressum stiterunt.

(73) Antonius Mageoghenganus tradit Clanricardium, cui conatus occultos in Ultoniae et Lageniae Congregationibus Ecclesiasticis anno superiori celebratis ad confaederationem Catholicam solius fidei causa erigendam adhibitos innotuisse vidimus, ne se absente Iberni faedus illud percuterent et toto Regno stabilirent, jam in Gallias trajicere paratum sua illa trajectione supersedisse, et mandasse ut Bellasananum, quod (sicut diximus) recens expugnaverat, Cooto dederetur accedenti tantum cum duobus militum millibus itinerum labore jam defatigatis, et ad pugnandum ineptis, ipsumque Proregem cum septem armatorum millibus in citeriores Ultoniae partes recessisse. Alii tamen fide digni tunc in Urbem scripserunt nostros, superveniente (sicut tetigi) utroque exercitu haeretico, *fuisse necessitate adactos ad recedendum.* Porro suspicionibus succrescentibus et Ultoniensibus | metuentibus, ne ipsi sub 2276
Clanricardio velut censuris non solum illis quas Nuncius ad annum 1648 fulminaverat, sed etiam aliis multis ipso jure contractis irretito nunquam prosperarentur, et Clanricardio se excommunicationem incurrisse pernegante, atque adeo ne causae

controversae praejudicaret, absolutionem petere nolente, " Ultonienses (sunt Antonii verba) tam manifestam advertentes proditionem ediderunt protestationem et declarationem se nulli Duci aut Proregi obedituros, qui sit excommunicatus a ministro Sedis Apostolicae, nisi facta submissione absolutionem impetraret. Quapropter D. Marchio cum suis ita in Ultonia rejectus rediit in Conaciam." Haec Antonius. *Protestationem autem et declarationem* in Clanricardium ab Ultoniensibus editam conjecto eam esse quam inter acta a Provinciae Armachanae Congregatione Ecclesiastica ad annum superiorem lata collocavi, cui titulus est *Declaratio et Excommunicatio Congregationis utriusque Cleri Ardmachani contra Clanricardium eique adhaerentes.* Incipit autem per haec verba : *Pastoralis nostri officii ratio exigit,* etc. Porro in ejusdem acti titulo post verba jam dicta sequuntur et haec : *quam Congregationem Clerus reliquarum Provinciarum imitatus est.* Quae verba non a Cleri Ardmachani Congregatione ad annum superiorem celebrata sed postea addita fuisse res loquitur. Quare illis tunc in titulo abstinui. Nec ea aliter vera esse video quam modo, quo superius retulimus Provinciae Dubliniensis Congregationem
2276 mense | Septembri 1651 celebratam acta similia condidisse,
v et quosdam suo loco memoratos ad Conacienses et Lagenienses clanculum missos, deindeque regressos 21° Septembris 1651 actis publicis superius positis fidem fecisse sinceros ex utriusque Provinciae Clero populoque acta per eandem Cleri Ardmachani Congregationem Ecclesiasticam condita probasse et rata grataque habuisse. Caeterum Clanricardius ab Ultoniensibus rejectus, et in Conaciam reversus, Carolo Cooto, penes quem in Conacia sub Parlamento Anglicano summa rerum esset, quem illius Provinciae Praesidem vocari video, se submisit certis conditionibus utrinque pactis et Ballinamotensi nec non Sligoensi castris in Cooti manus traditis. Vicecomes etiam Maioensis, et Chiliarchus Richardus de Burgo, Clanricardii contribules, aliique pari submissione bello nuncium remiserunt, " renitente tamen (inquit Joannes Dulaeus) animo. Et non mirum, cum nullas omnino conditiones super exercitio Catholicae religionis aut de securitate possessionis suarum terrarum vel quoad personalem libertatem obtinuerint. Haec nefanda submissio facta est 12 die Julii praeteriti apud *Dunmore* in Comitatu Galviae." Sic ille litteris Tuamia Romam ad Massarium directis 5° Augusti 1652.

(**74**) Clanricardius postea in Galliam, exindeque in suam

Angliam se recepit, ubi pseudo-Republica Anglicana et tyranno, Cromuello permittente reliquos vitae dies degit. Quod cum aliis alibi relatis probat eum de haereticis Anglicis in Ibernia et causa Catholica apud eam tot annos prodenda optime sed turpissime meruisse. | De quo Doctor Enos dicit : 2277
" nullum in tota Ibernia ab inchoato bello fuisse religionis et *Just.* patriae hostem, cui non favebat, aut etiam defendebat. Nullum cap. 17. num. 13. fuisse amicum aut fidelem subditum, quem non est persecutus vel certe odio non habebat. Nihil toto Regno ab inchoato bello in praejudicium religionis, Regis, et Regno factum, cui non est cooperatus vel suis sane factis probavit. E converso nihil ab omnibus fidelibus Majestatis subditis in commodum et emolumentum religionis, Regis, et Regni ab inchoato bello patratum, cui non adversabatur. Cruenta sunt et incredibilia quae a suscepto Regni clavo patravit facinora. Loca a Faederatis occupata hosti Parlamentario ultro prodidit, a Faederatis iisdem ab eodem hoste armata vi extorta eidem mox turpi deditione prodidit. Stipatus milite pugnacissimo et numerosissimo hostem contemptibilem et viribus longe imparem loca omnia invadere, munitiones occupare, in faederatos saevire et ubique praedas agere permisit nugatoriam hanc quandoque allegans excusationem, scilicet se nolle suos periculo exponere milites donec subsidia advenirent Lotharingica. Tunc (inquiebat) unitis viribus hostem aggrediemur. Interim tota animi contentione impediebat quominus vel ipse Lotharingus veniret vel ejus in Iberniam trajicerentur subsidia." Haec ille, qui etiam plurima alia de Clanricardii proditionibus in eodem opere habet, quae brevitatis studio sileo. Richardus de Burgo, ejus patruelis, bonis spoliatus in continentem navigavit, et Angliae Regi, nec non Ormonio, | cujus amitam in uxorem 2277
duxerat, adhaesit, Clanricardiae Marchione post pauculos annos V
in Anglia sine filiis defuncto, in Clanricardiae non Marchionem sed Comitem (nam haec sola dignitas avita fuit) salutatus velut proximus haeres masculus ; Vicecomes Maioensis in eorum, quae in Anglos inter hoc bellum gesserat, quaestionem postea vocatus, et ab haereticis propterea in Ibernia morte multatus, Cooto, cui se submiserat, primas in ea tragaedia partes agente.

(75) In Momoniam transeo ; ubi Muscrius ante alios iis, qui Angliae haereticis negotium hactenus facesserent, praeerat. Is ut ab haereticorum eruptionibus et digressionibus longius distaret a sua Muscria, territorio a tribus circiter annorum

millibus avito, cum uxore et familia ab aliquot hujus belli retro annis in Comitatum Kierriensem se recepit, et in loco, quem Ibernice *Ros-hui-Dhonochu* vocant, domicilium elegit. Quod castellum et longe patens vicinia ad ipsius familiam et familiae Principem MacCartium *Magnum*, Clancartiae Comitem, ita spectaverant, ut Regina Elizabetha, quae plurimorum in Ibernia jura iniquissime turbaverat, Valentino Brouno, Census Equestris, Anglo-haeretico, concesserit, cujus ex filio Nicolao et nepote Valentino pariter Equitibus auratis pronepos, Valentinus, eiusdem ordinis Equestris, paulo ante inchoatum hoc bellum obiit relicta uxore vidua, Maria Mac-Cartia, Muscrii sorore, cujus, nec non liberorum pupillorum, alias forsan a
2278 Mac-Cartii *Magni* haeredibus bello | deturbandorum, Muscrius patrocinium suscepit, et praefatum Castellum exterioribus muris ac fossis munivit, loci ingenio satis superque ab ipsa natura vallatum. Nam *Lacus Lennius* aliquot milliaria latus et aliquanto longior, proindeque plura in circuitu milliaria numerans, quem ex altera parte *Mangurtius*, mons peraltus, et sylva vasta pene inacessibilem efficit, peninsulam, in qua Castellum conditum est, ita alluit ut vix centena hominum millia ad lacum undique obsidendum sufficerent, quin Castello subsidia cymbis, quas, easque magnas, lacus fert, facile suppeditarentur, praesertim illabente superius in lacum *Fleskio*, flumine, et inferius lacu pariente fluvium nobilissimum, *Leaunium*, copiarum obsidentium inter se communicationem nisi ponte, qui tamen ad lacus fauces haud facile construeretur, praepediturum non salmonum modo superbissimorum sed etiam gemmarum feracem, ipsumque lacum Nennius Britannus quatuor circulis fodinae, 1° stanni, 2° plumbi, 3° ferri, et 4° aeris ambiri dicit. Et subdens: "in eo (inquit) stagno margaritae multae reperiuntur, quas ponunt Reges in auribus suis." Sic ille, author pervetustus. Vide Waraeum *Antiquit. Ibernic.* cap. 14.

(**76**) Alteram Castelli partem continenti respondentem ab eadem continente submovet si non porthmus (nam jam non bene memini) certe isthmus satis arctus et defensu facillimus, deindeque ab utraque parte vicinis laci ripis contermina est palus late patens adeo aquis partim ex lacu subinde exundantibus, partim ex ipso centro pullulantibus, partim ex |
2278 editioribus viciniae locis profluentibus sepulta ut in Castellum
v ex vicinitate non nisi aggere et humo congestitia per longum tractum fossis aquosis utrinque vallata et lapidibus strata

singuli vel bini descendant. Itaque hoc Castellum loci situ defensioni aptum Muscrius industria ac labore magis muniendum curavit peninsula in oppidum induta, in quod Momoniae Praelati atque alii ecclesiastici, et viciniae late patentis proceres, nobiles, mercatores, nec non Killarniae, emporii uno circiter lapide distantis, indigenae Anglorum furore compulsi magno numero confluxerant. Quos omnes juxta ac locum ipsum haeretici ad Killarniam hoc anno obsederunt, oleum et operam perdituri, nisi jam totam pene Iberniam, nedum viciniae Castella, occupassent et nulla opis nec a Lotharingo nec ab aliis ferendae spes superesset. Quo factum ut vel ipsa fame cogente Muscrius locum ad mensem Julium dediderit conditionibus, de quibus mihi nihil constat, nisi quod obsessis vita fuerit in tuto posita, et obtenta in exteras nationes transmigrandi fides publica, nec non ipsi Muscrio nescio quantum militum censum in easdem transferendi potestas. Ille deinde cum duabus cohortibus velut stipatoribus in Hispaniam trajecit, postea juxta leges cum Rege Catholico paciscendas in Iberniam militiae ibi conscribendae, exindeque in Hispaniam vel alia Hispani dominia transportandae causa regressurus. Verum rebus in aula Madritensi | ad ejus nutum non succedentibus, 2279
duas illas militum cohortes Richardo et Dominico, Feriteri filiis secum in Hispaniam profectis ibi reliquit sub Hispano stipendia facturis, ipseque promissam a Parlamentariis militiam alio conducturus remigravit, sed a praeclaris illis pactorum publicorum violatoribus, Parlamentariis, Dubliniae in carcerem conjectus est. Parumque abfuit quin post diutinos custodiae squalores capite luerit ; quod vitae ejus discrimen et quo pacto illorum carnificum manus minasque evaserit, inferius perstringemus.

(77) Joannis Barrii, Chiliarchi, egregii Ormonistae saepius mentionem fecimus. De quo Doctor Enos post longam super Comitis Portu-Castellani proditionibus digressionem : " alium (inquit) in eadem Provincia Momoniae socium perduellionum habuit (Portu-Castellanus) Chiliarchum Joannem Barrium, qui (ut supra dixi) ex Anglia in Iberniam ab Ormonio missus, induciarum cum Insequinnio contractarum primus motor fuit. Ille ab eodem Ormonio ad dignitatem et munus *Locumtenentis* Generalis in Momonia evectus, magna cum securitate egit apud *Castle-Lions* duodecimo a Corcagia lapide intra regiones hostium, quibus tributa solvebat. Contigit autem ut iidem hostes Parlamentarii ad municipium Kilmalocense excurrentes jumen- *Just.* cap. 17. num. 16.

torum praedam ab Ibernis Catholicis et regiis abstulerint,
2279 eandemque ad eundem locum | de *Castle-Lions* produxerint.
v Verum missus a Gubernatore Kilmallocensi cum equitum turma Capitaneus ablatam praedam hostibus extortam recuperavit et secum abducebat. Barrius, Locum-tenens Generalis equitum regiorum et Catholicorum in subsidium contra eosdem regios a perduellibus haereticis advocatus, equitum turma stipatus in partes illorum concessit. Recuperatam a regiis assecutus praedam ut restitueretur, imperiose postulat. Negat dux Regius et Catholicus, Fitz-Geraldus nomine, Barrio intolerabilem exprobans perfidiam, quod cum in regio exercitu locum Vicegeneralis equitum obtinuerat, stipendiaque in eodem meruerat, ausus sit cum Majestatis hostibus contra ipsam Majestatem ejusque milites et praesidiarios, quos potius defendere tenebatur, pugnare. Rogat proinde ut a nefariis desineret caeptis, ne siquid mali ipsi acciderét, sibi imputet. At ille insolentior pergens glande plumbea perfoditur, paenamque perfidiae et insolentiae infaelici morte luit." Haec ille. Porro non ad hunc sed ad annum 1649 exeuntem vel ad ineuntem annum 1650 Joannem occubuisse conjecto, hominem vita et morte infamem, quod Catholicus cum esset, infensissimo Catholici nominis hosti, Ormonio, tot annos in bello fidei causa a patriotis suscepto adhaesisset, et ad ejus nutum in omnes se facies sic in Ibernia, Anglia, et Gallia se vertisset ut ejus machinationes fidei Catholicae et patriotis exitiales ad optatum ab ipso exitum perduceret, deindeque ad ipsos Par-
2280 lamentarios descivisset, quorum causam ut in | Catholicos et patriotas sustineret vitam tot perfidiae maculis notatissimam morte magis infami conscelerávit.

(**78**) Natione Ibernica hoc anno 1652 ad deplorabilem statum redacta, plures tamen Regni magnates et nobiles cum adhaerentibus sibi viribus praesertim in Momonia, Conacia et Ultonia in Parlamentum Anglicanum constanter bellabant expectantes futurum ut Lotharingus in Iberniam appelleret, vel certe pares bello utiliter prosequendo suppetias transmitteret. Quare Parlamentum edidit actum crudelitatis et fraudis haereticae plenissimum eo spectans ut magna nationis pars aperto Marte deleretur, et alii veniae ac bonorum ex parte obtinendorum spe lactati bellum nec initiarent nec prosequerentur sed manus darent, deinde suo tempore viritim pari laniena afficiendi. Actum illud, quo etiam in non nullos haereticos a Rege stantes saevitum est, sanguine Catholico rubens inter ipsa nuncia

publica Londini Anglice typis mandatum fuit. Ex quibus hic Latine verto :

> " *Ex nunciis Anglicanis* 17° *Augusti* 1652 *Londini excusis et exordientibus a die Jovis* 12° *Augusti* 1652.

" Senatus hodie tulit hoc actum ad stabilienda Iberniae negotia.

(**79**) " Cum Angliae Parlamentum, multo sanguine et | aerario in horrida Iberniae rebellione supprimenda collocato, 2280 negotium illud, Deo ipsorum conatus specialiter prosperante, v in eum exitum perduxerit, ut illius nationis reductio totalis brevi secutura sit, hanc ob causam, et ut illius gentis homines sciant Parlamenti mentem non esse ut universa natio extirpetur, sed ad omnes agricolas, aratores, laboratores, artifices, atque alios inferioris ordinis, dum Reipublicae Anglicae Parlamento se submiserint, et sub ejus Regimine pacifice atque obedienter vixerint, misericordia et venia quoad vitam et possessiones extendatur, aliique superioris gradus et conditionis circa seipsos juxta respectiva demerita et considerationes, quibus obnoxii sunt, Parlamenti animum non ignorent, statutum et declaratum sit per hoc Parlamentum et ejus authoritatem quod omnes et singuli ex natione Ibernica, qui quacumque ex sequentibus *qualificationibus* comprehenduntur, erunt paenalitatibus et confiscationibus, de quibus eae mentionem faciunt, vel quae iisdem continentur, obnoxii vel efficiendi misericordiae et veniae ibidem contentae capaces respective.

(**80**) " 1°. Ut omnes, qui ante 10° Novembris 1642, quo tempore prima Comitia Generalia Kilkenniae in Ibernia celebrata sunt, rebellionem, homicidia, trucidationes in Ibernia patratas vel commissas, quae anno 1641 caeperant, continuarunt, monitionibus aut consiliis secundarunt, promoverunt aut perpetrarunt, vel quocumque antea tempore eandem | re- 2281 bellionem, homicidia, vel trucidationes secundarunt, astiterunt, promoverunt, patrarunt, prosecuti sunt, aut adjuverunt, vitae venia et possessionibus excludantur.

(**81**) " 2°. Ut omnes Jesuitae, sacerdotes, et alii a Papa vel Sede Romana, aut quacumque authoritate inde derivata, ad ordines promoti, qui rebellionem aut bellum Ibernicum, vel quascumque caedes aut occidiones, direptiones, vel violentias in Angliae Protestantes, aut alios ibi commissas quocumque

modo machinati sunt, monuerunt, consuluerunt, secundarunt, faverunt, adjuverunt, astiterunt, aut opem tulerunt, vel imposterum quacumque ratione machinati fuerint, faverint, adjuverint, astiterint, aut opem tulerint, vitae venia et possessionibus excludantur.

(**82**) " 3°. Ut Ormoniae, Portu-Castelli, Clanricardiae, Fingalliae, Roscommaniae, et Midiae Occidentalis Comites; Muscrius, Taaffus *de Correna*, Montgaretus, Cleanmallierus, Fermoyus, Maioensis, Germopolitanus, Montgomerius *ex Altitudinibus*, Netervillus, et Iveachus, Vicecomites; Slanius, Insequinnius, Athenrius, Louthus, Trimlestounus et Inniskillinus, Barones; nuperus Episcopus Deriensis Joannes Bramhalus; Jacobus Cusakus, Thomas Tirellus, Petrus Clintonus, Armigeri; Felix O Nellus, Georgius Monrous, Jacobus Montgomerius, Robertus Stewardus; Connus Magaengusius ex Comitatu Dunensi; Lucas Fitz-Geraldus ex Tecrohania; Richardus Barnevallus ex Cricopoli; Joannes Netervillus; Thomas Esmondus ex Comitatu Wexfordiensi; Joannes Magrahius ex Comitatu Tiperariensi, et Theobaldus de Burgo
2281 Vicecomitis | Maioensis filius, Equites; Chiliarchus Thomas
v Prestonus; Hugo O Nellus cognomento *Flavus*, Lucas Taaffus, Vicecomitis Taaffi frater, Zepherinus Brounus, Zepherinus Barronus, Patricius Darcius, Nicolaus Plunkettus, Armigeri; Geraldus Fenellus Medicinae Doctor, Hugo Phelimii O Bern ex Comitatu Wicloensi, Florentius Fitz-Patricius ex Reginae Comitatu, Armigeri; Tribunus Joannes Fitz-Patricius Florentii filius, Rogerus O Morraeus ex Ballina in Comitatu Kildariensi; Turlochus O Nellus cognomento *rufus*, Felicis O Nelli Equitis frater; Maelmurrius Mac-Suinnius; Daniel Mac-Aengusius Junior; Joannes Mortimerus; Rogerius Maguirius ex Comitatu Fermanachensi; Rogerus Magaengusius Brienni Junioris filius; Emerus Magaengusius ex Castello Vellano; Edmundus Magaengusius cognomento *flavus*; Seanus O Nellus Brienni; Turlochus Magrahius Jacobi Magrahii; Turlochus O Donellus Caffrii; Briennus O Cuinnius cognomento *lutulentus*; Briennus O Mulreanius; Patricius O Mulcrevius cognomento *vultuosus*; Turlochus O Cuinnius cognomento *severus* ex Monogouria in Comitatu Tironensi; Magnusius O Cahan cognomento *rufus* Tribunus; Tuahillus Mac-Macan; Walterus Bagnallus, Armiger; Edmundus de Burgo ex Clochania in Comitatu Maioensi; Purcellus ex Tiperaria, Knochmiae Baro; Thomas Cantuellus *ex Cantuelli Curia* in Comitatu Kilkenniensi; Edmundus

Hussaeus ex Moilia Hussaei in Comitatu Mediensi ; Hugo Hussaeus ex Galtrimia ; Joannes | Bellewus ex Williopoli in 2282
Comitatu Louthiensi, Armiger ; Philippus O Rellius Hugonis ex Comitatu Cavanensi ; Maelmorrius O Rellius ex Comitatu Cavanensi ; Collus Mac-Mahonius Brienni ex Comitatu Monachanensi ; Lusachus O Morraeus, Rogeri O Morraei jam memorati frater ; Nellus Mac Kenan ex Troucho in Comitatu Monachanensi ; Richardus Bellingus Armiger, Henrici Bellingi, Equitis, filius ; Laurentius Doudalus ex Athlumnia, Armiger ; Arturus Foxus ex Crumlinia in Comitatu Dubliniensi, Centurio ; Briennus O Birn, Phelimi filius, ex Comitatu Wicloensi ; Lucas O Tuahil ex Castello Kevini in Comitatu Wicloensi, Tribunus ; Joannes Creanus ex Sligoa ; Antonius Brabasonus ex Ballinasloa in Comitatu Roscomaniensi ; Petrus Fitz-Geraldus ex Ballisonania, vulgo vocatus Mac-Thomas ; Lisachus O Diomasa ex Comitatu Regio, Armiger ; Carolus O Conor *Doun* ex Fontipoli in Comitatu Roscomaniensi, Armiger ; Dermitius O Brien ex Comitatu Clarae ; Richardus *Grace*, Jasperi filius, ex Comitatu Regio ; Philippus O Duir ex Comitatu Tiperariensi ; Moriartus O Brien ex Anacha in eodem Comitatu ; Joannes O Kennedus ex Dunallia in eodem Comitatu ; Morochus *na Mart* O Flahertius ex Comitatu Galviensi ; Tegus O Flahertius ex eodem Comitatu ; Tegus O Conorus cognomento *rufus* ex Comitatu Roscomaniensi ; Tegus O Conorus *Sligoensis* ex Sligoa ; Redmundus de Burgo ex Kilkernania in Comitatu Galviensi ; Thomas de Burgo ex Anballia in eodem Comitatu ; Joannes Brounus ex Nellia in Comitatu Maioensi ; | Carolus 2282
O Conorus et Hugo O Conorus, Thadaei O Conori Sligoensis v
fratres ; Jacobus Dillonus, Dilloni Vicecomitis Costellochensis frater et . . . . Touthetus Comitis Portu-Castellani frater, vitae venia et possessionibus excludantur.

(**83**) " 4°. Ut omnes, qui a Kalendis Octobris an. 1641 haud publico officialium vel militum privatorum albo sub Ibernorum imperio et stipendio adversus Anglos ascripti, vitae venia et possessionibus excludantur, si hactenus vel imposterum quoscumque occiderint, trucidaverint, vel aliter destruxerint haud palam stipendiis militaribus donatos velut officiales vel privatos milites ex Anglorum parte adversum Ibernos.

(**84**) " 5°. Ut omnes in Ibernia adversus Reipublicae Anglicae Parlamentum bellantes, vel secus hostilitatem exercentes vitae venia et possessionibus excludantur nisi intra 28 dies ab hujus acti promulgatione per Parlamenti Commissarios vel primarium

praefectum facienda armis nuncium remiserint, et ejusdem Parlamenti ac Reipublicae imperio atque authoritati, sicut jam stabilita est, se submiserint.

(**85**) " 6°. Ut omnes nulla ex praefatis *qualificationibus* comprehensi, qui in bello Ibernico adversus Angliae Parlamentum quampiam provinciam obierunt velut Praefecti generales, Legati generales, Chiliarchi, vel quorumcumque praesidiorum, Castellorum, aut propugnaculorum gubernatores, aut cooptati fuerunt in generales totius Nationis, vel cujusvis Provinciae ejusdem exactores aut thesaurarios census militaris vel annonae bellicae Commissarios generales, Castrametatores
2283 generales, | vel cujusvis Provinciae castrametatores, exercitus advocatos, vel Concilii bellici vel cujusvis Praefecti generalis vel alicujus ex diversis Provinciis secretarios, quo bellum in Parlamentum aut in ejus vires prosequerentur, in exilium, quamdiu Reipublicae Anglicae Parlamento libuerit, mittantur, et eorum possessiones publicentur.

(**86**) " 7°. Parlamenti delegatis et praecipuis praefectis sit potestas nulla ex praedictis *qualificationibus* comprehensos, quos Parlamenti misericordia dignos judicaverint, qui in Parlamentum Anglicum vel eorum vires militarunt et bello destiterunt, vel intra 28 dies postquam hoc actum a Parlamenti delegatis ex primario Gubernatore promulgatum fuerit, arma deposuerint, praedictique Parlamenti et Reipublicae imperio atque authoritati, sicut jam stabilita est, se submiserint, eidemque fidem vadimonio et satisdatione firmandam voverint, non morte sed possessionibus Reipublicae fisco addicendis esse multandos.

(**87**) " 8°. Ut omnes alii ex religione Papistica, qui quocumque tempore a Kalendis Octobris anni 1641 usque ad Kalendas Martias 1649 in Ibernia resederant, nec suam constantem ac bonam voluntatem in Reipublicae Anglicanae rem demonstraverant, possessionum suarum (modo nulla ex praefatis *qualificationibus* comprehendantur) triente Reipublicae praefatae fisco addicendo atque in ejusdem Reipublicae usum, utilitatem, et commodum impendendo multentur, duoque alii suarum respective possessionum vel aliarum terrarum trientes pro earundem mensura et pretio iisdem, nec non haeredibus aut
2283 assignatis | relinquantur, sed assignandi in eo Iberniae loco
v quem Parlamentum ad eam nationem efficacius et magis pacifice disponendam judicaverit aptum, qui in eum finem assignetur. Et ut omnes alii, qui intra jam dictum tempus in

Ibernia resederant, nec suam re ipsa in Parlamenti obsequio operam collocaverant, nec secus, cum possent, bonam voluntatem in Reipublicae Anglicanae Parlamenti rem significaverant, quinta possessionum suarum parte in praedictae Reipublicae usum multentur.

(88) " 9°. Ut omnes, quibus in Ibernia nec realia nec personalia ad decem librarum valorem bona sunt, qui arma deposuerint et intra tempus praedictis *qualificationibus* limitatum Parlamenti imperio atque authoritati se submiserint, et eo tempore ac modo, qui a Parlamenti Commissariis et primario gubernatore iisdem personis praescriptus fuerit, susceperint et subscripserint cautioni, scilicet fore ut Reipublicae Anglicanae, sicut nunc stabilita est; sinceros et fideles se exhibeant, vitae veniam assequantur, et bona sarta tecta habeant, non obstantibus quae in bello prosequendo patrarunt, modo per nullam ex praefatis *qualificationibus* venia exclusi vel exilio adjudicati fuerint.

(89) " 10°. Ut omnes tituli per praefatas qualificationes circa Iberniae rebelles delinquentes factas, et decretum publicandi sic intelligantur, adjudicentur et ad omnem sensum ac propositum capiantur, ut extendantur ad confiscationem quorumcumque feudorum *talliatorum*, nec non ad omnia jura | et 2284
titulos, qui in eadem dictis rebellibus aut delinquentibus a 25° Martii 1639 competebant vel competent ; et ad confiscationem omnium possessionum limitatarum, assignatarum, transcriptarum, constitutarum, aut concessarum quibuscumque, qui per praefatas *qualificationes* rebelles et delinquentes esse declarantur, idque cum omnibus reversionibus, aut reliquis ejusmodi possessionum transcriptarum, concessarum, limitatarum, declaratarum, aut assignatarum ulli ex ejusmodi rebellium aut delinquentium haeredibus, liberis, vel posteris modo eae possessiones, reliquiae, vel reversiones ad illos rebelles aut delinquentes, vel ad quemcumque ex eorum haeredibus, liberis, vel ejusmodi rebellium aut delinquentium posteris a 25° Martii 1639 hactenus vel imposterum pertinuerint; et ad omnes possessiones donatas, limitatas, assignatas, vel transcriptas per quoscumque ejusmodi rebelles aut delinquentes cuicumque ex eorum haeredibus, liberis, aut posteris cum omnibus earundem reversionibus et residuis.

(90) " Cautum tamen est ut hoc non extendatur ad evacuandos Protestantium Anglicanorum, qui Parlamento constanter adhaeserunt, titulos per vias legitimas ab ipsis ante

diem 23 Octobris 1641 comparatos, vel pari legitimo modo ante illud tempus ipsis vel in debitorum illis rependendorum solutionem aliis quibuscumque eorum mandato suffultis oppigneratos. |

2284 v (**91**) " Cautum quoque est ut, si aliqui ex iis, qui nominatim excipiuntur, vel aliter in his *qualificationibus* comprehenduntur, quibusvis articulis ipsis concessis, vel de quibus inter ipsos et quemcumque Parlamenti virium Praefectum authoritate illuc spectante munitum convenerit, comprehensi fuerunt, illi nihilominus ejusmodi articulorum beneficio gaudeant modo Parlamenti Commissarii in Ibernia eos illis comprehendi judicaverint et ipsi ex eorum parte articulos observaverint atque adimpleverint, inque iisdem observandis et adimplendis persistant.

(**92**) " Et ut nihilominus Parlamento vel eorum Commissariis, si visum fuerit, et integrum sit ejusmodi homines transplantare ab eorum respectivis suae consuetae habitationis vel residentiae locis, in ea illius nationis loca alia, quae cum publica tranquillitate maxime congruere judicabuntur, assignando ipsis tantam in locis, in quae transplantati fuerint, terrae et possessionis mensuram, quantam alibi habuerunt, vel qua gavisi fuissent, nisi sic remoti essent." Hactenus illud actum.

(**93**) Hoc edictum quam crudele sit lectori perpendendum relinquo. Verum ejus executio multo crudelior fuit, cum *inimici nostri fuerint judices*, eo usi juxta et ultra summi juris regulas pro sua violenter interpretandi licentia, et libidine, proindeque pro sua suorumque ambitione, avaritia atque inhumanitate plusquam Neroniana.

(**94**) Toto hoc sicut et anno superiori, Lotharingus subveniendi
2285 Iberniae spem faciebat, cum quo etiam | hoc anno pari instantia, qua praeterito, de subsidiis transmittendis et alio pacto inter ipsum et Regem Angliae nec non Iberniae Catholicos absolvendo atque exequendo agebatur, misso D. Goringo in eum finem a Rege Bruxellas ad Lotharingum, qui demum a Commissariis Ibernis pressus suam voluntatem per Abbatem S. Catharinae declaravit acto Gallico, quod apud Poncium Latine habetur his verbis :

Vind. Evers. p. 140. (**95**) " Cum vidisset, et audivisset sua Serenissima Celsitudo, quae Domini Deputati Regni Iberniae nuper circa suae Nationis negotia et Commissionis ipsis datae executionem illi et verbo

et scripto proposuerunt, respondet non esse opus alios testes allegare quam ipsosmet et reliquos dicti Regni honestiores viros ad manifestandum toti orbi, quod statim ac deplorabilis Catholicorum status tam ob Anglorum oppressionem, quam quod penitus ab aliis Principibus et populis Christianis nulla eorum cura haberetur, ipsi propositus fuit, cum magno fervore et celeritate resolverat omnibus, quibus poterat, modis illis succurrere etiam cum propriorum negotiorum praejudicio, et sine alio motivo quam gloriae Dei, et conservandorum Religionis, ac privilegiorum eorundem Catholicorum, nec non obsequii praestandi Magnae Britanniae Regi, destinando ad ipsos, qui sua obsequia offerret una cum non exiguae considerationis auxiliis, nulla cautione aut securitate requisita, nisi opinionis quam conceperat et adhuc concipit de eorum probitate, constantia, et gratitudine, etiam ante tractatum postea initum. Quod ipsius Celsitudo illis se conditionibus submiserat, quas magis rationi consentaneas et aptiores ad finium praedictorum consecutionem existimaverat. Cujus tractatus quamvis nullam viderat confirmationem, nec dicti Regis, nec Marchionis Clanricardiae in qualitate Deputati ejusdem Regni, nec ullius alterius partis | considerabilem authoritatem habentis. Imo 2285
licet postea plurima nova venerint continuatarum diligen- v
tiarum (quarum proditio Athloniae et Limerici satis funesta experimenta sunt) ad eludendam et annullandam ejusdem tractatus executionem, sive secreta cum Parlamentariis communicatione, sive factionum calore, quibus Regnum in partes dissecatur ; sive invidia eorum, qui potius destructionem Regni volunt, quam quod salutem suae Celsitudinis protectioni acceptam referre deberent.

(**96**) " Non obstantibus omnibus his impedimentis quae divertere aut saltem diminuere possent ejus bonas intentiones, eas tamen semper conservavit et etiamnum conservat, ut testatum fecit, cum existimans nihil impraesentiarum magis necessarium esse, quam eo transmittere numerum competentem officialium seu Ministrorum bellicorum, et quantitatem armorum, pulveris plumbi ac etiam frumenti, quo Catholicae copiae in diversis Regni partibus distractae in unum corpus satis potens coire possent ad hostes aggrediendos, suum proprium (extrahendo dictos officiales) exercitum debilitavit, et praedictum commeatum praeparavit eousque, ut jam in navigandi procinctu esset, et revera navigasset, nisi seditio Midelburgica et Flissingana consilia illa dissipavisset.

(**97**) " Post haec cum verisimile sit, Parlamentarios et alios dicti Regni inimicos eos rumores sparsuros, qui apti sunt ad consternandos Catholicos, eosque desperatione recipiendi subsidii ad conveniendum cum hostibus inducere, de quo etiam fertur propositiones aliquas jam jam publicari, sua Celsitudo, antequam personae et aliae res in scriptura dictorum Dominorum Deputatorum specificatae periculo exponerentur, expedire judicaverat exploratum mittere, an Catholicorum animus et dispositio talis adhuc sit, ut velint eas recipere, et simul etiam ad eos arma et munitiones transmittere eadem via, quibus subsistere possent, antequam magis considerabilia subsidia transvehi curaret. Quod si dicti Deputati, et ii quorum nomine agunt, existimaverint e re sua esse ad magis expedita et potentiora media recurrere, sua Celsitudo id eorum arbitrio permittit, cupiens ut Christianus orbis intelligat quod quemadmodum causam illam amplexa est sine ullo ad propriam utilitatem respectu, ita ipsi maxime arrisurum, si dictum
2286 Regnum iis auxiliis, quae juste sperare poterit, per | quemcumque demum fulciatur. Quantum ad dictos deputatos, declarabit semper quemadmodum per praesentes litteras facit, eos summa diligentia, cura, sollicitudine, fide, prudentia, affectu Patriae suae bonum, quibus poterant modis omnibus procuravisse et procurare, summa cum sinceritate et fide cum sua Celsitudine et aliis ex parte ipsius circa hoc negotium agendo. Hoc est quod sua Celsitudo dictis Dominis Commissariis respondere voluit ipsius nomine Abbatem S. Catharinae quemadmodum et ipse fecit hoc scripto sua manu signato Bruxellis 14 Aprilis 1652."

(**98**) Quoad Regem Angliae spectat, ita cum Lotharingo de subsidiis Iberniae subministrandis, et de alia conventione in eum finem celebranda agebat, ut pravis haereticorum consiliis occupatus, sub ea larva politica pactis alias inter Ibernos et Lotharingum celebrandis obicem posuerit, magis sperans ut Parlamentarii tandem aliquando ab ipsorum rebellione resipiscerent, quam ut a Lotharingo et sincera Ibernorum parte Iberniam recuperaret.

(**99**) Ex praefato acto 14° Aprilis 1652 dato colligere est Lotharingum decrevisse adhuc explorare, nunquid Iberni in eo essent rerum statu et animi sententia, ut ipsi coalescere vellent, et utrum praevalendi spes superesset. Quas circumstantias expiscatus hoc anno celocem in Iberniam destinavit, quae ad

ineuntem Julium appulit in eam Insulam Iberniae vicinam, "quae (inquit Venerabilis Beda) ad occidentalem plagam ab Ibernia procul secreta sermone Scotico *Innis-bo-finne*, l. Insula vitulae albae nuncupatur." Sic ille, qui etiam tradit Colmanum in ea Insula commune | monachorum Anglicorum et Ibernicorum monasterium construxisse, sed posteà monachis Anglicis aliud in eo Iberniae tractu Conaciensi, qui praefatae Insulae propius respondet, aedificasse tempore Iberniae magis fausto, cum tunc illa non aliis pateret Anglis, quam illis monachis vel aliis id genus hominibus Anglicis Sanctorum nostratium pietate et misericordia in Iberniam velut sanctitatis et scientiarum officinam translatis vel allectis et Ibernorum liberalitate vitam sustentantibus. Quorum natio tanta ingratitudine vicem rependit, ut illam ipsam Innisbofinniae Insulam (sicut videbimus) in Cleri Ibernici eo crudelissime transportati et ipsa fame languentis carcerem converterit. Porro Innisbofinniam hoc anno 1652 moderabatur D. Georgius Cusakus, Ibernus Lageniensis, portu optimo ornatam, erecto ibi authoritate publica propugnaculo, et Ibernis militibus sub eodem Gubernatore, insigni Ormonista, in portus atque Insulae defensionem collocatis. *Hist. Angl.* lib. 4. cap. 4. 2286 v

(**100**) Cum praefata Lotharingi celoce P. Franciscus Magruarkus, strictioris observantiae Franciscanus Ibernus, qui a sincera nationis parte, nominatim ab Ardmachano et Episcopo Kilmorensi, anno superiori Romam destinatus fuerat, in Iberniam remigravit. Qui quid in Urbe vel in Belgio cum Lotharingo egerit, haud melius scio quam ex iis, quae Episcopus Cluanfertensis suae in ipsum Apologiae inserit inferius collocandae. In qua etiam lego cum eodem P. Francisco missum fuisse diploma vel Breve Pontificium, quo Sua Sanctitas hoc | anno Iberniae Primati a censuris per Nuncium anno 1648 in eo Regno fulminatis absolvendi fecit potestatem. Alibi tamen lego, unde colligo datum fuisse ex Urbe in mandatis D. Abbati S. Catharinae, (quem a Lotharingo in Iberniam anno praeterito missum fuisse vidimus, deindeque post Bullam Romae scriptam et ante eandem in Iberniam transportatam in Belgium remeasse conjecto) ut *mitteret originale ad Illustrissimum D. Primatem de mandato suae Celsitudinis.* Porro hoc Breve Pontificium reperio fuisse ex parte fructum earum instantiarum a Lotharingo et Commissariis Ibernis anno praeterito factarum ut Sua Sanctitas illas censuras tolleret. Breve illud hic sequitur: 2287

" Innocentius PP. Xmus.

" *Venerabili Fratri Archiepiscopo Ardmachano.*

(**101**) " Venerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem. Sedes Apostolica, pia mater, recurrentibus ad eam post excessus cum humilitate filiis propitiam se exhibere consuevit et benignam. Cum itaque venerabilis Frater, Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus, nuper noster et Apostolicae Sedis in Regno Iberniae Nuncius extraordinarius, varias ob causas multas personas saeculares etiam Supremi Concilii ejusdem Regni et etiam multas personas Regulares diversorum Ordinum Regularium excommunicaverit, et aliquas civitates Ecclesiastico subjecerit Interdicto. Sicut autem accepimus,
2287 plures ex personis (ut praefertur) | excommunicatis sibi
v absolutionis beneficium ab excommunicatione hujusmodi authoritate nostra concedi, Interdictumque praefatum amoveri summopere desiderent. Nos earundem personarum animarum saluti pro paterna nostra charitate, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, ipsarumque singulas a quibusvis excommunicationis, supensionis, et Interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et paenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatae existunt, praeterquam ratione praemissorum absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus ipsarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae quoscumque ex praefatis (ut praefertur) excommunicatis, qui hoc a te humiliter petierint, imposita singulis aliqua arbitrio tuo paenitentia salutari, ab excommunicationis hujusmodi sententia, aliisque censuris contra eos per dictum Joannem Baptistam, Archiepiscopum, fulminatis, authoritate nostra Apostolica, in forma Ecclesiae absolvendi et ab illis civitatibus, quarum nomine id a te humiliter postulatum fuerit, Interdictum praefatum amovendi, nec non cum illis Regularibus, qui ob contemptum seu violationem Excommunicationis, aliarumque censurarum praefatarum, ac Interdicti hujusmodi, Irregularitatis notam sive maculam contraxerunt, super eadem Irregularitate dispensandi, plenam vel absolutam facultatem authoritate praefata tenore praesentium concedimus et impartimur, non obstantibus praemissis ac Apostolicis et in Generalibus,
2288 Provincialibusque et synodalibus Conciliis | editis in generali-

bus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13° Januarii 1652, Pontificatus nostri anno 8°.

Franciscus Caetanus."

(**102**) Quoddam mihi occurrit hujus Brevis Pontificii apographum P. Richardi O Feralli, Capucini Iberni, qui tunc Romae se tenebat, manu scriptum. Ad cujus calcem addidit mutanda : 1°. Ut in Brevi dicerentur non solum Nuncius, sed etiam Episcopi a Congregatione Episcoporum ad hoc specialiter delegati et subdelegati excommunicasse. 2° Ut dicerentur excommunicasse *varias ob causas* (sicut in Brevi habetur), sed *ob iniquum faedus cum haereticis initum adversus Catholicos et Clerum.* 3°. Ut in Breve ferret non *multas personas Regulares diversorum Ordinum* sed *ecclesiasticas cujuscumque praeeminentiae* fuisse excommunicatas, nec absolutionis beneficium ad solas illas personas Regulares, sed et ad ecclesiasticas cujuscumque praeeminentiae extenderetur. " Et ita (inquit P. Richardus) includerentur Episcopi in facultate absolvendi sicut sunt in forma excommunicationis, cum certum sit eos tunc impegisse in varias censuras et paenas a jure et Bulla Caenae latas." 4°. Ad id quod de Iberniae civitatibus Interdicto suppositis, et de eodem Interdicto amovendo in Brevi habetur, replicat P. Richardus. " Interdictum (inquit) summo cum honore Sedis Apostolicae ad instantiam et | submissionem ipsius populi ubique fere 2288
locorum relaxavit ipse D. Nuncius, ut patet ex libellis supplicibus v
civitatum, etc. Solum adhuc restant contumaces Kilkenniae Cathedralis et Carmelitae excalceati." Haec ille, ex quibus appendicibus colligendum videtur eum institisse ut Breve illud jam Romae absolutum sed necdum missum juxta praefatas notas reformaretur, quod tamen non successisse liquet.

(**103**) P. Franciscus Magruarkius in Iberniam appulsus cum hoc Brevi Pontificio in Ultoniam perrexit, et Primati atque aliis, a quibus in Urbem missus erat, quid Romae et in Belgio cum Lotharingo egerit, retulit. Audito autem Lotharingum Iberniae succurrendi animum haud abjecisse, sed praefatam fregatam destinasse, et alias suppetias propediem transmissurum, inita fuit, praesertim a Nationis copiis illis, quae necdum Parlamento Anglicano se submiserant, in quatuor Regni Provinciis nova confaederatio et Anglice edita declaratio, quam paulo post Episcopus Cluanfertensis Latine reddidit

atque in exteras nationes direxit, ubi etiam aliis linguis tunc in lucem edita fuit. Cluanfertensis versionem Latinam hic habe cum officialium subscriptionibus, quas juxta exemplar tunc in Francia Gallice typis mandatum subjungo.

" Declaratio novae Confaederationis Iberniae.

(**104**) " Cum exploratum compertumque habeamus pacis ac
2289 faederis | conditionibus, quas nunc offerunt inimici nostri, earumque quas insuper fecerunt explanationibus, nihil tutum aut securum pro Ecclesia Orthodoxa, regia authoritate, aut salute nostratium contineri. Neque vero eorum etiam rebus prospectum agnoscimus, qui se tuitioni et protectioni eorundem submiserunt, utpote quos ad ulteriorem tractatum non admittunt, quosque vassallos suos, servos, ac mancipia indigitare solent. Quorum denique ad se bona pertinere in compensationem spoliorum, rapinarum, depraedationumque in Anglicae gentis indigenas a belli praesentis initio commissarum affirmant, imo et jus vitae necisque in eos eapropter se habere jactitant, quod Britannicae gentis sanguinem tam copiose quam crudeliter effuderint. Cum inveniamus praeterea per clausulam illam, quam *executionis* vocant adversarii, non solum actores authoresque primarios homicidiorum, assassinationum, spoliationumque, verum et eorundem consiliarios, machinantes, mandantes, approbantes, ratum et gratum habentes, conniventes, recipientes, occultantes, a Judicii ac justitiae ordine ac processu detinentes, iisdem paenis ac censuris subjacere. Qua ratione evincitur nec innocentissimum quemquam nostratium mortis sententiam posse subterfugere. Postremo cum per *clausulam executionis* praedictam actis ac decretis Parlamenti Anglici protecti omnes, quos vocant, se submittere teneantur, perspicuum est omnes concessiones priores irritas et inanes pro suo arbitrio reddendas. Expendentes praeterea quod per Regiarum partium homines, qui arma nuper deposuerunt, hostium vires supra modum increverint, nostrae vero nimis sint debilitatae. Quibus omnibus rite perpensis ac seria |
2289 mentium contemplatione consideratis, ut mala illa, quo modo
v possumus, praevenire valeamus, irrefragabili consilio decrevimus ac statuimus ne crimen gloriae nostrae inferamus, pro causa tam justa propugnationis ac vindicationis fidei, vitae, libertatis, fortunarumque nostrarum arma in manibus habentes viriliter potius occumbere, quam cum dedecore, opprobrio, certoque

periculo eadem deponere. Ideoque praesentem edere visum fuit protestationem seu declarationem nostram, quam innotescere omnibus ac solis radiis toto orbe Christiano illustriorem fieri percupimus, eam scilicet esse mentem nostram, idemque votum omnium ac propositum, eoque nos in praedictis respicere, ad eumque collimare finem ut pro posse et viribus Dei Opt. Max. honorem et gloriam, gentis nostrae salutem et incolumitatem, ac Regiae Majestatis jura sarta tecta habere possimus. Quos ut assequamur fines, nostrarum virium tenuitatem agnoscentes, auxilia opportuna, opem operamque ac suppetias Suae Sanctitatis, Caesareae Majestatis, Regum ac Principum Orthodoxorum, Rerumpublicarum, ac magnatum cum Serenissimi Protectoris nostri Ducis Lotharingiae armis conjungenda humillimis juxta ac instantissimis precibus rogamus atque obsecramus.

(**105**) " Insuper omnes ac singulos populares nostros tam extra quam intra Regnum hoc existentes ad novam hanc nostram confaederationem amplectendam fovendamque convocamus, iisdem sub interminatione | divini Judicii sub paenis 2290
prosecutionis contravenientium tanquam Dei, Regis, et Patriae perduellium, nec non sub paena expoliationis ab omnibus juribus, privilegiis, ac immunitatibus strictissime praecipientes mandamus quatenus post octo dies a notitia praesentium in armis nobiscum sese consociare non omittant, iisque maxime, qui in Regno nunc habitant ab aetate sedecim annorum ad sexagesimum sub paenis iisdem injungimus ut auxiliatrices ad opus hoc manus quantocyus praestare non morentur, quod fortunas, omnem libertatem, vitam, jura, ac interesse tam prope et specialiter attingit. Quod si secus faxint, jure optimo spurios eos et adulterinos et non ingenuos ac liberos communis parens, Ibernia, reputabit, cujus gemitibus, questubus, singultibus, et rebus pene conclamatis, in caelum suspiriis, quicumque eam ab aris et focis, quae nunc intenditur, exterminatione tueri ac defendere non collaborant. Porro in praedictorum omnium fidem, robur, et confirmationem volumus ac decernimus ut praesens nostra declaratio ac protestatio apud exteras nationes publicetur ac intimetur.

" *Nomina Officialium qui subscripserunt praesenti Declarationi* :

(**106**) " *Ex parte Provinciae Ultoniae in Ibernia* :

" Richardus O Ferallus, Praefectus Generalis. Vicecomes

Iveaghensis. Inniskilliniae Baro. Felix O Nellus. Connus O Nellus. Philippus O Rellius. Maelmorrius O Rellius. Brianus Mac-Mahonius. Brianus O Nellus. Collus Mac-Mahonius.
2290 Hugo Maguirius. | Miles Mac-Suinnius. Turlochus O Nellus.
v Hugo Mac-Mahonius. Jacobus Mac-Donel. Felix O Nellus, Junior. Eoganus Mac-Bradius. Hugo Mac-Aengusius. Thomas Maguirius. Cormacus O Nellus. Thomas Maguirius, Junior. Turlochus Maguirius, etc.

(**107**) " *Ex parte Provinciae Conaciae* :

" Joannes de Burgo, Legatus Generalis. Theobaldus de Burgo, Chiliarchus. Donochus O Connor, Chiliarchus. Dudlius Costeloghus, Chiliarchus. Edmundus de Burgo, Subchiliarchus. Thadaeus O Mally, *Maior*.

(**108**) " *Ex parte Provinciae Lageniae* :

" Hugo O Birn, Legatus Generalis. Georgius Cusakus, Chiliarchus et Innisbofinniae Gubernator. Brianus Mac-Phelim, Tribunus. Richardus *Grace*, Chiliarchus. Daniel Kevanagh, Chiliarchus. Rogerus O Morraeus, Chiliarchus. Cahirus Kevanagh, Chiliarchus.

(**109**) " *Ex parte Provinciae Momoniae* :

" Moriartus O Brien, Thadaei.

(**110**) " Haec translatio fideliter facta est ad sensum Protestationis Anglice factae et subscriptae ab iis qui supra. Ita testamur :

Walterus Cluanfertensis, Episcopus, Provinciarum Iberniae Procurator Generalis." |

Apud Innisbofinniam,
16° Septembris 1652.

2291 (**111**) Ex Momoniae parte solum video Moriartum O Brien huic acto subscripsisse, vel quod ad alios proceres et viros nobilissimos magno numero in ea Provincia causam Catholicam armis vindicantes interpositis hostium copiis et praesidiis nec non Sineno, flumine, aditus non pateret, vel forsan quod Moriartus, qui ex Tomonia sua cum praefatis consilia facilius communicare poterat, Momoniensium Procuratorem et totius

Momoniae in ea re personam gesserit. Caeterum post declarationem hanc in Ibernia editam et ante diem 16 Septembris, qua eam Latine redditam Cluanfertensis acto Anglico consonare fidem fecit, non nulli praefatorum officialium Lageniensium, nempe Richardus Grace atque alii ejusdem Provinciae indigenae modo superius relato se Parlamento Anglicano submiserant. Porro Ultonienses praefato Episcopo Cluanfertensi quam potestatem fecerint, ex sequenti eorum instrumento colligas ad ipsum in Innisbofinniae Insula residentem Latine directo ut in illo loco, ex quo pene solo Confaederati cum exteris tunc commercium fovere poterant, Procuratorem haberent.

" *Procuratorium et Instructiones ad Reverendissimum Cluanfertensem.*

(112) " Cum varia et necessaria negotia Regni statum concernentia in *Innisbofinne* et adjacentibus partibus peragenda sint, nec nos ipsi, prout optamus, adesse possimus ; Reverendissimum Dominum Cluanfertensem Episcopum in iisdem et aliis occurrentibus negotiis expediendis nostrum *Agentem* nominavimus et instituimus (sicut plenius patet ex alio nostro instrumento dato 24 hujus mensis), et de facto | per praesentes 2291
instituimus ac nominamus, plenariam et absolutam ei potes- v
tatem concedentes ut juxta sequentes et alias a nobis dandas instructiones, prout tempus dictabit, procedat, determinet, ac concludat, ratum et firmum habentes quicquid super hac re diffinitive determinabit.

(113) " 1ª. Ut omnes officiales, quibus quidquam ex suppetiis administretur, voto fidelitatis Confaederatis Catholicis inviolabiliter observandae vel per se vel per alios idoneos astringat, et chirographum ipsorum pro majori ejusdem ipsi confirmatione obtineat, ac penes se reservet.

(114) " 2ª. Quod si contigerit officiales vel nautas cum suppetiis jam appulsos vel appulsuros, sive ex nostratium mora, sive ex indigentia mediorum sibi sufficientium, necessitatem aliquam pati, Reverendissima sua Dominatio iis juxta discretionem suam ex suppetiis suae Celsitudinis subvenire poterit.

(115) " 3ª. Quod si contigerit nos et reliquos nostros confaederatos ob supervenientia aliqua impedimenta non posse prius convenire quam consultum videbitur fregatas suae Serenissimae Celsitudinis pro reditu expedire ; nos omnes et absolutam concedimus Reverendissimae suae Dominationi

authoritatem insinuandi et informandi Serenissimum Dominum, confaederatos omnes adhaerere et firmiter adhaesuros omnibus et singulis articulis contentis in tractatione jam antea inita inter ipsum et Regni agentes, insuper Confaederatos Catholicos expectaturos ab ipso in Regnum mittendos officiales, tam equitum quam peditum, expertos, et antea saepius in equitatu probatos, qui secum deportaturi sint ephippia et reliqua ornamenta, nec non alia ad Regni tutelam arma requisita. |

2292 (**116**) " 4ª. Quod si sua Reverendissima Dominatio recipiat et legat litteras quascumque etiam sive Regum sive Principum missas vel mittendas, si videbuntur in praejudicium nostrum et communis causae cedere, eas supprimere poterit. Si non ad eos, quarum sunt, illas dirigat, deducta ex ipsis in omnem eventum copia ad nos quantocyus destinanda.

(**117**) " 5ª. Ad ulteriorem nostram determinationem, facultatem suae Dominationi concedimus, ut omnibus, quibus voluerit et expedire videbit, tam maris quam terrae officialibus commissionem faciat (etiam quae vulgo dicuntur *letters of Mart*) invigilandi inimicorum conatibus et refraenandi, infringendi, ac compescendi eorum insultus, impetus, ac molimina. Insuper volumus ut de tempore in tempus Suam Sanctitatem, Ducem Lotharingiae, reliquosque omnes Reges ac Principes Catholicos de statu Regni certiores reddat, et praecipue de faelici hac confaederationis nostrae renovatione, eorumque auxiliatrices quatenus nobis dignentur porrigere manus oret ac precetur.

(**118**) " Desideramus in quantum per tempus licebit, ut in omnibus his et aliis consulat et communicet cum D. Decano Kelly, cujus assistentiam ob varias nobis visas rationes proficuam ac valde utilem in his rerum vicissitudinibus speramus. In quorum omnium testimonium his subscripsimus et sigillum apponi curavimus.

Datum Dromriely 25 Julii 1652.

Locus X sigilli.

Hugo Ardmachanus. Eugenius Kilmorensis. Iveagh. Richardus Ferall. Philippus Relly." |

2292 v (**119**) Postridie ejusdem diei Ardmachanus ad Cluanfertensem dedit hoc epistolium :

" Reverendissime Domine.

(**120**) " Ex maxima fiducia, quam in sua sinceritate et

charitate ponimus, et ex zelo vestro in promovendo fidem Orthodoxam nimio (ut testis est tota Regio) subscripsimus quibusdam *Blancis* ad vos missis ut sua Reverendissima Dominatio simul cum Reverendo P. Francisco Gruarc nostra negotia status Regni et excusationem nostram ad Sedem Apostolicam, quod crebrius nostras litteras non acceperit, prout idem Pater referet, totaliter scribat, et utatur istis *blancis* in rebus magnae importantiae cum summa discretione, et veritate et gravitate. Quae omnia relinquimus et committimus vestrae Illustrissimae Dominationi, sicut animam et corpus committeremus." Haec Ardmachanus 26° Julii 1652.

(**121**) Ex his actis constat quantam Ultonienses in Cluanfertensi spem collocarint. Cui etiam similem ab aliis novis Confaederatis potestatem factam fuisse crediderim, cum videam eum quibusdam actis subscripsisse tanquam *Provinciarum Iberniae Procuratorem Generalem.* Aliquot deinde diebus interjectis Ardmachanus P. Francisco Magruarkio et D. Thadaeo Mac Egano, Sacrae Theologiae Doctori et praeposito Tuamensi, quos ambos, si non ab aliis, certe ab Ultoniensibus ad Cluanfertensem missos fuisse colligo, has litteras dedit : |
" Reverendi Admodum Patres. 2293

(**122**) " Ex quo hinc discessistis paucis diebus officiales Ultonienses tentarunt Parlamentarios ad cognoscendum, quas pacis conditiones ipsis darent, et postquam elaborarunt in aliis quae minoris momenti fuerunt (in quibus, omnibus aliis in Regno adhuc non submissis fuere solliciti negotiatores non minus quam sibi ipsis) pervenerunt ad medullam, causam animarum scilicet, num liceret ipsis suum habere Clerum, quos ipsi sustentarent propriis expensis ? In quo puncto absolutam habuerant repulsam, Parlamentariis affirmantibus omnes ecclesiasticos praescribi necesse esse. Quibus auditis nostri reversi sunt, nolentes ullas alias quantumvis mediocres acceptare, negato ipsis illo, quod erat praecipuum, ita ut magis amimosi jam sint, quam unquam fuerunt, scientes se bonam causam habere, *expulsis omnibus fermento Pharisaeorum tactis.* Quae omnia l. Ormonistis fusius scripsi ad Reverendissimum Cluanfertensem. Potestis haec ad benefactores nostros ultramarinos scribere et totam rei seriem ipsis intimare, et nihil ipsis intimare nisi quae vera et manifesta sint, ut non simus, sicut alii, relatores mendaciorum. Melius est modicum veri justo quam divitiae commentorum multae, sicut mos est multis modernis ad confusionem sui." Haec Ardmachanus 7° Augusti anno 1652.

(**123**) Praefatis duobus in Innisbofinniam advectis, inde datae fuere ad Innocentium Decimum hae litterae : |

2293 v " Beatissime Pater. Post oscula sacrorum pedum.

(**124**) " Licet commemoratione rerum nostrarum in extremis laborantium et ruinae Regni, pene totius in hostium potestatem redacti, paterna Sanctitatis Suae viscera commovere molestum nobis sit, non possunt tamen filii in miseriis, angustiis, aut necessitatibus constituti, ad benignos paternae charitatis ac benevolentiae sinus non confugere, et ad solatium saltem (si non ad subsidium fieri queat) querelas et calamitates exponere.

(**125**) " Ideo, Pater Beatissime, ne occupatissimis suis auribus molestiam ingeneremus, ea huic non inserimus epistolae, quae plenius ad Reverendissimum Dominum Dionisium Massarium, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium, nec non ad Illustrissimum D. Franciscum Albitium, Sancti Officii Assessorem ac Congregationis Ibernicarum rerum item Secretarium, aliosque rescripsimus, a quibus, si vacaverit, seu ita aequum placitumque videbitur, omnia Sua Sanctitas poterit ediscere. Quae tamen ita non accipienda, quasi omnem ex malorum praesentium gurgustiis emergendi spem deposuerimus. Restant enim in singulis Regni Provinciis millia aliquot Confaederatorum orthodoxorum praelia Domini bellantium, eorum videlicet, qui non curvaverunt genua sua ante Baal, nec in contradictione 2294 Core abierunt, aut mercede Baalam effusi sunt. | Qui si opportune fuerint pecuniis ac bellicis apparatibus adjuti non hostium modo vires retundere et labefactare potentiam, sed et amissa paulatim recuperare, freti Numinis auxilio, poterunt. Qua de re Sanctitatem Suam commovere voluimus, ut ea, qua pollet, in terris authoritate omnium maxima, et seriis adhortationibus Serenissimum Ducem ad nostrum auxilium accelerare, eique ad eum finem non solum benedictionem Apostolicam impertiri, sed et omnem opem operamque suam polliceri ac praestare non dedignetur. Valeat et vivat in Domino Sanctitas Sua, ut ex animis vovent, optant, adprecantur

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus, totius Iberniae Primas. Eugenius Kilmorensis. Walterus, Cluanfertensis Episcopus. Fr. Guillelmus De Burgo, Provincialis Iberniae Ordinis Praedicatorum. Iveagh. Richard Faeral. Philip Rely. D. Juan De Burgo."

Apud Insulam de
Innisbofinne,
24 Augusti 1652.

(126) Eodem mense Augusto datae indidem sunt ad Lotharingum in continentem hae litterae :

" Serenissime Princeps.

(127) " Quamvis ingenti quam conceperunt nostrates spe submittendorum a Celsitudine sua subsidiorum hactenus fuerint frustrati, ejusmodi tamen, licet fatales, omissiones non tam negligentiae aut tergiversationi Serenissimae Dominationis suae, quam nostris potius piaculis et quorumdam inter nos perfidiae tribuendas agnoscimus. Tantum ergo abest ut confidentiam in benignitate tanti Principis | collocatam deposuerimus, ut 2294
certe magis nobis audeamus promittere Celsitudinem suam non v
abjecisse animum, verum alta mente repositas habere generosas illas ac heroicas, quas suscepistis, Catholicam in his partibus fidem reparandi cogitationes. Quapropter unam ex celocibus suis nacti, praesentes transmittere decrevimus. Quibus humillime instantissimis precibus Serenissimam Dominationem suam rogamus et obsecramus, quatenus moris ac transactionibus omnibus (quantum fieri poterit) sepositis, auxilia ad nos opportuna transmittere, eaque majore quam hactenus quantitate, dignetur. Etenim suppetiarum tenuitas hostium magis adversus nos exacuet ferociam ac furiosos accelerabit impetus, quam pia nostrorum promovere molimina nostrisve prodesse poterit conatibus.

(128) " Porro ut alacrius tantum velit onus suscipere sua Celsitudo, sequentes placuit rationes ac motiva subjicere : Primum illud, quod cum divinae ultionis flagella jam omnes Regionis angulos pervaserint, eaque ubique experti populares nostri animos ad resipiscentiam excitaverint, propitiato Numine mitioribus imposterum gentem nostram aspecturum oculis confidimus. Alterum est quod cum hostes nostri potentissimae Batavorum Reipublicae bellum indixerint, et Gallorum in se arrogantia sua vires provocaverint, nec domi a turbis et tumultibus vacent, in has oras nostras tam formidabili quam hactenus numero et potentia copias transfundere non valebunt. His accedit tertio quod occultae pseudo-Confaederatorum | machinationes 2295
et fraudes (cum omnes ad unum pro hostibus se declaraverint) amplius timendae non sint. 4°. Quia licet multos constet ad inimicos defecisse, multi apud nos vigent vivuntque Orthodoxi, qui in singulis Provinciis indies magis magisque Puritanorum vires retundunt, qui omnes cum longe plurimis (audito auxiliorum vestrorum in hanc Insulam appulsu) certatim huc se proripient, et ad arma quam citissime convolabunt. Tandem

haec insula (Innisbofinniae) constantía in primis, consilio, ac impensis Gubernatoris ejusdem, D. Georgii Cusaci, hostem non admisit, nec admittet per Dei gratiam, imo juxta fidem vobis a praefato Gubernatore datam in adventum usque vestrum seu substitutorum vestrorum omni ope operaque propugnabitur ac conservabitur illaesa. Quae quidem insula portu optimo et statione navibus quamplurimis recipiendis fidissima insignis est, et itá ad occidentales Regni plagas ad maris angustias sita, ut inde ad tres Regni Provincias navigiis aut cymbis facillimum omnino sit per oras maritimas opportuna brevissimo etiam tempore auxilia submittere. Enimvero cum praefatus Gubernator (ut ex ipsius rationibus constare poterit) omnem vim substantiae, fortunarum, ac pecuniarum suarum in ea tuenda Insula consumpserit, aequum profecto censemus, ut Celsitudo sua expensas illas refundi faciat, quo possit in futurum uxori
2295 ac | domesticis suis ad victum vitamque necessaria sub-
v ministrare, hujusque Insulae defensioni studiosius incumbere, et publicis utilitatibus de caetero ferventius inservire animetur. Quicquid vero ad praedicta fuerit a benignitate sua repensum, aequum etiam judicamus ut inter caetera erogata in usum nostrum publicis Regni rationibus resolvendum adnumeretur.

(**129**) " Hic finem scribendi facere putavimus, cum subito vidimus nobilissimum *Dominum de Viocourt* in portum descendere. Cujus adventus mirum quanto omnes gaudio affecerit, atque vobis, Serenissime Princeps, eo nomine gratias agimus quod talem tantumque ad nos destinaverit, quem vestrae Celsitudini addictissimum fidelemque in paucis esse perspeximus, et nostris etiam rebus inserviendi percupidum. Ab eo multis sollicitato precibus duo tandem impetravimus, quae vobis grata fore non dubitamus : 1^m^, ut ad vacillantium solamen et ad firmandam omnibus benevolentiae vestrae erga nos fidem aliquandiu hic expectaret. 2^m^ ut apochas seu cambii litteras daret pro bis mille libris Anglicis in Belgio recipiendis, quam summam hujus Insulae Gubernator hic in usum publicum expendendam in se suscepit modo et ratione, quibus Reverendissimus Cluanfertensis et praefatus nobilissimus *Viocourt* voluerint et approbaverint. Fregatae vestrae adventum secuta sunt nuncia, eaque laetissima, de celebri victoria ab exercitu
2296 nostro Ultoniensi hoc ipso mense Augusto ab | hostibus reportata, quae adversarios ubique valde distraxit dubitavitque, nostrisque vires animosque addidit ampliores.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus. Eugenius

Kilmorensis. Walterus Cluanfertensis Episcopus. Fr. Guillelmus de Burgo, Provincialis Iberniae Ordinis Praedicatorum. Iveagh. Richardus Ferall. Philippus Rely. D. Juan de Burgo."

(**130**) Has binas epistolas ultimas ad Innocentium X^m^ et ad Lotharingum scriptas conjecto fuisse ex illis chartis puris, quas Ultoniae primores ad Cluanfertensem miserant, quae Primas in suis ad eum litteris 29° Julii datis et superius positis *blanca* vocat. Quibus a se jam scriptis Cluanfertensis cum Dominicanorum Provinciali in Innisbofinnia, alii autem nondum scriptis sed scribendis anterius subscripserint. Parumque dubito quin eodem modo processum sit in scribendis ad Illustrissimum D. Franciscum Albitium et ad Massarium in Urbem epistolis, de quibus litterae ad Pontificem exaratae meminerunt. Porro P. Francisco Magruakio ab Ultoniensibus (quo eorum mandata absoluturus Romam rediret) in Innisbofinniae Insulam destinato intercessit cum Episcopo Cluanfertensi ibidem controversia, quam aliaque non pauca huc spectantia te docebunt litterae atque alia acta tunc utrinque exarata, ex quibus ordine temporis prior est sequens epistola, quam P. Francisci in rebus apud | Innisbofinniam gerendis 2296
collega, Thadaeus Mac-Eganus jam dictus, 9° Septembris ex v
Innisbofinniae Insula ad Ardmachanum Anglice dedit.

" Reverendissime Domine.

(**131**) " Stupenda est metamorphosis. Antequam advecta huc ex continente fuissent ulla subsidia, Illustrissimus Dominus Episcopus Cluanfertensis cum hujus praesidii ducibus clanculum egit, ipsis persuadens ut Gubernatore, qui tunc ad locum dedendum paratus erat, exauthorato, in eodem loco dominarentur et ubi prima fregata cum P. Francisco huc appulisset, perinde Gubernator ac Illustrissimus Dominus (sicut suis litteris ad Illustrissimam Dominationem vestram circa 8^m^ Julii datis manifestarunt) in vos et in omnes illos Catholicos nunc religionis et Nationis causa bellantes fuere fidelissimi et integerrimi. Verum 3° Augusti cum Gubernator *Vuallum* accitus esset, et ibi cum Vicecomite Maioensi tractasset, cumque ego ex Ultonia rediissem, ambo transmutati et transformati in hostium vestrorum Praesbyterianorum haereticorum et schismaticorum fautores, excommunicationis ab Illustrissimo D. Nuncio fulminatae condemnatores, et constantes novae confaederationis

adversarios, quam erigere decrevistis, ut ejusdem excommunicationis contemptum vindicaretis, et religionem in suum splendorem ac Nationem in libertatem postliminio restitueretis.

2297 (**132**) " Triduo | post praefatam diem Augusti tertiam Gubernator Episcopo consentiente locum Praesbyterianis, quibus Clanricardius totam Provinciam libens lubensque tradiderat, nulla nec annonae nec apparatus bellici necessitate illos eo impellente, dedere statuit, et licet epistolas vestras, per quas generosa, in quam iveratis, animi sententia in contrarium significaretur, acceperint, nihilominus Illustrissimus D. Episcopus, vestris litteris, mandato et *Albis* receptis, magna cum indignatione in hos sermones prorupit : *dedignor ullum a sua Illustrissima Dominatione recipere mandatum, nullamque a sua authoritate derivatam exercebo jurisdictionem, cum ipse sim Praelatus nominatus et Summus Pontifex nec non Principes Catholici mei rationem habeant, proindeque ad Regni statum ipsis plene significandum, et ad eorum suppetias eidem procurandas, perinde atque alii sim idoneus.*

(**133**) " Verum postera die meis et P. Francisci, seu potius Gubernatoris persuasionibus et ejus mutua, nocturna, sinistra ac nationali interpretatione adductus (nullum interdiu cujuscumque colloquii arcanum resciet, quod noctu collegae suo, Gubernatori, non communicabit) detumuit, et defervente ejus indignatione vestras chartas puras ad votum nostrum replere proposuit, pollicitus exordiri primas exemplarium delineationes. Postero mane tres fregatae, S. Patricii, S. Francisci, et Cornelii

2297 nominibus notae, appulerunt cum duabus navibus | pugna

v captis atque oneratis tritico, brasio, favis, pisis, indusiis, et coriis. Quo factum ut praesidium quidem sublevatum sit et praepeditum ne hostibus dederetur, sed vestris litteris in partes transmarinas dirigendis via interclusa. Nam Georgius Hamiltonus, Eques auratus, qui ex parte Regis has fregatas suppeditaverat, ducibus (sicut creditur) non nulla suggessit, quae Episcopum et Gubernatorem in prioribus eorum cogitationibus confirmarunt. Exindeque bonus Episcopus diversis vicibus prorupit in hos atque alios ejusmodi sermones : *Ultonienses ab inchoatis hisce motibus non nisi proditorie se gesserunt, et specialiter in ultima expeditione in Ultoniam suscepta Regnum pessundederunt, Iberniam spoliarunt, Galviam perdiderunt. Sententiae in quam Clerus Jacobopoli iverat exequendae obicem posuerunt, etc., et aliis vicibus Supremum* (aiebat) *Concilium Nuncium non expulit. Tuamensis et qui*

ei adhaeserunt Praelati non sunt excommunicati. Et alia ejusmodi perinde ac si esset Clanricardius, Ormonius, etc.

(**134**) " Hac ejus ira atque indignatione multis rationibus subsidente, sua prima exemplaria delineare atque ea vestris *Albis* inserere caepit. Verum in vestro ad Suam Sanctitatem *Albo* nullos in vobis esse schismaticos neutiquam significarit, nec vestram erigendae confaederationis novae cogitationem indicaverit, neminemque, qui Suae Sanctitatis personam | gereret, in vestram opem advocaverit, nec rogaverit ut latori 2298
fides haberetur. Quinetiam in vestro ad suam Celsitudinem, Lotharingiae Ducem, *Albo* nullam eorundem capitum mentionem fecerit, affirmans se nescire quin sua Majestas Proregem in Regnum destinatura sit. Hac epistola haud mediam partem scripta, Viocourtus, Tribunus, appulit cum magna sua S. Petri fregata et aliis tribus navibus praeda captis atque oneratis, alia quidem pane et cervisia, alia ferro atque aqua vitae ex vino confecta, et tertia sale una cum Vicecomitis Taaffi filio, qui occulta factiosorum consilia factiosis attulit.

(**135**) " Ubi Gubernator cum Episcopo atque aliis omnibus Viocourtum et ejus comitatum salutasset, eum ad castellum duxit, ipseque ad januam digressus jussit me et P. Franciscum ne cum ipsis ingrederemur, praetendens locum esse perangustum, cum tamen id statuerit metuens nequa nos in eorum congressu arcana resciremus. Cum D. Episcopus cum Taaffo *Juniore nationalem intelligentiam* foveret, et a suo factioso Gubernatore secundaretur, suam Viocourto illimitatam et plenariam potestatem atque authoritatem ab exercituum vestrorum Clero ac nobilitate derivatam aperuit, deindeque vestro nomine suae Celsitudini scripsit Gubernatorem duo librarum sterlingarum millia recepisse, rogavitque in partibus transmarinis summam illam refunderet. Viocourtum etiam obtestatus est ut id ipsum postularet, cum tamen Gubernatorem nec | jura- 2298
mento nec voto obligare voluerit ad se vobis fidelem v
exhibendum, aut ad subscribendum instrumento. Quod utique recusavit. Ubi haec P. Franciscum et me male habuissent, absolute renuit P. Franciscum in partes transmarinas mittere, aut eum alteri cuicumque associare, aut permittere ut instar privati transfretatoris trajiceret, aut ipsi amplius ostendere quid vestris chartis insertum fuerit, aut ipsi monstrare monita eisdem a se annectenda, aut dicere quem cum utroque chartarum genere destinaturus esset. Quinetiam tam a nobismetipsis quam a multis aliis ex omnium Provinciarum Clero et nobilitate in

contrarium monitus, opinionem tamen usque ad ultimum circiter Augusti mutare noluit, et quod hodie promittit cras denegat, nec aliam allegare potuit rationem, quam P. Franciscum esse partialem, quod has suppetias ad Illustrissimam Dominationem vestram et exercitum Ultoniensem dirigendas curasset. Nunc eum saepius in partibus ultramarinis fuisse, nunc suam voluntatem pro ratione stare respondet, addens se nulli unquam Commissioni praefato Patri Francisco datae subscripturum.

(**136**) " Cum Episcopus adeo obstinatus et eum in modum velut cancro infectus esset, P. Franciscus consensit ut Moriartus O Brien Tribunus, cum sit ex primis Regni viris nobilibus et linguas bene calleat, cum chartis ad suam Celsitudinem et Sanctitatem allegaretur, sed nec hoc ratum habuerit, iterumque
2299 propositum fuit ut idem Moriartus et P. | Guillelmus de Burgo, Dominicanorum Provincialis, cum chartarum fasciculis destinarentur. Quod etiam recusavit.

(**137**) " Ubi omnibus innotuisset ex praefatis circumstantiis ab initio usque ad finem Episcopum deviasse, et stupendum in modum evasisse alterum a se ipso, omnes Patri Francisco authores fuimus ut Illustrissimae Dominationis vestrae chartas ab ipso repeteret. Et sic P. Provinciale meque ipso praesentibus P. Franciscus in Illustrissimi Domini cubiculo (postquam Illustrissimus Dominus coram nobis suum circa praedicta capita ad chartarum vestrarum transmissionem spectantia inflexibilem animum professus esset et ostendisset) in eum fecit protestationem velut in alendae nationalis distinctionis authorem, schismatis et regiminis haeretici continuatorem, et promotorem servilis conditionis Nationis, addens omnes litteras nomine vestro transmittendas nunc et ex nunc esse surreptitias, inanes, et nullius valoris.

(**138**) " Verum *non obstantibus* (inquit Episcopus) *tuis protestationibus, nullas a me chartas obtinebis*, quas tamen postridie omnes reddidit. Et die tertia Gubernator jussit ut P. Franciscus ex Insula migraret, quo factum ut abierit. Imposterum autem vos moneo ut Cluanfertensi nihil nec dicatis nec scribatis quod Tuamensem aut Duacensem celaveritis. Neque enim nos, nec ullus nostrum antiqua ejus sinceritate confidens, de malo, quo se factiosi gesserint, modo quidquam
2299 eo | praesente dicit, quod ille non referat Gubernatori, et
v Gubernator omnibus. Eorum factiones necdum finitae sunt. Nam Walshaeus, Capitaneus, qui suae Celsitudini et causae vestrae fidelis nec non in P. Franciscum bene affectus est, sua

navi spoliatus fuit, partim ne capiendarum navium hostilium potestas Confaederatorum Catholicorum nomine ipsi a vestro Concilio provinciali scripto tenus facta in eorum factionis confusionem in partibus transmarinis ostenderetur, partim ne P. Franciscum, vestras chartas, vel privatas P. Francisci literas vestri causa scribendas transportaret. Hoc autem miserando Capitaneo sic spoliato, Moriartus O Brien, Chiliarchus, eum in (Iberniae) continentem duxit, sperans se ipsi provisurum de aliqua ex Flahertiorum cymbis, quo vestras chartas transvehendas curaret. Verum duabus horis interjectis, Gubernator binas cohortes eum indagaturas misit, a quibus iterum in insulam tractus est una cum tenui armorum atque apparatus bellici portione, quae praedicto Chiliarcho Moriarto ad hostes in Momonia infestandos suppetebat, ipseque Moriartus accitus est, et hic adhuc instar incarcerati se tenet. Haec rationum mearum summa, ex quo ab Illustrissima Dominatione vestra discessi . . . . . Quae sint hujus renovatae et resuscitatae factionis causae, media et remedia, | P. Franciscus vobis 2300
recensebit. Quam ut extinguatis, viriliter agite, siquae vobis est cura vestri honoris, conscientiae, religionis, et Nationis. Apud Innisbofinniam, 9 Septembris 1652."

(**139**) Ex hac epistola colligere est P. Franciscum Magruarkium tunc ex Innnisbofinniae Insula in Iberniae continentem rediisse, verum paucis diebus interjectis in eandem insulam fuisse vel accitum vel aliter regressum docet sequens ejus citatio ibi scripta :

" Reverende Pater.

(**140**) " Multae fuerunt accusationes, ne dicam calumniae vestrae contra me et D. Gubernatorem hujus Insulae coram Domino de *Viocourt* prolatae ac aliunde inspersae, ac in primis quod factionem Ormonicam renovamus, et quod litteras mittimus, quae conatus Serenissimi Ducis, Protectoris, destruere et dissipare intendunt. Igitur oportet ut crastina die circa horam diei nonam nos conveniat in cubiculo meo, ut probationes suas in praedictis producat. Quod si hoc omiserit, sciat quod te calumniatorem et falsum publice denunciabimus, et alias Juris punitiones contra calumniatores in personam tuam statuemus et exequemur. Datum apud Castrum hujus insulae 1° Octobris 1652.

Walterus Cluanfertensis Episcopus."

(**141**) Alia ad hanc controversiam spectantia discas ex

sequenti epistola ab Episcopo Cluanfertensi ad Primatem |
2300 atque alios Ultoniae primores Anglice exarata :
v " Illustrissimi Domini et viri Nobiles.

(**142**) " Vestra *Alba*, litteras, et mandata recepi, latore P. Francisco Magruarkio, qui postea me tantopere in suspicionem vocare caepit, ut nullam cum eo requiem habuerim, donec omnia redhibuissem quod ipsi nec meas litteras commendatitias nec mandatum dare volui. Cur autem id egerim ostendo in mea Apologia, quam his annexam mitto. In eo multus fuit ut monstraret timendum esse ne Ormonius vel aliquis ex ejus factione huc trajiciat. Verum ego mihi persuadere non potui
1. Lotharingum. *Ducem* adeo desipere velle ut secum huc afferat eos, qui odiosi sunt, et partibus a se ipso jam in Regno stantibus adversantur. Nec fidem habet eum ad nuncia publica asciturum illos, qui sua imprudentia, malo omine vel proditione hoc Regnum perdiderunt. Omnibus etiam civilis prudentiae et politiae dogmatibus dissonat, ut eos promoveat, quibus tantae sunt necessitudines et familiae numerosae ad factiones adversus se ipsum concitandas idoneae. Certus sum, nec Ormonium, nec Insequinnium huc adventurum, nisi praefecturam militarem adepti fuerint, quae in suam Celsitudinem translata est. Quod autem ad civilem praefecturam pertinet, nullus ejus est usus donec Regnum recuperatum fuerit. Utut sit via, qua ex-
301 cludantur, non est ut in vicis publicis factioni | Ormonicae obstrepatur, sicut P. Franciscus Bruxellis fecerat. Praeterea si Dux eos secum huc afferre vellet, jam ab ejus sententia recedendum non esset, ne propterea sicut antea, diceret nos esse Nationem discordem, eoque praetextu suum nobis subsidium denegaret, vel ii, qui exasperarentur, multás ejus cerebro falsas suggestiones instillarent. Ubi se nobis obligaverit, et ejus naves ac pecuniae huc advectae fuerint, melior id genus hominibus obsistendi opportunitas, et major nobis confidentia suppetet. Sed (ut quod vere est, dicam) P. Franciscus alia magis quam id metuit, vel certe hebete est confidentia et judicio. Provinciae (Ultoniae) perinde ac se fidelem esse arbitratur neminem. Ego vero illi Reverendo angario dixi, eum suis negotiationibus isti Provinciae plus obfuisse quam profuisse; idque coram ipso probarem. Meliorem ad obviandum factionibus inivi viam, quam ille unquam excogitabit, et eventus ac tempus docebunt falsos esse ejus rumores, nempe nos hic stare a Clanricardio et Maioensi, et hunc locum esse hostibus dedendum. Quae criminationes in male affectorum oblocutorum ignominiam et confusionem desinent.

(**143**) " Quod ad me ipsum attinet, nullum mihi a factione Ormonica favorem aut promotionem spondeam. Haud eo progressus sum insipientiae ut adorem solem occidentem cum potius adorarem orientem. Quamdiu P. Franciscus hic erat, nullam plane requiem carpere | potui. Eum comperi multa 2301
sibi contradicentia affirmasse, et hominem esse nimis v
vehementem, suspiciosum, atque importunum, et (licet magna suae sapientiae opinione occupetur) judicio stupidum et (quod consectaneum est) haud aptum, cui negotia publica committentur. Nihil habeo quod in ejus vitam aut regularem conversationem dicam. Eum vitae probitate, patientia, et zelo esse agnosco. Sed sanctissimus quisque haud semper ad tractanda negotia est maxime idoneus. Deus ipsum prosperet. Nullum ei malum opto, licet me ubique diffamaverit. Quam volueritis, de eo opinionem concipiatis. Quod autem me spectat, saepius antea meam ipsi subscriptionem denegaveram, nec mihi convenire judicaveram ut ea ratione eum secundarem, praesertim ex quo audivi de ludis quibus suum Provincialem et universum in Ibernia Ordinem intricaverat. Vos ex ista provincia ejus atrocitate et commentis nihil obstantibus comperietis constantem fidelitatem in eo qui est

Vester indubitatus servus in Christo Jesu,
Ex Innisbofinnia Walterus Episcopus Cluanfertensis."
4 Novembris
1652.

(**144**) Apologiam etiam his litteris tunc annexam et Anglice scriptam hic habe : |

" *D. Episcopi Cluainfertensis Apologia* 2302
in P. Franciscum Magruarkium.

(**145**) " Cum P. Franciscus Magruarkius ex sacro S. Francisci Ordine diversis vicibus in me invectus sit, et Reverendo admodum P. Provinciale Dominicanorum, nec non Doctore Thadaeo Mac-Egano praesentibus asseruerit, me, ut haeresim in hoc Regnum introducerem, et inter tribus ac familias discordiam disseminarem, operam dedisse ; ad deprimendam Ultoniae Provinciam conspirasse ; studere ut factionem Ormonicam instaurem ; me Roscomaniae atque Athloniae Marchioni Clanricardiae, Vicecomiti Costeloghensi, atque id genus aliis fuisse familiarem, eoque factum ut (sic ille arbitratur) omni reputatione eatenus adepta exciderim. Quinetiam idem Pater post haec

quorumdam nobilium, qui in hanc Insulam venerant, factionem in me concitavit, et per se vel per alios ejus instrumenta, a quibus ipsi fides habita fuit, ita me extra hanc Insulam traduxit, ut multi praefatis calumniis crediderint, et in vulgus sparserint me tamdiu moratum fuisse navem mittendam in Galliam ad suam Celsitudinem, Ducem Lotharingiae.

(**146**) " Nec Pater contentus fuit praefatis omnibus suis injuriosis et violentis diffamationibus, quas omnes ego, ne vel
2302 Dux vel ejus hic *Agens* | ullas nobis discordias intercedere
v audiret, suppressi, et patienter devoravi. Nihilominus praedictus Pater proprio motu et suapte sponte eidem Agenti D. Viocourto suggessit hujus Insulae Gubernatorem et me ipsum certo ad resuscitandam factionem Ormonicam conjurasse, et pernicio-sas litteras in eum finem fuisse transmittendas cum navibus, quae in hoc portu anchoris firmabantur. In quarum accusationum probationem coram praefato *Agente*, Chiliarcho Rogero O Morraeo, *Majore* Olivero Hickaeo, et aliis libere citatus, nihil in praefatum Gubernatorem allegavit nisi se praesumpsisse, et credidisse eum mecum in eadem mente et factione consensisse, cum ego quotidie ejus pane vescar et in ejus domo victitem.

(**147**) " Quod ad me specialiter attinet, mihi sequentes criminationes objecit : 1° me multos injuriosos et falsos ser-mones protulisse in Ultoniae Provinciam, scilicet Ultonienses ab initio fuisse proditores et Regnum pessundedisse, eosque consilium quod Clerus Jacobopoli amplectendum duxerat labefactasse, et ipsis vitio vertendum quod Galvia capta fuerit.

(**148**) " 2°. Me asseruisse futurum ut, si Ormonius cum sub-sidiis appelleret, eum admitterem, et de confaederatione ne verbum quidem dicerem, quod Rex forsan huc Proregem des-tinare vellet. 3°. Me ejus rationes nullis responsionibus, quae satisfacerent, diluisse, nolleque offendere Gubernatorem, cujus
2303 mensae accumbo. 4°. Me factae mihi a Concilio | Ultoniensi renunciasse potestati, et tamen instrumentis ac litteris sub-scripsisse cum titulo *Procuratoris Generalis omnium Pro-vinciarum Iberniae*. 5°. Me affirmasse quod ipsi nec litteras, nec monita in partes ultramarinas missa ostenderem, et denique me respondisse pulveris nitrati exercitibus extra hanc Insulam militantibus suppeditandi non plus superesse quam tria dolia praeter apparatum bellicum huic Insulae necessarium.

(**149**) " Quae omnia (sicut cuivis ratione et judicio praedito atque aequo arbitro liqueat) sunt ineptiae, suspiciones, et proprii

ejus cerebri argumentationes, ex quibus in causae ab eo susceptae favorem haud melior consequentia aut probatio deduci potest hoc argumento : *Deus est in caelo ergo baculus est in angulo* ; nullumque omnino testem, quo ullam ex suis calumniis probaret, produxit, sed respondit sibi quidem esse testes at absentes, noluitque ad probationes procedere, nisi coram judice competente, videlicet suo Provinciale, qui reperiri non potest. Quare ego ne, si non alio adminiculo quam nuda rationum ejus inficiatione subniterer, in suspicionem venirem, omnia solidis rationibus atque inductionibus ita refutabo, ut nullus aequus lector cuncta falsa esse non judicet, meque haud adeo stupide atque injuriose locutum fuisse sicut a praefato Patre allegatur.

(**150**) " 1°. Quotiescumque antehac praedictus P. Franciscus in | me querelam moverat, et me a factione Ormonica stare 2303
suspicatus erat, nullam unquam ex praefatis accusationibus v
allegaverat, sed potius praecipuam in eo vim posuerat, quod nec se, nec Chiliarchum Moriartum O Brien, nec Capitaneum Walshaeum transfretare permitterem. Ergo haec de novo inventa fuere, ut aliquem suis mei diffamationibus et oblocutionibus colorem praetenderet. 2°. Omnia ergo *Alba* et mandata, quae mihi ex Ultonia attulerat, accepi et promisi me Ultoniensibus nullum obsequii genus, quam possem optime, non praestiturum. In epistola ad Ducem missa, quam ipse dictavit, Ultoniae Provinciam magnopere commendavi, quod et in litteris Romam missis praestiti. Notum est me hactenus illam Provinciam pro virium tenuitate semper honorasse et ei inserviisse. Quare credibile non est quod jam eos nigro carbone notare vel calumniare vellem, cum me nullatenus provocaverint, imo potius magnam in me fidem collocent. Verum quidem est, me auditis variis comparationibus odiosis, quae eo tendere videbantur ut aliae Regni Provinciae posthaberentur, dixisse, suos Ultoniensibus perinde atque aliis non defuisse lapsus, sicut successit cum tot Legiones ab Eugenii O Nelli exercitu defecerunt, et quando Ultonienses Galviam atque in Conaciam venire neglexerunt, diversis eorum promissionibus et publicis | pollicitationibus, quibus suam fidem in eum finem as- 2304
trinxerant, non obstantibus.

(**151**) " Quoad caeteras ejus inanes et maniaticas farragines, haud dignae sunt ad quas respondeatur. Certe per Dei gratiam haud is sum, qui ejusmodi esculenti aut poculenti ergo, Supremi Numinis legem ullatenus transgredi vellem, et si factiones, a

quibus hactenus abhorrui, renovare statuissem, id effecissem ut aerumnosam conditionem, in qua nunc versor, declinarem. Constat etiam mihi nullas cum hoste intercedere machinationes aut occultam conjurationem. Nec video qua ratione factionem Ormonicam (tantopere jam a Deo deserta est) resuscitare valerem, si omnes ingenii nervos eo contenderem.

(**152**) " Genuina autem et germana causa, quae Patrem hunc ad illas detractiones inordinato animi motu natas impulit, alia fuit. Nempe moleste admodum tulit, et supra modum male eum habuit, quod se, velut *Agentem*, nec Romam, nec ad Ducem destinare decreverimus, et quod ego ipsum in epistola a me ad Suam Sanctitatem scripta, quam ipse mihi praelineaverat, commendare recusavi.

(**153**) " Jam in nobilitatis Ultoniensis, juxta ac aliorum satisfactionem his assuere non gravabor rationes, quibus adductus fui ut praefatum P. Franciscum nec ad Ducem, nec ad Suam Sanctitatem allegarem. 1°, quod non esset Praelatus,
2304 nec in | dignitate constitutus, adeoque nec ad personas tam
v praecelsas allegandus, nec ad tractanda tanti ponderis negotia cooptandus, praesertim cum Dux atque alii scire percupierint, praefatus P. Franciscus cujus in Ecclesia gradus esset. 2°. Quod in ea re Nationis nostrae honor verteretur. Siquidem transmittere eum, qui circa eadem negotia jam toties trajecerat, multis suppeditaret ansam existimandi nobis defuisse viros ad suscipienda ejusmodi munia magis idoneos. 3°. Ut me in omnes generaliter Provincias aequum demonstrarem, destinando alium virum prudentem et *qualificatum* potius quam eum, quem una tantum Provincia velut suum Procuratorem hactenus impenderat. 4°. Quod P. Franciscus tametsi suo zelo plenus, in prudentiam tamen multum peccaverat, postulando librarum millionem in Iberniae, seu (ut plures affirmant) in solius Provinciae Ultoniae subsidium, et loquendo Duci non nulla alia, qui res ab eo propositas solum risit. Multa quoque alia praefatus P. Franciscus (sicut plures bene affecti aequi rerum arbitri et fide digni mihi hic retulerunt) egerat, dixeratque non sapienter. 5°. Quod praedictus P. Franciscus se Provinciae Ultoniae plus aequo studuisse ostenderat, eam afferendo coram Duce, et nullam de aliis exercitibus maximi pendendis, qui tunc in Regno
2305 bellabant, | faciendo mentionem, usqueadeo ut ipse Dux quendam sibi assistentem interrogavit his verbis : *Quis* (inquit) *est hic Frater, qui semper de una tantum Provincia mecum perinde agit ac si nulla esset in Iberniae Regno alia.* Haec porro

snspicio eo crevit quod attulerat mandata tradendi omnia arma et apparatum bellicum, quae huc transmissa sunt, partibus Ultoniensibus, aliis Provinciis silentio praetermissis, et facultatem absolvendi ab Illustrissimi D. Nuncii Excommunicatione apportaverat ad solum Illustrissimum D. Primatem, nullius ulterius Metropolitani vel Episcopi in Regno extantis habita ratione aut facta mentione, aliaque id genus.

(**154**) " Denique ne dictus P. Franciscus mitteretur alia urgens et occulta suasit ratio, quam litteris mandare non audeo, quaeque in partium Ultoniensium bonum redundat, meque eadem adduxit ut cunctarer, nullasque darem D. Episcopo Fernensi litteras procuratorias. Porro quod ad id attinet, ut una cum P. Provinciale transmitteretur ; D. Viocourtus nobis dixit suffecturum, ut unus tantum ad suam Celsitudinem destinaretur. Multae quoque aliae fuere rationes ob quas eum in Provincialis collegam non assumpserimus. Datum 4° Novembris 1652." Hactenus illa Apologia.

(**155**) Idem Cluanfertensis ad Primatem et Episcopum Kilmorensem, nec non ad primos copiarum | Ultoniensium duces, atque Ultoniae proceres nobilesque dedit Anglice sequentes litteras, non ad suam cum P. Francisco controversiam, sed ad causam publicam pertinentes : 2305 V

" Illustrissimi Domini.

(**156**) " Nulla a vobis, ex quo cognatus meus, P. Guillelmus Lynchaeus, huc accesserat, nuncia accepi ; quod ego, D. Viocourtus, Innisbofinniae Gubernator, et virium Conaciensium duces religionis Catholicae et Nationis Ibernicae in libertatem asserendae studio bellantes valde dolemus. Nupera declaratio in Dei hostem edita mihi supra modum arrisit. Me quoque laetitia affecit quod Deus conatus vestros sui honoris et gloriae vindicandae studio a vobis adhibitos prosperare incipiat. Quantulaecumque preces meae eo semper tendent ut prospero gaudeatis successu, et animentur illi pusillanimes, qui blasphemis hostibus et sceleratissimis Sathanae filiis famulari ac subjici, quam Christi libertate atque immunitate laetari malunt, nec cum illis generosis Dei athletis dicunt : *Melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostrae et sanctorum.* Sed cum inevitabilem et intolerabilem causentur necessitatem, et subsidia, quibus sustententur, et quae eorum caeptis aspirare valeant, sperare atque expectare videantur, | aequum duxi 2306 vobis atque illis absque adulatione et exaggeratione certificare,

quod (ipsis vere asseverare possum in verbo Praelati me loqui cum sinceritate et bonis niti fundamentis) moraliter certissimi sint se cito, videlicet ante festum Purificationis, vel certe paulo post visuros Dei misericordiam ipsis potenter adfuturam, et fore ut magna rerum omnium necessariarum, nempe annonae, armorum, apparatus bellici, et rei pecuniariae subsidia huc transvehantur. Quorsum enim sua Celsitudo eas impensas subiisset ut tres fregatas huc transmitteret, et ignorans ubi in Ibernia applicarent, eas jacturae periculo exposuisset, nisi secum firmiter statuisset nobis opitulari ; vel quare unum ex suis fidelioribus Chiliarchis, suum patriotam et vassallum, huc transmisisset, nisi ea mente ut Regione et viribus lustratis, habitaque per ipsum rerum relatione suas suppetias transportandas curaret ?

(**157**) " Ex ipsis etiam hostium partibus intelligimus, quatuordecim naves rebus omnibus necessariis oneratas in nostrum subsidium ornari, et ab amicis hosti tributariis occulte nobis
2306 significatur suppetias nobis in bellum offensivium | et de-
v fensivum abundanter subministrandas et ad votum nostrum suppeditandas, modo hic locus uno vel altero mense non dedatur, sicut Deo adjuvante citra dubium succedet. Vos de eo, quod ipse pro certo novi, securos reddere possum, nempe Regi nostro et suae Celsitudini, nostro Protectori, plene inter se convenisse, et suam Majestatem conventiones Bruxellis inter praefatam suam Celsitudinem et Agentes nostros conclusas approbasse, nec non Suam Sanctitatem Romae multosque Principes et Potentatus Christianos spondere opem praedicto nostro Protectori in iis, quae circa Iberniam molitur. Praeterea eo magis in hac causa macti virtute sitis, quod omnes convenientiae ad animandum Ducem concurrant, cum hostes nostri cruento cum Batavis et Danis bello implicentur, et ob nuperam ipsis cladem mari illatam, nunc, quam antea, classem habeant media ex parte deteriorem, et Dux concordaverit cum Rege Galliae, qui ei Lotharingiam, aliaque ejus dominia restituit. Reverendum admodum P. Provincialem Ordinis Dominicani cum bonis relationibus et monitis transmisimus, cujus faelix faustusque et celeris reditus expectatur. Ex Innisbofinnia 6° Novembris 1652.

Walterus Episcopus Cluanfertensis."

(**158**) Dominicanorum Iberniae Provincialis, P. Guillelmus
2307 de | Burgo, tunc modo jam recensito ex Ibernia in Belgium ad Lotharingum missus, quo pacto legatione functus sit haud

melius tradere possum quam ex charta Latina in Urbem missa non ab alio (credo) quam ab ipso P. Provinciale, a quo etiam Lotharingo in Belgio praesentatam fuisse conjecto. Eam hic legas :

> " *Ibernia est recuperabilis mediante Deo suoque Regio Protectore Serenissimo Duce Lotharingiae.*

(**159**) " Quia ad obsequium vestrae Celsitudinis jam in armis militant contra Parlamentarios in diversis Regni partibus divisi plures quam 14000, in Ultonia videlicet 6000, in Conacia 3000, in Lagenia totidem, et in Momonia 2000, imo (ut habetur ex quamplurimis epistolis Dublinia, Parisiis, et Londino scriptis) nobiles Provinciae Conaciae arma in Parlamentarios arripuerunt.

(**160**) " 2°. Quia omnes Catholici, qui primam nostram confaederationem cordialiter amplectebantur, modo parati sunt ad arma sumenda quoties occasionem nanciscentur. Quinimo confaederationi adversantes, si vestrae Celsitudinis subsidia adventare prospicerent, procul dubio arma caperent, tum ut a servitutis Parlamentariorum jugo eriperentur, tum etiam quia vident Parlamentarios nullam observare fidem quibusdam aliis datam, pariformiter suspicantur tandem aliquando minime velle sibi promissis stare.

(**161**) " 3°. Quia in possessione Catholicorum remanent adhuc plurimi portus, in quibus tuto suppetiae transmarinae | possent recipi, praesertim insula Innisbofinniae, quae est cir- 2307
cuitus duarum leucarum, unicam tantum habens pro navibus v
stationem, pro cymbis vero duas, defensas una turma equitum, quadringentis peditibus et 30 tormentis bellicis diversis in fortalitio sitis. Item nostrates obtinuerunt Insulam de *Arin* sitam in ingressu civitatis Galviae. Alias insulas fortes in Ultonia et Lagenia possidemus.

(**162**) " 4°. Quia divisio, ex qua totalis Iberniae destructio provenit, ultra non est timenda, tum quia Confaederationem Catholicam renovant, tum etiam quia primi mobiles discordiarum, horumque principaliores sequaces nemine dempto Regno exierunt, vel arma Parlamentariis tradiderunt, illisque adhaerent. His ergo absentibus maxima concordia inter Confaederatos Catholicos praestolanda est. Per hoc etiam ablatum est objectum avertens et retardans hactenus subsidia Suae Sanctitatis aliorumque Principum Catholicorum.

(**163**) " 5°. Quia cum omnes de praesenti arma gerentes in

Ibernia mere pro fide et patria (spretis omnibus oblectamentis et favoribus a Parlamento oblatis) contendant, procul dubio alacrius et cum resolutione irrefragabili inimicos aggredientur quam hactenus. Quamobrem credendum est eos more Machabaeorum plus posse in paucis quam iniquos in multitudine curruum, equitum, et pecuniarum immensa copia.

(**164**) " 6°. Quia Batavi bellum Parlamentariis indixerunt, |
2308 nec non ultimo in conflictu navali Parlamentariorum quamplurimis myoparonibus captis omnes alias naves in fugam verterunt. Item Iberno-Scoti arma contra Parlamentarios gerunt, aliique complures Principes considerantes tyrannidem et elationem Parlamentariorum contra illos auxilium Batavis polliciti sunt.

(**165**) " 7°. Quia probabiliter erit bellum intestinum inter ipsos Parlamentarios, tum quia cum nullam habeant religionis certam regulam, unusquisque suam propriam inclinationem seu internam spiritus motionem sequitur, ex quo indies maxima confusio inter ipsos oritur ; tum etiam quia Parlamentarii in Anglia nati magnam suspicionem et diffidentiam concipiunt contra Parlamentarios in Ibernia natos, imo ipsos innato odio prosequuntur.

(**166**) " Oculatius inspectis et perpensis circumstantiis praefatis tam intrinsecus quam extrinsecus Iberniae, clare patet possibilitas objectiva recuperationis ipsius et restaurationis religionis extinctae quasi ibidem. Modo restat investigandum, an facta hypothesi quod sua Celsitudo, Dux Lotharingiae, invictus noster Protector, habeat intentionem efficacem faciendi quod in se est, possit recuperare Regnum. Hujus partem affiirmativam indubitanter propugno :

(**167**) " 1°. Quia (ut vox populi fert) habet valorem et prudentiam in re militari et (veritatem sine adulatione loquor) qualem nullus Princeps temporis nostri sortitus est. 2°. Multa millia hominum ad suum obsequium actualiter arma in |
2308 Ibernia gerunt, et longe plura ad nutum mandare potest. 3°.
v Omnia instrumenta bellica facili negotio in Iberniam per mare poterunt transportari. 4°. Habet (laus Deo) cardines et nervos belli, aurum et argentum, quibus omnia obediunt et Regna subduntur. En clare omnimodam potentialitatem effectivam ex parte suae Celsitudinis et capacitatem receptivam suorum beneficiorum et efficaciae ex parte Iberniae. Ut ergo sortiatur effectum diu desideratum, deest tantum tempestiva applicatio activorum passivis, et executio mediorum absque dilatione. Unde plura commoda sequentur :

(168) " 1°. Quia cum milites modo a bello sint reversi, verisimiliter instrumenta bellica viliori pretio vendentur quam post unum vel alterum mensem, quia tunc de reditu cogitabitur. 2°. Si naves, arma, aliaque requisita insimul comparentur, evitabuntur exorbitantes expensae necessario faciendae successive eas emendo. 3°. Si aliquando haec comparari debeant, quare non modo, praesertim cum apparenter res vilioris pretii esse nequeant. 4°. Quia in prudentia et politia humana res conducentes ad conservationem Reipublicae differri non debent ex eo quod cras viliori pretio vendentur. 5°. Quia desiderari nequit tutior opportunitas transmittendi omnia in Iberniam, cum Hollandi obstrusas habeant omnes Parlamentariorum naves. 6°. Quia cum Parlamentarii successus adversos habuerint, | visis suppetiis vestrae Celsitudinis vecordes reddentur. E 2309
contra vero nostrates vires Leoninas recuperabunt. 7°. Qui ex metu vel aliqua morali coactione ad inimicos declinaverunt, perspectis vestris suppetiis ad nos convolabunt, armaque capient. 8°. Si auxilia tempestive pervenerint cum pedites inimicorum nequeant nostratibus resistere, cogentur suos producere equos, qui cum hactenus domi aliti sint, si mense Martii et Aprilis viridi gramine in campis nutriantur, reliquo anni tempore difficiliter pristinum vigorem recuperabunt.

(169) " Porro in suppetiarum mora et prolongatione maxima pericula imminent, praesertim affectus contrarii antedictis. Hollandi enim inter se fluctuantes inceptis desistere poterunt, et (quod deterius est) cum nostrates sint maxima egestate et inedia afflicti, detento diu praesenti subsidio, se illusos esse existimabunt, sicut hactenus. Unde difficili negotio refraenari poterunt quin adeant quosdam Colonellos sive Tribunos Ibernos a Rege Hispaniae destinatos cum ingenti pecuniarum summa, ut ex Ibernia transportare valeant tot millia militum hacque conditione Parlamentarii eos transportabunt. Nonne defectu anticipationis myoparonum vestrae Celsitudinis complures in Momonia arma inimicis suppeditarunt. Tribus namque diebus ante eorum adventum arma tradiderunt. Nonne Limericum, Galvia, tota Conacia, et consequenter Regnum, deperdita fuerunt | consimili suppetiarum protractione. Dato enim 2309 v
nullas alias adfuisse circumstantias ex parte nostratium ad horum proditionem inimicis, sola dilatio suffecisset.

(170) " Laus Deo, omnia obstacula semota sunt, omniaque vestram Celsitudinem invitant, tanquam si ad votum disponerentur. Si ergo neglexerimus occasiones favorabiles a

Deo praestitas, nobis attribuenda erunt infortunia, quae inde scaturient. Absit ut nostra omissione mereamur nobis imputari tot sacrilegas ecclesiasticorum neces, tot famosissimorum militum decapitationem, tot innocentium trucidationes, tot virginum ac matronarum prostitutionem, tot Catholicorum fame, siti, et nuditate extinctionem, et (quod deterius est) totalem religionis eradicationem. Quae omnia atrocissima facinora forte unius septimanae acceleratione caveri possent. Ut igitur vestra Celsitudo cumulum suorum beneficiorum reduplicet, quae in opitulationem Catholicorum Ibernorum destinare decreverit, placeat cito dare, quia dictum est : *Qui cito dat, bis dat.*

(**171**) " Nec vestra Celsitudo perperam ducat in mentem revocare paucos esse tam constantes, qui diuturna omnium requisitorum indigentia cum desperatione futuri sublevaminis non infringerentur, demptis hactenus Ibernis modo arma ad obsequium vestrae Celsitudinis et ad fidei defensionem gerentibus, qui non solum cum abundanter omnibus requisitis
2310 affluerent, compositionem ad votum cum | inimicis recusarunt indies vestrae Celsitudinis adventum expectantes, verum etiam postea a suis domesticis praesidentibus proditorie venditi, a diris tyrannis persecutionem passi, auxiliorum Principum Christianorum spe non semel frustrati, ab omnibus destituti, victum et tegumentum per ignem et aquam inquirentes, quietisque et favoris sagittis a Parlamento saepius tentati (nisi his pollicitationibus acquiescerent) ferrum et focum immisericorditer minante, adhuc tamen gratia Dei et favorum vestrae Celsitudinis expectatione inconcussi remanent. Et quanto magis suppeditantur tanto alacrius reviviscere videntur.

(**172**) " Nec propter hanc incomparabilem constantiam, vel ex confidentia in declaratione a Confaederatis Catholicis facta differri debent subsidia quasi illi colla ferro subjicerent, priusquam Regno exirent. Equidem non ambigo plures esse hujus opinionis. Verum multitudo esse nequit. Nec juxta prudentis viri sensum hoc exigi debet. Vestra tamen Celsitudo certo certius sibi persuadere potest, praefatos nullatenus Regno exituros, vel quasvis conditiones cum inimicis inituros, nisi incredibili miseria confractos, et taediosa suppetiarum vestrarum protractione in desperationem redactos, in quibus casibus lex naturalis dispensat et divina favet. Culpa ergo coram Deo et hominibus dilationi imputabitur.

(**173**) " Nec vestra Celsitudo haec subsidia differre debet |

quasi auxilium Suae Sanctitatis vel alterius Principis expectaret; 2310
1°, quia forte consimilia non pollicentur, vel promissa non v
pervenient quousque res Catholicorum in Ibernia funditus evertentur. 2°. Quia vestra Celsitudo considerabilem pecuniarum summam in scabrosa tunc tellure Iberniae seminavit, nullo inde obtento emolumento. Modo autem eradicata sunt zizania illius glebae, tribulosque ibidem seminata suffocantes eliminavimus. Placeat ergo illam denuo excolere, et in Domino confidens centuplum recuperabit, et utrumque Regnum possidebit." Haec ille.

(**174**) Quod fuerit huic legationi operae pretium haud exactius referre possum. Res autem ipsa loquitur Innisbofinniae Insulam Parlamentariis a Cusako, ejus Gubernatore, fuisse deditam, egregio Ormonista ibi ante in praefectum collocato, ne sincera Catholicorum pars et Lotharingus in illo maximi momenti loco dominarentur. Quo spectat ille epistolae 11° Maii 1651 ex oppido Galviensi in Galliam ad Eduardum Butlerum, Ormonii ibidem se tenentis cubicularium, ab egregio Ormonista scriptae, Ormonio aperiendae, et superius positae locus. Quo epistolae author postquam plurimas Ormonistarum in Ibernia machinationes ad sincerorum Ibernorum et Lotharingi mentem successu frustrandam adhibitas recensuisset: "Clanricardius (inquit) simile in Conacia praestitit, et aliarum trium Provinciarum viribus imperat. | Stratagema moliebatur in Conaciae partes 2311
occidentales et Innisbofinniam, quo Lotharingi ibi factionem enervaret." Sic ille. Quod stratagema quanto studio excogitatum fuerit vel ex eo colligitur quod non ex Momonia, nec ex Conacia, nec ex Ultonia, sed ex Lagenia Ormonismo ante alias tres Provincias jam dictas infecta, nec ex ipsius Lageniae partibus sanis et sinceris, sed ex Colonia Anglo-Ibernica Anglorum suorum ab aevo et ovo studiosissima Georgius Cusacus translatus sit in Innisbofinniam, Insulam ad Ormonii et Clanricardii nutum moderaturus, licet ex vicinitatis regulis in Iberniae regimine inter hoc bellum stabilitis Insula credenda fuisset vel indigenae vel alicui Conaciensi aut Momoniensi potius quam illi Cusaco ex Colonia Anglicana adeo dissita oriundo; sed stratagematis rationes praevaluerunt.

(**175**) Porro Cusacus in deditionis mercedem a Parlamentariis, si non aliud, certe obtinuit facultatem transportandae in Belgium legionis Ibernicae ut ibi sub Lotharingo, quem subsidiis hoc anno missis emunxerat, stipendia faceret, eumque hac arte sibi etiam utili placaret. Eum tamen Lotharingus tanquam

patriae et suae nec non Catholicae causae proditorem legione
2311 multavit. Quo factum ut ille | ad Cromuellum recursum
v habuerit, qui homini de se et suis sicariis in Ibernia optime merito ne deesset, id suo apud Hispanum, cui et Cromuello nec non pseudo-Reipublicae Anglicanae in Gallum et Anglum bene conveniret, nec non apud Hispani in Belgio Ministros interventu assecutus est ut Lotharingus Regi Catholico belli societate in Gallum conjunctus, et ab ejus imperio pendens, Cusaco sub se stipendia facturo Legionem restituerit. Ex quibus omnibus constat P. Franciscum Magruarkium haud ineptiisse quod Cusacum in suspicionem vocasset, et Cluanfertensem Gubernatori plus nimio credulum ejus defensionem, supra quam par esset, suscepisse, ejusque assertis ultra quam mereretur fidem habuisse. Quibus etiam addo nec Regem Angliae pactum inter Iberniae Oratores et Lotharingum anno superiori conclusum approbasse, nec Gallum hoc anno Lotharingo suam Lotharingiam, quo expeditionem Ibernicam valentius et alacrius susciperet, restituisse, licet Cluanfertensis aliorum relationibus deceptus sua epistola 6° Novembris 1652 ad Ultonienses scripta et superius posita secus significarit.

(**176**) Porro cum Ultoniae Provincia P. Franciscum Magruarkium ad sua negotia in Regionibus exteris tractanda
2312 destinarit, illeque, | se per Cluanfertensem et Cusacum excluso, rogarit ut nobilissimus et in causa Catholica promovenda integerrimus Chiliarchus, Moriartus O Brien, substitueretur, censendum videtur Cluanfertensem vel Cusaci, vel aliorum Ormonistarum fraudibus delusum, fidei in se ab aliis Provinciis collocatae non respondisse, cum hos ita excluserit, ut Dominicanorum Provincialem, P. Guillelmum de Burgo, suae Conaciae civem et Clanricardii contribulem, licet sincerum habitum, ad Lotharingum Regni nomine allegarit, praefatorum neutro nulloque alio trium aliarum Provinciarum indigena ipsi in ejusdem legationis collegam associato. Caeterum Provincialis in Belgium transvectus ita Regni causam apud Lotharingum incassum egit, ut suae Conaciae Dominicanos oblivioni non tradiderit, quibus Lovaniense Dominicanorum Ibernorum Collegium paulatim refersit, ipseque deinde plures annos eodem Provincialis officio fungens ibidem pedem fixit, extrusis aliarum Provinciarum Ibernicarum Dominicanis praeterquam adeo numero inferioribus, ut pene nihil possent. Quod bene an male fecerit, Deo judicandum relinquo, et solum, quod successit, recenseo, monens patriotas omnes et in bonum

publicum instanter rogans ut in hujusmodi occasionibus non quae sua aut suorum sed quae Christi sunt quaerant.

(177) Porro ex Dominicanis Ibernis illo Collegio Lovaniensi | a P. Provinciale deturbatis fuere Momonienses, P. Patricius 2312
O Kearneus, vir doctrina et virtute clarus, et P. Patricius v
Hacquettus, qui Nuncio atque ejus fautoribus, quanto studio in Ibernia adhaeserit, ad annum 1647 et ad annum superiorem tetigimus. Hoc autem anno ad P. Richardum O Ferallum, Capucinum Ibernum, Lovanio in Urbem Anglice scribens: "Compono (inquit) tractatum de illa damnabili anti-Catholicae factionis defectione a nostra confaederatione. Verum ii mihi infernales usque modo positi fuere obices, ut nondum ei coronidem imposuerim. Quam etiam si imposuissem, haud eum tuto in lucem edere possem, nisi Ibernia restituta in conditionem ad eum promovendum et protegendum idoneam. Unde intelligas meram fuisse calumniam, quod institerim ut ejus typis mandandi licentia mihi concederetur. Quinetiam duo mei utcunque amici istic se tenentes mihi peremptorie scripserunt meum Generalem nunquam operis mei typis mandandi facturum potestatem, licet nullam unquam ejus rei fecerim mentionem.

(178) "Supra modum admirareris, si scires quae excogitatae sint viae ne progrederer. Spero tamen futurum ut Deo auspice, invito Inferno ejusque emissariis opus absolvam, eoque tanquam ictu retundam omnes adversariorum nostrorum libellos famosos in authorum confusionem. Compilavi omnia nefaria Comitiorum acta, | edicta, declarationes, proclamationes, et literas 2313
Concilii, aliorumque praefectorum factionis, donec prorsus evanuit. Charissime Pater, si nulla alia mihi esset Paternitatem tuam amore prosequendi causa, quam quod illius sacrae Religionis sis alumnus,ex qua in illo magno Iberniae experimento nemo, ne latum quidem unguem (quod mea opinione palpabile eorum praedestinationis praesagium est) suo officio defuit, sufficeret ad me compellendum ut aeternum sim Reverendae admodum Paternitatis tuae indubitatus amicus et servus." Haec ille, quae ex autographo 29° Novembris 1652 Lovanii scripto transtuli. Verum postea dicto Dominicanorum Ibernorum conventu Lovaniensi deturbatus, et post pauculos annos Lovanii mortuus, librum (ut mihi praefatus P. Patricius O Kearnaeus retulit) jam absolutum ita deposuit custodiendum apud quendam amicum, natione Ibernum, ut metuam ne Ormonistarum et haereticorum dolis interciderit in gravissimum

causae Catholicae praejudicium. Author Ibernicam, Anglicam, Latinam, et (credo) alias linguas eleganter callebat, et ardentissimo causae Catholicae flagrabat zelo, licet paterna familia ex Anglo-Ibernis, qui factionis Ormonicae plerumque coryphaei erant, originem traxerit, et fuerit (ni male memini) ex sorore nepos Philippo O Kearnaeo, publico Confaederatorum inter hoc bellum Clerico, ita Ormonistae ut tamen ejus scrinia nepoti patuerint. |

2313 v (**179**) In Ibernia hoc anno paulo post praefati P. Provincialis abscessum Richardus O Ferallus, copiarum Ultoniensium Imperator, cum suis contribulibus et eorum cognatis ac clientibus, non Ultoniensibus sed Comitatus Longfordiensis indigenis, hactenus illi in eo exercitu adhaerentibus, copias Ultonienses valere jussit, et cum Parlamenti Anglicani Commissariis in Ibernia residentibus concordavit nescio quibus macris conditionibus statum ejus pene desperatum redolentibus, inter quas fuisse conjecto ut ipsi cum praefatis sibi necessitudine conjunctis in Hispaniam ad stipendia sub Rege Catholico Philippo 4° facienda trajicere liceret, sicut inferius aliquanto exactius recensebitur.

(**180**) Alibi vidimus Cleri Ibernici Congregationem Cluainmacnosiae mense Decembri 1649 celebratam decrevisse ut Episcopus Dunensis et Guillelmus Burgattus Regni nomine ad Suam Sanctitatem aliosque Principes exteros allegarentur. Qua legatione Ormonii et Ormonistorum fraudibus usque ad Comitia Loghreaghensia suspensa, ibi decretum fuit etiam ab Ormonistis ut Romam mitterentur, qui eorundem submissionem ibi scriptam, et suo loco positam, Innocentio X° praesentarent, et (sicut Tuamensem Ardmachano per epistolam 8° Aprilis 1651 2314 scriptam significasse vidimus) *satisfacerent* | *pro ejectione D. Nuncii*. Verum haec secunda legatio eidem Dunensi, et non Guillelmo Burgatto sed P. Olivero de Burgo, Tuamensis et Duacensis fratri, importunis suorum studiis in Guillelmi locum substituto, etiam a Clanricardio, Prorege, decreta, paribus machinationibus ad nihilum recidit. Quare fidem habet ipsum atque alios complures Ormonistas nunquam sincere consensisse ut legatio illa obiretur, sed id praesetulisse et moras moris nexuisse, ne suae impaenitentiae horrore Clerum populumque ad se deserendos et deturbandos impellerent. Quo ergo pacto fidem Eugenio O Nello atque ejus partibus pollicitatione 12° Octobris 1649 scripta super hac re datam, et in Comitiis Loghreaghensibus postea repetitam liberaverint, me latet? Fateor

tamen submissionem utrobique promissam fuisse pene ludicram, et talem, qualem antea ab eorum Procuratore, P. Joanne Rouaeo, Romae oblatam Pontifex spreverat. Porro Dunensis hoc anno 1652 Romam profecturus ex Ibernia navigavit, sed vix mare ingressus cum navis, qua vehebatur, in hostes Parlamentarios oceanum Ibernicum latrociniis infestantes incidit. A quibus e regione Comitatus Corcagiensis inter pugnam navalem tormenti bellici globo percussus, paulo post (sicut charta ab Ibernis hoc ipso anno in Belgio typis mandata habet) satis sibi praesens, et animam Creatori | enixius commendans, 2314
piissime et maxima cum adstantium aedificatione obiit eadem v
die Dominica Palmarum an. 1652. Is fuit Arthurus Magnesius vel rectius Magaengusius, ex nobilissima atque antiquissima Magaengusiorum familia apud Ultoniam a tot saeculis fundatissima oriundus, Eugenii O Nelli ex sorore nepos, Vicecomitis Iveaghensis, splendidissimae illius tribus Principis, patruus, Ordinis Cistertiensis, cujus habitum anno aetatis 17° susceperat, et in quo (ut ibidem lego) adeo religiose vixerat, ut anno aetatis 24° in Abbatem caenobiorum Benchorensis et Nurensis electus fuerit, deinde anno aetatis 33° in Episcopum Dunensem et Conerensem (sicut suo loco fusius relatum est) cooptatus.

(**181**) Quid Dunensis a Congregatione Cluanmacnosiensi in monitis et mandatis habuerit, ex ejusdem Synodi actis suo loco ad annum 1649 partim insertis, partim verborum compendio perstrictis, nec non ex sua ipsius epistola 24° Maii anno 1650 ex castris Ultoniensibus ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam data, ac superius partim in medium producta, satis constat. Porro ex eadem epistola 24° Maii data colligendum est praefata acta Cluanmacnosiensia ad illam legationem pertinentia fuisse Dunensi tradita, eaque penes ipsum fuisse, dum | epistolam jam dictam Nuncio scriberet. " Spero (inquit) Dei 2315
Opt. Max. benignitate mihi datum iri, antequam praesens hic annus expiraverit, opportunitatem vestras deosculandi sacras manus. Sin aliter Divinae providentiae visum fuerit ita ut intelligam me meis in hac parte desideriis non posse satisfacere, eas quas transmitti literas vestra interesse judicavero, tam cito et tute ac potero per Dei gratiam transmittam." Haec ibi.

(**182**) Dunensis, qui legatione deinde aliorum machinationibus dilata, sed ejus obeundae spe semper facta, nunquid literas a Congregatione Cluanmacnosiensi datas et ipsi traditas, antequam hoc anno 1652 ex Ibernia solveret, juxta hanc sponsionem in Italiam transmiserit, an vero Legationis obeundae

spe semper facta suspensus apud se (quod forsan probabilius est) custodierit, quaestio est? Reperi autem anno 1663 Florentiae in P. Richardi O Feralli, Capucini Iberni, tunc extremo morbo ibidem laborantis, Chartophilacio epistolae 13° Decembris 1649 ab illis Congregationis Cluanmacnosiensis Praelatis qui Nuncii partes sequerentur ad Innocentium X datae, nec non alterius eodem die ad Suam Sanctitatem ab ambarum partium Praelatis, proindeque ab ipsa Congregatione circa Dunensis Legationem et fidem ipsi habendam scriptae, nec non tertiae ab Episcopo Cluanfertensi Congregationis
2315 Secretario chartae non adeo bonae, | characterum et styli
v (ut aiebat) *non politi* veniam petente ac impeditissimorum temporum injuriam causante ad eundem Pontificem 8° Januarii 1650 datae ac Dunensi credo traditae autographa *sigillis volantibus* atque alteri tantum chartae parti alligatis ita munita ut harum prima fuerit illa, qua Praelati a Nuncio stantes suam in eadem sententia constantiam professi sunt, rogantes tamen Suam Sanctitatem ut a Censuris absolveret ad cautelam. Epistola haec incipit his verbis: *Beatissime Pater ad pedum oscula provoluti credimus Sanctitati Vestrae jam pridem innotuisse*, etc. Caeterum hoc istius epistolae autographum in quo ab ejus apographo inter acta Cluanmacnosiensia ad annum 1649 a me in medium producta et ab Episcopo Immolacensi ad Nuncium in Italiam misso differat ibi ostendi.

(**183**) In eodem etiam P. Richardi chartophilacio mihi una occurrit illius epistolae circa fidem Dunensi astruendam ad Pontificem datae apographum a Cluanfertensi Congregationis Secretario transcriptum testante esse *copiam veram*. Ibidem quoque mihi occurrerunt sex epistolarum ab eadem Congregatione Cluanmacnosiensi in Urbem ad Cardinalem Iberniae Protectorem et ad tres alios Cardinales, nempe Spadam, Capponium et Panzirolum, nec non ad Principem Pamphilium,
2316 Innocentii X ex fratre | nepotem, ac denique ad P. Petrum Franciscum Scarampum, antea apud Iberniam Ministrum Apostolicum, in Urbem cum Dunensi destinatarum autographa (nam Secretarii et dissonos subscribentium Praelatorum apices internosco) sed nunquam obserata, et denique potestatis Dunensi et D. Guillelmo Burgato a Congregatione factae mandata varia etiam autographa. Reperio autem Dunensi perempto ejus chartas a quibusdam causae Catholicae fautoribus ipsi assistentibus fuisse fideliter transmissas in Urbem ad Massarium, tunc S. Congregationis Propagandae fidei Secretarium, qui forsan eas partim Pontifici, partim P. Richardo,

tunc Nuncii fautorumque causam Romae semper defendenti, tradidit. Porro ego has omnes chartas, aliasque eodem spectantes anno 1664 Edmundo O Rellio Primati Ardmachano et dicto D. Guillelmo Burgato, tunc Romae se tenentibus Florentia in Urbem misi ut iis uterentur, sicut expedire judicarent.

(184) In Ibernia multi alii hoc anno fidei causa diem obierunt, quorum acta ad meas manus non pervenerunt, excepto | Dominicanorum pari. De quibus hoc frustum ab alio contextum accepi. 2316 v

" De Martyrio Reverendorun Patrum Bernardi et Laurentii ex O Ferallorum familia, et S. Dominici Religione, natione Ibernorum.

(185) " Uterque ex amplissima O Ferallorum familia oriundus, uterque primogenitus ad terras et haereditates parentum natus. Ambo magistri et celebres Divini verbi praecones. Ambo Longfordiae, Roscomaniae, Deriae, etc., Prioratu, aliisque Ordinis sui muniis laudabiliter functi. Ambo Religionis et Ecclesiae Catholicae, ejusque immunitatum in his ultimis defectionibus propugnatores acerrimi, a quorum nutu Clerus, nobiles et populus Patriae pendebant. Ambo uti dignissimi ad Episcopatum postulati et praesentati una cum sinceris Catholicis et agnatis statuerant aut sartam tectam servare fidem ad ipsos a majoribus per duodecim amplius | saecula illibate transmissam, aut pro illa pugnando gloriose mori. Atque ita praecincti lumbos in habitu suo sacro ab haereticis reperti, sollicitati ad haeresim nec precibus, nec blanditiis, nec praemiis, nec minis vinci potuerunt. Unde saevitur in illos tamquam Papismi propugnatores, Romani Pontificis exploratores, religionis Protestanticae hostes. Exclamant vociferantes haeretici : impetite, occidite Papistarum coryphaeos et ductores. Atque ita P. Bernardus subito gladiis et hastis ad octodecim laethalia vulnera confossus pro mortuo derelictus est, sed suo sanguine pene suffocatus, vixit donec rite susceptis sanctissimis sacramentis lauream Martyrii attexuit doctorali, quam a Reverendissimo P. Marino, Generali Magistro, nuper merito acceperat. 2317

(186) " P. Laurentius sine vulneribus captus fuit in carcerem conjectus et die Mercurii suspendendus ad patibulum ductus maximam animi et vultus hilaritatem praesetulit. Precibus autem aliquarum nobilium Anglarum accurrentium ad tantum spectaculum vita se donatum in diem Sabbathi proxime se-

quentem intelligens, mox in summam adstantium admirationem maestissimus apparuit, et causam interrogantibus respondit: ita meipsum dispositum ad mortem pro Deo meo et fide Catholica nunc solvendam sentio, ut maxime timeam, ne
2317 nunquam iterum tam faelicem mortem adeo | bene dispositus
v sim subiturus. Plures etiam haeretici Angli tantum hominem vita dignissimum arbitrati pro illius liberatione plurimum licet frustra insudarunt. Porro rejecta eorum petitione die Sabbathi ductus ad furcam in scala gradum sistens et ad populum conversus tam efficaciter in summam omnium etiam haereticorum aedificationem peroravit, ut omnium oculis salsas lachrymas expresserit, et partem auditorum converterit ad fidem. Tandem laquei suffocatione Martyrium suum consummavit." Hactenus illa horum duorum Martyrum relatio.

(**187**) Sed haec in Ibernia successerunt. At extra Iberniam parum dubito quin nostrates fidei causa in exilium missi per centurias integras hoc anno vitam pie clauserint. Quorum ne catalogum quidem memoriae prodere valeo, cum monumenta et commentaria me deficiant. Specialem tamen meretur mentionem Episcopus Waterfordiensis, de quo ad annos superiores multa in ejus laudem legeris. Is sua civitate Waterfordiensi anno 1650 ab haereticis capta exulavit, et ex Gallia Armorica ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam 23 Martii 1651 scribens: " Post octo (inquit) mensium obsidionem sine ullis suppetiis et post absumptionem tum pulveris tormentarii et annonae, tum post mortem quinque millium civium et
Vol. VI militum ex dira peste, coacti | fuimus ad deditionem urbis
f. 2318 Waterfordiensis. Aliam autem conditionem mihi obtinere non poterant Commissarii nostri quam exilium ante tres menses, et dum huc navigarem incidi bis in manus pyratarum. Post appulsum longa laboravi debilitate, nunc autem melius me habeo, licet non sim omnino pristinae sanitati restitutus.

(**188**) " Post discessum meum pauci ecclesiastici, qui Waterfordiae supererant post pestem, et delitescebant inter superstites Catholicos in exilium ejecti sunt, et (ut audio) pestis ibi iterum grassatur, et reliquos Catholicos tollit e medio. Nuper obierunt post meum discessum nepotes mei Paulus Carew et Joannes Geraldinus, et alii non pauci similem mensuram miseriarum perpessi sunt Dublinienses, Wexfordienses, Kilkennienses, Rossenses, Clonmellienses et finitimae regiones." Haec Waterfordiensis, qui in illa Galliae provincia Nannetis pedem fixit, ubi cum *hominem non haberet*, ita ejus causam apud Britanniae

illius minoris ordines, Capucini, ejusdem Provinciae alumni, susceperunt, ut ipsi ab iisdem ordinibus decretum fuit, unde vitam honeste juxta statum Episcopalem sustentaret. Nec ita diu post extremo morbo laboravit, cui etiam ea infirmitate detento Conventus Nannetensis Capucini usque ad mortem magna charitate astiterunt, illeque magna eos devotione et gratitudine prosecutus, inter ultimam voluntatem statuit, ut ipse in eodem Conventu | sepeliretur. Verum 10 Martii 1652 2318
mortui tanta mox percrebuit sanctitatis opinio ut Decanus et v
Canonici Nannetenses cadaver Capucinis praereptum solemni pompa in suam ecclesiam S. Petro sacram transportarint, eique ibi maximo Cleri populique concursu et devotione parentarint sepulto ad altare chori ecclesiae Sancto Petro dicatae, *ex parte Evangelii* intrando in chorum, in fornice sepulchrali nuperi Episcopi Nannetensis expensis in suum et posteriorum sepulchrum concamerato, qui tamen magna sanctitatis opinione ita Carnuti decesserat, ut ibi sepultus fuerit, et sepulchrum illud non sibi, sed Deo providente, Waterfordiensi praeparaverit. Cujus etiam Epitaphium mihi Nannetis in Italiam missum hic subjungo :

(**189**) " Quid hic stas viator ?
Laetum aliquid quaeris
Abi.
Funus narro
Acerbum, indignum, lachrymabile.
Aliquid priscum ?
Heu pietas, heu prisca fides
Alumnum hic vestrum et parentem,
Vindicem et Martyrem
Situm agnoscite, |
Patricium Comerford, 2319
Waterfordiensem juxta ac Lismoriensem
Praesulem Illustrissimum,
Domo Ibernum, genere nobilem, eruditione spectabilem,
Doctorem Laureatum,
Sacri Eremitarum S^ti Augustini Ordinis et Instituti
Olim clientem, lumen et columen egregium,
Visitatoris munere in eodem perfunctum non semel.
Quid tum ?

Illum, illum haereticorum malleum, schismaticorum fulmen, vitiorum clavum, patrem patriae, centum olim captivorum vindicem, et assertorem longe meritissimum,

Illum verbi divini praedicatione Apostolum,
Exilii patientia Martyrem
Pietatis studio Confessorem.
Virtutis inclytae, fidei invictae, constantiae immobilis.
Quid (inquam) rogitas ?
Ah, quoniam alios nunc vultus, aliaque ora contueor, dicam confidentius.
Catholicae veritatis defensorem fortissimum,
Libertatis ecclesiasticae vindicem acerrimum,
Sedis Apostolicae propugnatorem strenuissimum
Britannia major expulit,
Britannia minor excipit
Deinceps vel hoc solo nomine major futura : |
2319 Patriam fugit
v Etenim
Nulla fides terrae et crudelibus Anglis.
Nannetas venit.
Nimirum
Sunt haec sua praemia laudi
Sunt lachrymae rerum et mentem mortalia tangunt.
At O rerum vices.
Finis alterius mali
Gradus est futuri.
Excidium patriae, exilium attulit innocentiae.
Hoc denique exitio vitae fuit.
Quippe luctu et maerore calamitatis
Publicae et privatae
Suorum civium, suarum ovium
Civis optimus. Pastor bonus
Infra paucos menses
Confectus extinguitur.
Extinctum
Venerabilis insignis hujus Ecclesiae Decanus et Canonici celebri pompa et funere extulerunt, et antiquo Illustrissimorum Praesulum sepulchro condidere.
Conclamatum est.
Abi.
Votisque modo et precibus fave.
Avunculo bene merenti
Nepotes maerentes, |
2320 Patricius Hacquet et
Nicolaus Geraldin
Sic parentabant.

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN V.

PARS. II.

An. 1653.

In nomine Sanctissimae Trinitatis
Incipit Annus 1653.

(1) Exordimur hunc annum a crudelissimo Anglicanorum in Ibernia Commissariorum edicto die Januarii 6ª Dubliniae Anglice lato et typis mandato, quod ad meas manus non nisi ab aliis Latine versum pervenit :

" *Per Commissarios Parlamenti Reipublicae Anglicanae ad res Iberniae administrandas delegatos.*

(2) " Cum plurimorum annorum experientia compertum sit Jesuitas, praesbyteros in Seminariis educatos, et alios sacerdotes ac Papisticas religiones et personas Papisticis ordinibus initiatas in Ibernia tenere id sui officii esse, et hoc suum opus facere, ut populi animos et affectiones a debita authoritati et Gubernio Reipublicae Anglicanae obedientia subtrahant et sub populi in religione Papistica | instruendi ac docendi praetextu, illum 2320
moveant et excitent ad seditionem, et rebellionem, nec non ad v
amplectendam ac introducendam extraneam potestatem et jurisdictionem in hanc Nationem, unde crudeles et barbarae Anglorum et Protestantium in Ibernia ab anno 1641 caedes et exitiale bellum inde secutum originem traxerunt. Cumque praefatorum non pauci praedictis Commissariis supplicando, fidem publicam, qua in partes transmarinas navigarent, ab ipsis obtinuerint, et nihilominus suum discessum differant, et sub praedicto colore populum in perniciosa sua dogmata et vias jam dictas trahere et seducere non desinant. Ut praedictae personae populum ulterius decipiendi, eove suas proditorias machinationes prosequendi opportunitate destituantur, a quibus nulla ordinaria monitione aut suavi justitiae ratione deterreri possunt, licet in earum prosecutione et vitas proprias et languentem hanc ac pauperem Nationem extremae ruinae atque interitus periculo exponant ; dicti Commissarii statuunt ac mandant ut omnes et singuli Jesuitae, sacerdotes in Seminariis educati, et alii praesbyteri quicumque per ullam authoritatem, potestatem, aut jurisdictionem a Sede Romana derivatam, vindicatam, aut praetensam initiati et ordinati, intra

viginti dies ab hoc edicto in Ibernia intra singulos respective districtus promulgato, ex hac Natione discedant, si tempus,
2321 ventus, et commoda navigandi occasio se opportune | praesentaverint ; sin autem, certe ubi primum post viginti dies ventus, aura, et transmigrandi commoditas se obtulerit ; et ut nullus Jesuita, praesbyter in Seminariis educatus, aut alii sacerdotes jam dicti veniant, sint, aut maneant in ulla hujus Nationis parte post praefatos viginti dies, nisi obtenta in scriptis speciali licentia a Reipublicae Anglicanae Parlamento, vel ab exercitus et copiarum militarium dictae Reipublicae in Ibernia Praefecto Generali. Si qui autem Jesuitae, praesbyteri in Seminariis educati, aliive sacerdotes (ut supra dictum est) non discesserint, in hanc Nationem venerint, aut in ea fuerint vel permanserint, omnes et singuli subjaceant et obnoxii sint paenis et damnis in Jesuitas, Seminaristas, et alios sacerdotes Anglia non abituros aut in Angliam venturos decretis et latis quodam edicto ad annum Reginae Elizabethae vigesimum septimum condito, quo mandatur ut omnes sacerdotes abeant et non revertantur, etc.

(**3**) " Ulterius statuitur et mandatur ut omnes et singuli, qui post dictos viginti dies ullum talem Jesuitam, sacerdotem in Seminario educatum, aut alium praesbyterum, diaconum, vel virum ecclesiasticum per authoritatem a Sede Romana derivatam aut praetensam initiatum aut ordinatum (modo in libertate et extra custodiam positus fuerit) lubentes receperint, foverint, juverint, aut sustentaverint, si Jesuitam, sacerdotem
2321 in Seminario | educatum, vel alium praesbyterum, diaconum,
v aut personam ecclesiasticam (ut jam dictum) esse non ignoraverint, subjaceant paenis dicto acto expressis et specificatis ob receptionem, consolationem, auxilium, et sustentationem talium Jesuitarum, Religiosorum, sacerdotum, vel aliarum ecclesiasticarum personarum, ut supra.

(**4**) " Ulterius per hoc ordinatur et statuitur ut edictum seu statutum praefatum anno Reginae Elizabethae 27° conditum imposterum in hac Natione executioni mandetur. Omnes etiam Judices et Justitiarii, aliique justitiae administrandae Commissarii faciant et facere possint, et per hoc authoritate muniuntur et rogantur ut dictum actum pleno et debito modo executioni mandandum curent. Omnes etiam Judices, Justitiarii, officiales, exercitus milites, aliique quavis authoritate sive civili sive militari in hac Regione pollentes, in ejusmodi sacerdotes, Jesuitas, diaconos, et personas ecclesiasticas apud

hanc Nationem contra istam declarationem (ut supra dictum est) reperiendas debitam inquisitionem et indagationem faciendam curent, ipsosque apprehendendos et in carcerem conjiciendos, indeque nec dimittendos nec educendos, praeterquam debito juris cursu judicatos. Primarii quoque exercitus Parlamentarii duces in singulorum respective districtibus per hoc requiruntur ut hoc edictum debito modo quamprimum promulgandum curent, et praefatis Parlamenti Commissariis ejusdem promulgationis tempus | et locum significent. Datum 2322
Dubliniae 6° Januarii anno 1653.

Carolus Fleetwood. Edmundus Ludlow.
Miles Corbet. Joannes Jonius."

(5) Reginae autem Elizabethae edictum anno Christi 1585 in Anglia adversus solos ipsius Angliae ecclesiasticos latum, et hoc dictorum Commissariorum statuto plusquam Neroniano demum in Iberniam extensum, quam inhumanum et barbarum fuerit, te docebit ejus frustum, quod hic ex Anglico sequitur, sicut habet *Concertatio Eccles. Cathol. in Angl. fol.* 397 et seqq.

(6) "Statutum sit praeterea et decretum authoritate praedicta quod posthac non licebit ulli Jesuitae, sacerdoti, Seminaristae aut alicui alteri sacerdoti vel diacono, vel Religioso, vel ecclesiasticae personae cuicumque, quae intra idem Regnum vel alia suae Majestatis dominia nata fuit, et antegresso tempore post dictum festum Nativitatis S. Joannis Baptistae anni primi Regni suae Majestatis creata, ordinata, aut professa fuerit, vel deinceps creari, ordinari, aut profiteri potuerit authoritate aliqua, vel jurisdictione a Sede Romana derivata, vendicata, vel praetensa, quocumque demum nomine, titulo, vel gradu vocentur aut censeantur, non licebit (inquam) hujusmodi cuiquam personae post supradictos quadraginta dies elapsos in aliquam hujus | Regni aut aliorum Majestatis suae dom- 2322
iniorum partem venire, vel in ea esse, aut remanere, nisi in V
illis tantum casibus specialibus, et ex occasionibus illis, et pro illis tantum temporibus, quorum vel quarum in hoc praesenti statuto expressa mentio fit. Siquis aliter fecerit, omnis hujusmodi transgressio pro Laesae Majestatis crimine habebitur et judicabitur, et persona quaecunque taliter transgressa fuerit, propter hujusmodi transgressionem Laesae Majestatis rea judicabitur, patieturque, spoliabitur atque multabitur ut Laesae Majestatis convicti solent. Quicumque autem post elapsos quadraginta dies et tempus illud abeundi prius constitutum

Act. Parlamen. Anglic. mense Martio 1585

ac limitatum scienter ac volenter domo receperit, sustentaverit, confortaverit, adjuverit, aut defenderit aliquem hujusmodi Jesuitam, Seminaristam Sacerdotem, aut alium sacerdotem vel diaconum, vel Religiosum, vel ecclesiasticam personam (ut supra dictum est) libere agentem aut extra carcerem constitutam, cognoscens eum Jesuitam esse, Sacerdotem Seminaristam, aut alium talem sacerdotem, diaconum, vel Religiosum, vel ecclesiasticam personam (ut supra dictum est) pro hujusmodi offensa condemnabitur *Feloniae*, perinde ac si furti aut homicidii reus esset, absque ullo clericatus beneficio ad evadendum, hoc est mortis supplicio, jactura bonorum, ac aliis
2323 paenis multabitur, quibus de furto aut | homicidio convicti multari solent." Haec ibi.

(**7**) Multae aliae crudelissimae clausulae in eodem Elizabethae statuto anni 1585 apud Angliam primitus lato, et hoc anno 1653 per praefatum Commissariorum Anglicorum edictum juxta omnes suas partes in Iberniam introducto, continentur, nempe ut juvenes laici, Collegiorum alumni, in partibus transmarinis pietati ac bonis litteris operam navantes, nisi fidem Catholicam intra sex menses abjurent, rei sint laesae Majestatis. Ut Catholicis exulibus ullum praestantes subsidium, amittant bona et libertatem. Ut dimittens filium aut famulum in exteras regiones, nisi cum speciali supremi Magistratus licentia scripta perdat pro singulis vicibus trecentos triginta duos aureos. Ut hujus saevissimae legis executio in quovis Regni tractu per viam judiciariam fieri possit. Ut sacerdotes cognitos non prodens ad supremi Magistratus arbitrium plectatur. Et alia multa dira duraque in eodem edicto sanguinario, quod brevitatis studio ad longum non inserimus, apud libros ab ipsis Angliae Catholicis editos legenda.

(**8**) Praefato edicto in Ibernia a nefarii Cromuelli et sceleratissimi Parlamenti Anglicani ministris promulgato, Dubliniam ex non nullis Iberniae partibus missi sunt qui instarent ut illud refigeretur, vel certe temperaretur. Illique hunc |
2323 libellum supplicem Cleri Ormonio et Ormonistis adhaerentis
v impietate faetentem Anglice praesentarunt :

> " *Humilis Petitio Agentium Comitatuum Midiae, Dubliniae, Kildariae, Kilkenniae, et Baroniarum Superioris et Inferioris Ormoniae, nec non urbis Galviensis.*

" Admodum Honorabilibus Parlamenti Commissariis ad res Ibernicas moderandas delegatis.

(9) " Exponitur plerosque ex Comitatuum et locorum superius nominatorum Clero adeo resistendo Papae Nuncio, et ad eum ex hac Natione explodendum cooperando, suam in re Anglicana sustinenda constantem operam collocasse, ut ea ratione eorum, qui suam in exteris regionibus religionem profitentur, malevolentiam incurrerint. Quare sibi, non solum quoad vitae in illis partibus sustentationem, quae a populi charitate dependeret, noxium, sed etiam suis personis periculosum esse ducunt ut ab iis, quorum causa, quosque ut servarent, tanta juxta nationum exterarum opinionem passi sunt, in regiones exteras se recipere cogantur. Itaque honoratissimis Dominationibus vestris | placeat ut eos in vestram protectionem recipiatis, 2324
eisque in Regno vivere permittatis, vel saltem iis, quos ex eorum numero Regimen Anglicanum haud aversari liquet, quique vadimonio cavebunt futurum ut honeste se gerant, et Regimini jam stabilito obsequantur, ac se fideles exhibeant. Et oratores vestri semper precabuntur." Ant. Relatio.

(10) Hunc libellum supplicem praesentarunt Henricus Talbottus de *Templo Juniori*, Eques auratus, Eduardus Comerfordus, Walterus Birne, Brimingamus de Dunifert, Terentius . . . . . et alii. Quibus Edmundus Ludlous, tunc sub Cromuello et Parlamento Anglicano Iberniae Deputatus generalis respondit, Parlamento Anglicano non esse fidendum illis ecclesiasticis Papisticis, qui suis Praelatis, quibus ex suae religionis praescripto fidelitatem atque obedientiam deberent, neutram praestiterint. Oratoribus autem ut aliud ab hoc salso responso daretur, instantibus, et Parlamentum Anglicanum suo decreto 27° Septembris 1650 condito *conscientiae libertatem* pollicitum fuisse, ejusque in Ibernia Commissarios adjecta sua pollicitatione 18 Martii 1652 idem decretum ad Iberniam extendisse prementibus, exiit novum edictum, quo fidem publicam antea decretis illis, quibus populo Catholico, ut ad deditionem et submissionem facilius adduceretur, Parlamentarii fucum fecerant, datam re ipsa violarunt, ita tamen ut cum flagitii tantopere pudendi et suae impudentiae ipsos aliquatenus | puderet, cum protoplastis cognoverint se esse nudos ; consuerint 2324 v
folia ficus, fecerint sibi perizomata et se absconderint sed velamine adeo levidensi, ut eorum nuditas introspiceretur. Ant. Rel

Nempe Catholicis per illud novum edictum profitendae suae religionis ita potestatem fecerunt, ut sacerdotum illis ministerio interdixerint, et prius illud edictum in ecclesiasticos 6° Januarii conditum confirmarint, quasi conscientiae et religionis libertas Catholicis promissa stare posset sine sacris, sacramentis et sacerdotibus. Porro hoc viso oratores jam dicti novum offerunt libellum supplicem, rogantes ut saltem infirmis, simplicibus, atque illiteratis sacerdotibus, qui ex Cleri praefati Ormonistis olim addicti
Ant. Rel. numero essent, liceret non exulare. Quibus unus ex Parlamenti Commissariis, Miles Corbettus, respondit, populum a sacerdotibus verbo atque exemplo instruendum ac dirigendum, ideoque illos potius excludendos, atque in primis deturbandos, qui in eum finem minus idonei reperirentur, et vel omnino nullis faciendam permanendi copiam, vel certe magis aptis, qualem esse affirmavit P. Petrum Walshaeum, illum Apostatam Franciscanum, quem libelli Anglicani in Nuncium atque ejus censuras anno 1648 Kilkenniae editi, plurimorumque aliorum scelerum authorem fuisse vidimus. |

2325 (**11**) Itaque per Parlamentarios nullis ecclesiasticis, ne Clero quidem Ormonico per quem steterat ne haeresis et haeretici Anglici Regno exploderentur, in Ibernia permanere licuit, nisi quibusdam, qui per fideiussores caverant futurum ut functiones sacerdotales non exercerent, qua, non pollicitatione, sed multatitia fideiussione haud obstante, et ipsi postea clam sacramenta administrabant, sed paucis ac fidis.

(**12**) Hucusque Dei gratia specialiter adjuvante, Hiberniae Catholici, Anglorum arte et Marte invito, adeo generose et constanter haeresi restiterunt ut licet ab anno 1534, quo Henricus octavus ab Ecclesia defecerat, per centum annos et quod excurrit gravissimis fidei causa mulctis et paenis oppressi fuerint, nunquam tamen haeresis usque ad hoc tempus triumphum plenum confecerit. Semper enim antea metuebant sibi Angliae haeretici ne Iberni, si ad totius violentiae fines redigerentur, fidem non abjurarent, sed ad uniendas inter se vires, ultimamque belli aleam tentandam coacti, jugum Anglicum excuterent. Quae sola semper causa fuerat cur crudelissimae haereticorum Anglicanorum leges in fidei perniciem latae nunquam hucusque inter Ibernos tam imperiose ac inter ipsos Anglos mandatae sint executioni. Verum nostratium viribus, non Anglorum vir-
2325 v tute bellica, sed sua ipsorum discordia | hoc bello demum fractis, haec ratio, proindeque malitiae et saevitiae Anglicanae temperamentum eatenus adhibitum cessavit. Quare praefati

edicti 6 Januarii 1653 lati executio fuit exactissima, ut prope quivis miles haereticus ex tot millibus per Iberniam sparsis evaserit hujus iniquitatis vel explorator, vel lictor, vel tortor, vel Judex, vel aliquibus aliis ejusmodi barbari magistratus sordibus conspurcatus. Tanta omnibus concedebatur in Clerum fautoresque et benefactores saeviendi libido. Tanta inerat singulis rabies aucta spe turpis lucri. Cuivis exploratori 50 librae Turonenses decernebantur numerandae quoties personam ecclesiasticam praesentasset. Quo factum ut quotquot e Clero Ibernico ante fame, peste, gladio, igne, patibulo, non occubuerant, post immane illud et barbariem Anglicanam spirans edictum in duas se phalanges diviserint. Alii in Franciam, Hispaniam, Belgium, Germaniam, Italiam exundarunt. Alii pro Christo mori cupientes, in Ibernia pedem fixerunt. Quibus cum non esset tutum nec integrum in Catholicorum aedibus diversari, secesserunt in sylvas, solitudines, cryptas subterraneas, ferarum, quibus magis quam | Anglis se 2326
credebant, lustra, aliaque id genus latibula et loco invia, ex quibus extruebant sibi casas vimineas, tuguria, et mapalia, ut tamen eodem diu loco consistere non auderent, ob metum speculatorum, quorum greges integri per omnes Insulae angulos diffundebantur, incredibili in Clero indagando nequitia et malignitate.

(**13**) Inter eos, qui tunc exularunt, fuit P. Fiacrius Tobinus, Capucinus Kilkenniensis. Is fidejussores suos vadimonio, cujus antea mentionem fecimus, liberaturus, in Galliam Armoricam hoc anno navigavit ; ubi statim atque tabellionis opportunitatem nactus est, scripsit ad P. Christophorum Cassiliensem, Missionis Ibernicae Capucinorum tunc Commissarium Generalem et Praefectum, se juxta sponsionem haereticis Anglicis in Ibernia factam de exulando, et ad exonerandam fidejussorum obligationem (neque enim sibi permissus est nisi quibusdam Catholicis ejus exilium sua ipsorum fide esse jubentibus) in Gallias navigasse, ita tamen ut mox in Iberniam alia via redire vellet, si id Commissarius ratum haberet, cujus pleno atque absoluto imperio qua ad remigrandum in patriam Insulam, qua ad pergendum in quamvis aliam urbis plagam, per eas litteras, quas autographas vidi, voluntatem obtulit omnino promptam et expeditam. |

(**14**) Literae illae Carolopolim, in qua civitate Gallicana ad 2326
Mosam fluvium sita Capucini Iberni egregium monasterium v
habent, directae fuere. Verum P. Christophorus, Missionis

Praefectus, tunc forte Carolopoli aberat apud Provinciam Rhenanam. Quare P. Malachias Tirconalliensis, tunc Carolopoli non Guardianus modo sed et Vice-Commissarius, una rem P. Christophoro significavit et P. Fiacrii animi magnitudini atque in Iberniam remigrandi voto acquievit, monitumque habuit ut per tesseras collybisticas reciperet quantum habita seraphicae paupertatis ratione ipse pro viatico necessarium fore judicasset. Novit enim Guardianus Fiacrio esse tormentum uti pecunia, adeoque non sumpturum nisi citra quod ad procurandum animarum lucrum remeare non valeret. Praecepit etiam Fiacrio ut per litteras sincere redderet rationem anteactae villicationis suae. Cui Fiacrius prae obedientia per epistolam Anglicanam respondit, quam hic ex autographo Latine verto, ut lector ex ea tanquam ex ungue leonem hominem dignoscat :

" Venerando admodum Patri, P. Malachiae Iberno, Capucinorum Guardiano Carolopolim ad Capucinos.

(**15**) " Reverende Pater. Recepi litteras tuas et potestatem
2327 mihi factam remigrandi in Iberniam. Quare, | Deo adjutore, si non crastina vel perendina die, certe postridie perendinae Rupellam pergam, ubi est navis Galviam transmissura. Spero futurum ut Deus iter et conatus benedictione impertiat. Est hic quidam bonus Monachus Bernardinus in Iberniam et ipse trajecturus, qui meo consortio haud mediocriter laetatur, et ego vicissim ipsius consuetudine plurimum gaudeo, nec ejus modo, sed et cujusvis alterius, qui ejusdem foret voluntatis. Nihil tibi non debeo, quod tam paterna sollicitudine ac benevolentia mihi dignatus sis prospicere de viatico. Nec ego tua in me prolixa abutar voluntate. Sumam enim id solum, quod ad navigandum in Iberniam stricte necessarium judicavero, nempe pistolas quinas. De reliquo in illo solo, qui volucres caeli pascit, spem colloco, tametsi Ibernia eo mersa sit profundi ut nihil supra. Etenim sub paena capitis totus Clerus universa Ibernia interdicitur et (ne prolixior sim) tam sacerdos Domini, quam hospes, apud quem diversatus fuerit, judicabitur secundum statuta Reginae Elizabethae in similes personas apud Angliam olim lata. Quod ad laicos Catholicos attinet, sinuntur quidem vivere in Ibernia nec aliter, quam ut dixi, ad haeresim coguntur. Verum adeo gravi tributorum atque aliorum gravaminum mole opprimuntur, ut haud diu subsistere valeant. Praecipis ut |

animarum fructus, quos Capucini nostri in Ibernia colligant, 2327
hic sincere et ad amussim recenseam. Quod praestare nequeo. v
Eorum enim, ex quo Cromuellus Kilkenniam ceperat, vidi neminem, excepto P. Gregorio et P. Antonio, qui ambo magnum fructum faciunt, nempe Baptismi, Paenitentiae, Eucharistiae, Matrimonii et Extremae Unctionis sacramenta indefesse administrant. Ad me quod pertinet, sum ex sceleratissimis totius mundi peccatoribus. Quod non dico ex humilitate, sicut dicere solebant S. Paulus et S. Franciscus, sed loquor simpliciter et ex veritate. Nihilominus cum tenear esse filius obedientiae, referam hic in summa quae post captam ab Anglis Kilkenniam mihi successerunt. Ante autem quid acciderit et quid egerim, R. P. Commissarius et P. Jacobus bene norunt. Kilkennia ergo in Anglorum potestatem permissa, R. P. Barnabas, tunc Commissarius, me jussit ut apud urbem illam remanerem, quod et feci animo licet reluctante. Difficile quippe et meae cordis propensioni prorsus contrarium erat vivere sine Religionis habitu, et me vestes induere saeculares, sed obedientiam praetuli.

(**16**) " Peste deinde Kilkenniae ingravescente, inserviebam pestiferis, idque magno labore ; neque enim alius quispiam ex tanta Cleri multitudine, qui | civibus Catholicis in spiritu- 2328
alibus assisteret, et peste laborantibus famularetur, in urbe illa permansit, praeterquam unus Observantinus. Methodus, quam in exhibendo obsequio observabam, haec erat. Ibam de domo in domum ; singulorum apud ipsos confessiones sacramentales excipiebam. Ibidem augustissimum Eucharistiae sacramentum administrabam, et quoties ad quempiam tetra lue moribundum invitabar, mox conveniebam. Quinque mensibus hunc in modum transactis, demum in platea Kilkenniensi ab haereticis captus, et ad urbis Gubernatorem raptatus fui. Qui quaesivit ex me, in quorum aedibus Sacrum peragere consuevissem, et nunquis e Clero alius urbem incoleret ? Ad utrumque respondi, me salva conscientia alios prodere non posse, cum scirem ipsum eis nociturum. Quo ille audito, cras (inquit) in patibulo expirabis. At ego : ad id sum paratus. Verum ille id tantum asseruit, quo mihi terrorem incuteret. Exinde in carcerem conjectus, ea nocte ad postridie moriendum me praeparabam, sed delitui deinde in eo ergastulo mensibus novem, quo temporis spatio pendente id egit Deus ut interea non solum Officii Divini recitandi, sed celebrandae quoque quotidie Missae, et ministrandi sacramenti paenitentiae, connivente ergastulario, mihi commoditas affulserit. | Exacto 2328
illo novem mensium spatio urbem pro custodia habere jussit v

Toparcha, ea lege dum fidejuberent Catholici de me ad suum nutum sistendo. Qua cautione data, per urbem liberius, quam antea in carcere, solito animarum lucro incumbebam, ut modo quadragenis, modo quinquagenis, modo sexagenis, Eucharistiae sacramentum conferrem, et diebus Dominicis ac Festis catechismum explicarem. Angli magnam semper mihi urbanitatem ostenderunt, ita tamen ut charo apud ipsos habitaverim, nempe pro cubiculo assibus quaternis in noctes singulas ; sed victum et sumptus satis suppeditabat municipum Orthodoxorum charitas.

(**17**) " Catholici Kilkennienses ob hanc meam apud se residentiam caetero Clero fugato, et ob opitulantiam a me exhibitam protestati sunt futurum ut, siquando religio Catholica refloruerit, Capucini ante alios in urbem admittantur. Quam etiam animi propensionem in Observantinos fovent, quod eorum unus inter dictas rerum angustias in urbe haeserit. Rogavi te per epistolam ut mihi mitteres et communicares Missionis nostrae facultates et privilegia cum potestate absolvendi a casibus reservatis tam activa quam passiva, siqui (quod Deus avertat) acciderent. Quaeso te, mittantur |
2329 Rupellam, quo poterunt appellere antequam conscendero. Quod si penes te sit in S. Christophori Insulam missionarios destinare, me certiorem facias quatenus illo pergam, nisi permittar proficere in Ibernia. Plus enim indiget illa Insula Divini verbi praeconibus, quam Ibernia. Praeterea Religiosis liberrime conceditur, ut apud praefatam S. Christophori Insulam fidei Catholicae rudimentis populum instituant, sicut quidam Jesuita Kilkenniae mihi retulit, qui ab alio Jesuita in ea Insula commorante epistolam receperat, qua is plures illuc missionarios invitat. Si autem praecones Evangelicos illo destinandi facultatem non habeatis, rem (opinor) Deo gratam feceritis dum eam a Sacra Congregatione obtineatis ; sunt enim ibi multa Catholicorum millia, quibus solus Jesuita jam dictus in spiritualibus opitulatur. Porro si citius vela ventis dedero quam literae tuae Rupellam pertineant, alias Galviam in Iberniam dirigas cum superscriptione *ad D. Fiacrium Tobinum, mercatorem,* et familiae tuae precibus ac sacrificiis me commendatum habeas, qui sum

Nannetis

3° Maii 1653.

Reverentiae Vestrae obediens subditus
Fr. Fiacrius, Capucinus indignus." |

(18) Insula S. Christophori, de qua hic loquitur, est pars earum regionum, quas nostra patrumque memoria Angli in America caeperant inhabitare, in quas complura Ibernorum Catholicorum millia et colonias integras tanquam in servitutem redactas transportarunt, tum ut Nationem Ibernicam, et cum Natione fidem Catholicam domi stirpitus eradicarent, tum ut in ea mundi plaga fines suos dilatarent. Ibernos enim, etiam illo translatos instar mancipiorum pene omnes crudeli sub jugo tenent, ut cum his orthodoxa fides imis (quae solius Dei gratia est) infixa medullis ex magna demum Iberniae parte in Americam exularit. Porro Fiacrius paulo post scriptam hanc epistolam maximo capitis discrimine in Iberniam remigravit, ubi per aliquot deinde annos inter quotidiana mortis ab haereticis inferendae pericula in multorum cordibus fidei germen plantavit, rigavit, conservavit. 2329 v

(19) Quam generosus fuerit hic Fiacrii reditus nemo non videt? Quot enim quantaeque nobilissimae circumstantiae maximum fuisse illius praesertim secundae expeditionis meritum demonstrant? Quis non opinaretur Christi militem, post carceris squalores, pestiferorum obsequia, biennii custodiam, et demum exilium, nunquam rursus se iisdem malorum verticibus immersurum, praesertim cum non ignoraret et persecutionem recruduisse, | et suam sortem caeterorum ecclesiasticorum conditione futuram terribiliorem, quod ea constantia in redeundo pro summae rebellionis aestu atque inexcusabili legum haereticarum transgressione ab Anglis, potissimum a Cromuelli colluvione, censeretur. Experientia compertum habuerat et non per aures modo, sed et per oculos hauserat incredibilium angustiarum notitiam, quas appellendo in Iberniam ibidemque post appulsum subiturus esset non uno tantum die, nec mense, nec anno, sed quamdiu ibi Catholicorum instruendorum causa in latibulis ferarum vel aliis ejusmodi speluncis se absconderet, donec expiraret in patibulis Calvinistarum. Sed cum Paulo Apostolo: "nihil (inquit) horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiae Dei." Et cum gloriosissimo martyre Ignatio, Antiocheno Episcopo: "ignis, (inquit) crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio et tota tormenta diaboli in me veniant. Tantum Christo fruar." Hic dubio procul erat spiritus vere vitalis, qui Fiacrium ad illum generosissimum reditum animavit; quo 2330 Act. 20. S. Hier. de Script. Ecclesiast.

2330 factum ut non timeret inferendam Christi causa | mortem,
v sed anhelaret martyrium, cujus corona donatum fuisse credendum est. Nam demum circa annum 1656 ab haereticis captus est quod in Iberniam rediisset, atrociter in ipsa Ibernia tractatus ac damnatus ad illam immanem servitutem ipso martyrio duriorem, qua plurimi Ibernorum in Americam animis reluctantibus deportati, ibi apud Insulas ab Anglis recens habitatas laborem in *Tobacca* illis Tyrannis conficienda consumunt, non alia mercede, quam rebus ad vitam aerumnosam, et martyrium lentum protrahendum necessariis. Contigit autem ut ille in procinctu ad eo navigandum febri laborarit. Qua factum ut ventis adversantibus, vel in ipsa navi anchoris firmata, vel certe in terram prae desperata valetudine ab illis carnificibus expositus ad Kinsaliae portum in Ibernia piissime expirarit.

(**20**) Aliorum Capucinorum exilia et perpessiones in alio opusculo relatas hic brevitatis causa non repeto. Nec aliorum e Clero Ibernico res in hac truculentissima persecutione praeclare gestas aut tolerantias exacte didici, quibus memoriae mandandis multa alias volumina contexerentur. Quae autem mihi tradita sunt, *colligam fragmenta ne pereant.* Inter quae haud ultimam merentur mentionem vitae discrimina, in quae |
2331 hostes hoc anno Richardum O Ferallum, quem anno 1648 exercitus Conaciensis Praefectum Generalem, et tam ante quam post copiarum Ultoniensium Legatum generalem fuisse vidimus, adduxerunt. Siquidem submissionis pactis ipsum inter et Parlamentarios, hominum perfidiosissimos, anno superiori celebratis, atque armis ab ipso depositis, Dubliniae in custodiam datus est et in jus vocatus tanquam reus mortis Joannis Bigotti Armigeri, Roberti Breretoni Notarii, atque aliorum, qui Diserti in Reginae Comitatu, dum Richardus locum illum anno 1646 expugnaret, inter alios hostes praesidium defensantes occubuerunt. Ille hoc anno 15° Februarii Reipublicae Anglicanae in Ibernia Commissariis Dubliniae libellum supplicem huc spectantem obtulit, qui eum ad supremam Justitiae Curiam Dubliniae Residentem remiserunt. Quae accusationum ex Reipublicae parte objectarum capitibus exquisitissima diligentia collectis, et acri scrutinio ponderatis, eum tamen non propterea mortis reum peragendum judicavit ; sed nec usquequaque absolvit, atqui ut accusationis acta et evidentiae, siquae adhuc praesentandae superessent, undique magis conquirerentur, eum ampliavit custodia non dimissum nisi ea

conditione ut se ad Curiae nutum sisteret sub gravi Joannis O Feralli Tierlikiensis, Armigeri, et Thomas Doulingi, viri nobilis, vadimonio. Itaque adhibita omni diligentia, | cum 2331
nulli culpae obnoxius repertus esset, cum suorum agnatorum v
atque aliorum necessitudine conjunctorum legione in Hispaniam hoc anno navigavit, ut sub Rege Catholico Philippo Quarto stipendia faceret. Indeque 3° Junii ex urbe Madritensi Romam litteras direxit, in quibus lego eum suae praeclarissimae, antiquissimaeque et antea numerosae familiae paucos in Ibernia reliquisse. Caeterum legio illa interea Regis Catholici mandato ex Hispaniae litoribus in Galliam Aquitanicam cum aliis viribus Ibernicis transportata fuit, ut Principi Contio et Vasconibus ibi in Gallum, cum quo Hispanus bellum gerebat, tumultuantibus ac Regis Catholici opem implorantibus militarent, et illam belli civilis flammam in Gallia foverent. Itaque Richardus a sua Legione aliis tradita hoc casu improviso separatus, eaque destitutus, hac aestate in Aula Madritensi causam agebat, unde Archiepiscopo Firmano hanc epistolam in Italiam scripsit :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(21) " Consiliis et directionibus Dominationis vestrae Illustrissimae semper inter tot tam externos quam domesticos hostes, inter tantas rerum varietates, tumultus, et turbas ita mordicus adhaesi, ut saepius in vitae discrimen adductus sim, idque ob obsequium fidei et obedientiam Romanae Ecclesiae debitam, quoad tandem (rebus fere omnibus desperatis in nostra Provincia) | conditionibus iterato jussu Illustrissimi Domini 2332
Primatis Regni cum hoste transactis, cum delectu militum huc transmittere coactus fui. Et quamvis in Hispanias, partes scilicet valde Catholicas, venerim, tamen conditiones meas conditionibus eorum, qui Dominationi vestrae Illustrissimae et Romanae Ecclesiae in Ibernia adversati fuere, ex quibus hic plures sunt, nullo modo superiores esse video. Quae omnia summae discretioni Dominationis vestrae Illustrissimae consideranda relinquo, meque prout melius videbitur suae prudentiae iis, quorum interest, in his partibus commendandum. Madriti 12 Junii 1653."

(22) In hac lite Madritensi Richardus operam lusit, sicut suo loco referetur. Interea in Ibernia mense Martio apud Ultoniam Castrum *Clochuachterense* a Theophilo Jonio atque aliis Parlamentariis obsidetur. De cujus dedendi conditionibus ac submissione inter D. Philippum O Rellium atque alios Ultonienses ex una parte, et Parlamenti Anglicani Commissarios

ex altera, ita ad ineuntem Aprilim agitur, ut sub ejusdem mensis finem deditio et submissio secuta sit, Philippo cum lectissima suorum contribulium et sequacium legione in Hispaniam translato, ut Regi Catholico militaret.

(**23**) Eodem etiam tempore Vicecomes Dillonus et Vicecomitis Taaffi frater, nec non Joannes de Burgo, ante copiarum
2332 Conaciensium legatus generalis, ex | pactis cum Parlamento
v Anglicano initis vires Ibernicas sub se in Hispaniam transportandas curarunt, ad quam et similem gentis Ibernicae transportationem in Hispanias vel sub Hispano in Belgium, antea et hoc anno deindeque per crebros militum delectus factam variae temporum et rerum circumstantiae viam munierant. Parlamentarii enim Nationem Ibernicam extirpare, bellum finire, fidem in Ibernia extinguere, haeresim in ejus locum substituere, et Iberniam in haereticam Anglorum colluvionem distribuere cupiebant. Quare libenter permittebant ut hi militum delectus ab Hispano in Ibernia haberentur, ne domi ad desperationem acti sibi negotium facesserent. Nec tamen in Galliam, sed in dominia Hispanica Ibernis transmigrandi faciebant potestatem, quod Cromuello et Reipublicae Anglicanae cum Gallo quidem male, sed cum Hispano in Gallum bellante bene inter se conveniret, Gallo Regem Angliae, Reginamque ejus matrem, et Regis Angliae et Caroli Secundi fratrem sororemque Anglia deturbatos, atque in Gallia exules, humaniter tractante, illaque pseudo-Republica valde metuente ne Iberni, si in Galliam diffluerent, ex Gallia iterum pugnaciores et disciplinae militaris peritiores sub Regis Angliae vexillis in patriam Insulam remearent, et bellum Anglis exitiale
2333 innovarent. Hispanus quoque pro viribus | contendebat ut copias Ibernicas obtineret. Denique Iberniae proceres et nobiles domi ad angustias redacti, et foras stipendiorum Hispanicorum spe lactati, virium harum praefecturas affectabant, et eas ut alter alteri praeriperent, Hispanorum ac Parlamentariorum favorem aucupabantur, ipsique milites tanta egestate in Ibernia jam bello devastata pressi timebant ne majore indies premerentur. Quare nihil pene magis in votis habebant quam ut in quamcumque continentis plagam abirent, rati sibi ubique gentium aliena saltem misericordia de rebus ad vitam sustentandam necessariis melius prospectum iri quam in Ibernia inter hostes, eosque haereticos, nec tales quales sed Regicidas, sicarios, Parlamentarios et Cromuellistas ipsa barbarie magis barbaros, et crudelitate crudeliores.

(**24**) Itaque sub Vicecomite Dillono, Philippo O Rellio, Maelmorrio O Rellio, Joanne de Burgo, Taaffo jam dicto, atque aliis ad hujus aestatis finem quinque circiter Ibernorum militum millia ex Ibernia in Hispaniam appulerunt. E quibus non pauci in ipso Galeciae litore fame et siti enecti perierunt, quod terra excluderentur, atque adeo ipso pane et aqua prohiberentur in vindictam tunc nuperae Richardi *Grace*, Tribuni Iberni, defectionis ad Gallos, qui (ut vidimus) cum Ibernorum legione antea in Hispaniam | transvectus, duobus exercitibus, 2333
Hispanico et Gallicano, ad Cataloniae fines sibi approximantibus, v
cum suis militibus ad Gallum descivit. Quare non solum in praefatos modo jam dicto saevitum est, sed etiam insusurrabatur brevi futurum ut omnes Iberni quasi in Gallos magis propensi ex Hispania exploderentur. Sed cum Galli Chironense (Girondense forsan) praesidium arcta obsidione cinxissent, et aliorum Ibernorum virtute bellica factum ut nihil profecerint, imo Gallos et merentes sub Gallo Helvetos Iberni haud mediocri clade detriverint, Hispani hoc ipso anno ante medium Autumnum ad solitam in Ibernos humanitatem et benevolentiam conversi sunt. Quam tamen aliae offensiones imminuerint.

(**25**) Gallia siquidem tunc nedum cum Hispano bellum gerebat, sed etiam motibus intestinis implicabatur, Principe Condaeo, Galli agnato, armis contendente ut Cardinalis Mazarinus, Status Gallici Minister Primarius, eo officio abdicaretur, Regnoque exploderetur, aliique et alia multa in publicum (ut affirmabat) Regis Christianissimi Regnique Francici bonum mutarentur. Cui cum alii in Gallia Principes, proceres, nobiles, et magna vulgi pars de gravaminibus queribunda suffragarentur, et Regis Catholici opem implorarent, transmissae fuere ex | Hispania ad illam belli civilis Gallicani 2334
flammam fovendam in Aquitaniam haud spernendae vires Ibernicae, jussaeque ut Principi Contio, Condaei fratri, apud Burdegalam, Galliae Aquitanicae metropolim, et viciniam late patentem, sui germani causam promoventi et Burdegalensibus in eadem navi constitutis militarent. Advecti autem in Aquitaniam Iberni famem ante et nuditatem in Patria Insula atque Hispania aegerrime toleratam Gallorum spoliis et manubiis libenter arcuerunt, praesertim cum non aliis pene stipendiis aut annona militari quam diripiendi licentia donarentur. Quo factum ut ambabus Gallorum partibus inter se digladiantibus noxii, adeoque invisi, querulae plebi populoque ansam praebuerint plurima (ut tunc fit) veris immista de eorum

direptionibus in vulgus spargendi, quae nullum pene habebant limitem, praeterquam unum, nempe quod Iberni optimi quidem essent raptores sed Catholici non pejores, adeo ut ecclesiis et rebus ac personis Deo sacris semper pepercerint.

(**26**) Dum Iberni ex Hispania advecti in Aquitania Hispano et Contio militarent, aliae aliquot legiones Ibernicae ibidem in Hispanum, Contium, et adhaerentes a Gallo stabant, quarum
2334 ultima | non erat Cormaci Mac-Cartii, Muscriae Vicecomitis
v filii primogeniti, qui anno 1647 impubes ex Ibernia cum legione Ibernica, cujus ipse Chiliarchus esset, in Galliam transvectus, ubi honorifico comitatu stipatus aliquot annos Lutetiae bonis literis, moribus aulicis, linguae Gallicae et ediscendis equitandi, ad numeros saltandi, digladiandi, atque alia praeter gladium arma tractandi exercitationibus operam dedisset, ac multas alias Galliae urbes et Provincias rerum novarum cupiditate magnis impensis lustrasset, demum politissimus et supra aetatem judicio pollens adolescens suam legionem, quam quidam nostratium antea ejus mandato muniti in castris et praesidiis Gallicanis moderabantur, hoc tempore ipse ducere et praesens jubere caepit, deindeque per aliquot annos in castris Gallicanis se volutavit tanta animi magnitudine, prudentia militari, atque in Gallum, quamdiu sub ipso bellavit, fide, ut Galliae praefectis militaribus, magnatibus, Aulae, Cardinali Mazarino, ipsique Regi. et Reginae Christianissimae charissimus, et suae Nationi fuerit decori atque ornamento singulari.

(**27**) Inter haec Gallus nihil non tentabat ut legiones Ibernicas sub Hispano et Contio in Aquitania stipendia facientes in suas
2335 partes | allectaret. Ex Ibernis autem illis Jacobus Dillonus, census Equestris, Vicecomitis Dilloni patruus, antea saepiuscule memoratus, se Gallo ad cohortes Ibernicas sollicitandas, atque in ejus obsequium attrahendas instrumentum praebuit. Quae Larmonti, quod praesidium Burdegalae vicinum est, adeoque in ejus defensione Burdegalensium ac eorum pene omnium Vasconum, qui Condaei et Contii, binorum fratrum, partes sequerentur, magnam partem tutela vertebatur, a Contio collocatae locum in Regis Christianissimi vires strenue defendebant, dum Jacobus occulte cum Gallo conveniret, adeo ut demum cum quibusdam suorum secum conspirantibus deditionem procurarit, aliis cohortibus Ibernicis ibidem praesidiariis consilii ejus non consciis, licet ea occasione ad Galli demum partes sequendas adactis. Quibus praesidiariis Jacobus praeter aliam defectionis mercedem a Gallo in Chiliarchum

praefectus est, relicta Richardo O Ferallo superius memorato (cujus legio illa occasione ad Gallum transiit, et Jacobo tanquam Tribuno decreta est) ad litigandum Aula Madritensi, in qua frustra suam longe gentium absentis innocentiam et facti etiam | sibi noxii horrorem allegabat. Caeterum Jacobum frater 2335
suus, P. Georgius Dillonus, strictioris observantiae Franciscanus, v
antea ex Ibernia in Belgium, ubi suo ex sorore nepoti, Vicecomiti Taaffo, res Ibernicas apud Lotharingum agenti assistebat, et ex Belgio in Franciam digressus, atque a copiarum Gallicarum Regi Christianissimo militantium in Aquitania praefectis in sollicitatorem clandestinum adhibitus ad hanc Larmonti deditionem et defectionem haud segniter adduxit, ea ratione Galli, Galliae, et non nullorum ex Galliae primoribus adeo gratiam et favorem aucupatus, ut magnis difficultatibus eorum brachio superatis Franciscanorum deinde Ibernorum Conventum Parisiis inchoaverit, provexeritque, Regina Angliae et Eduardo, Principe Palatino, Regis magnae Britanniae Caroli primi ex sorore nepote, sed Catholico apud Aulam Gallicanam et Senatum Parisiensem intercedente, quod praeter alias rationes P. Georgius in Ibernia adeo Regi obsecutus sit, ut in Nuncium et suum Provincialem insurrexerit.

(28) Eodem circiter tempore ex Ibernia in Hispaniam transportata fuit Ibernorum legio sub Chiliarcho, Florentio Mac-Cartio, Mac-Cartii | cognomento *fusci*, Carbriae dynastae longe 2336
nobilissimi, filio, qui antea adolescens in Gallia Pictavii et Burdegalae bonis litteris et linguae Gallicae operam dederat, exindeque in Iberniam ad annum 1642 regressus, inter hoc bellum in Anglos militans praeclare se gesserat. Verum Iberniae viribus Catholicorum discordia fractis in Hispaniam (sicut dixi) transmisit, pauloque post appulsum obiit. Cujus germanus frater, Thadaeus MacCartius, ne in Hispaniae litoribus, ubi Ibernos victu et habitatione prohibitos, fame, siti, et nuditate magna ex parte periisse diximus, cum suis interiret, legionem in confines Galliae Aquitanicae agros detorsit ; ubi Baionae Gubernator, aliique ex Galliae primoribus, eum, legionemque in Galli obsequium ambabus ulnis amplexi sunt, et humanissime tractarunt, deindeque in interiores Aquitaniae partes direxerunt. Silente autem inter seditiones Gallicanas legum animadversione et observantia, in alterum Thadaei fratrem natu minorem, dum cymba Garumnam, fluvium, Burdegalae muros alluentem aegrotus trajiceret, quidam nebulones Vascones, praedae cupidi irruerunt, et in Garumnam projecerunt. Quo submerso, Thadaei

deinde legio, ipso cupiente, ex Regis Christianissimi mandato, ejus contribulis Cormaci Mac-Cartii, Muscriae Vicecomitis
2336 filii, legioni | antea detritae inserta est, ambaeque legiones
v sub Cormaco Tribuno et Thadaeo ejus legato in unam coaluerunt.

(**29**) Hae similesque aliae Ibernorum ab Hispano et Contio ad Gallum defectiones, et praesertim illa quam Jacobo Dillono, Equiti aurato, ascripsimus, Gallo potissimum ad sedandos Aquitaniae motus haud mediocriter profuerunt. Alii tamen Ibernorum illo ab Hispano transmissi adeo fidei in se positae responderunt, ut nec prece nec pretio, nec minis nec muneribus, virium Gallicarum Praefecti eorum constantiam labefactarint. Inter quos haud ultimam apud Hispanum et Contium laudem reportarunt Jacobus Dempsius vel O Diomàsa, tunc Legionis Ibernicae ex Hispania in Aquitaniam advectae *Major*, nec non Richardus Feriterus et Dominicus Feriterus, bini fratres, Centuriones, quos cum Muscriae Vicecomite ex Ibernia in Hispaniam ante navigasse vidimus. Quorum Dominicus in quodam praesidio Burdegalae vicino per Danielem O Murchuum, sacerdotem Ibernum, eumque Muscriensem, in agro Burdegalensi multos retro annos parrochum, a praefectis Gallicanis
2337 praemiorum pollicitatione ad | defectionem sollicitatus: Daniel (inquit) adeo in te patriotam, multoque magis characterem sacerdotalem colo, ut hac vice tibi parcendum ducam, te tamen citra dubium in quaestionem vocaturus, si me imposterum constupraturus huc redieris. Quo nihil obstante Daniel a praefectis Gallicanis postea submissus est ut majoribus praemiis Dominici voluntatem emeret, sed arcanis ejus a Dominico patefactis, in custodiam datus, fame et aerumna contabuit, occiditque. Caeterum praefati tres, Jacobus O Diomasa et bini Feriteri, sub Hispano Principis Condaei castra in Belgio, quo Rex Catholicus transvehendos jusserat, secuti sunt, Jacobo in Chiliarchum, et aliis duobus, uno post alterum in Legionis *Majores* a Condaeo salutatis.

(**30**) Ibernis hunc in modum in Hispaniam vel Belgium Regis Catholici imperio subditum exundantibus, Gallus Prestonum, virium Lageniensium in Ibernia antea Praefectum Generalem, qui in Galliam se receperat, hoc tempore magnis praemiis illectum honorifico satellitio stipavit, atque in Cataloniam plurimorum Ibernorum Hispano militantium fame et frigore enectorum sepulchrum, ubi inter Gallum et Regem Catholicum bella calerent, direxit, ut non solum ibi peritiam
2337 militarem longo annorum decursu | atque usu comparatam
v

in Hispanum exereret, sed etiam legiones Ibernicas a Rege Catholico in Cataloniam adversus Gallum destinatas pelliceret ad transeundum in Galliam. In qua expeditione Prestonus quid praeclare gesserit, me latet ? Senio autem ingravescente haud diu castra illa secutus Parisios rediit ; ubi quadam dierum in Episcopum Dromorensem, Ibernia sua ibi pariter exulem, invectus planxit quod ejus consilio seductus in Nuncium apud Iberniam insurrexerat, ejusque censuras contempserat, sicut me atque aliis in Capucinorum Ibernorum Conventu Carolopolitano praesentibus paulo post retulit testis locuples et oculatus, D. Joannes Whitaeus, natione Ibernus, in Muscrii Junioris legione Centurio, literarum humaniorum, Philosophiae, et Jurisprudentiae peritus. Porro Prestonus paulo post Parisiis diem obiit, de quo Doctor Enos : " Prestonus (inquit) ante mortem absolutionem ab excommunicatione cum lachrymis efflagitavit, efflagitatamque obtinuit. Reverendissimum Dromorensem, qui eum misere seduxerat, Fratresque minus Religiosos, Georgium Dillonum et Raimundum Carronum, aliosque factionistarum antesignanos adeo horruit, ut ad suum conspectum eos nullatenus admittere voluerit. Moribundus alios non admisit Confessarios et animae suae pastores praeter | sapientissimum Magistrum Doctorem Tirellum et R. P. Fr. Joannem Poncium, Ordinis Seraphici Lectorem Jubilatum. Agonizans dicitur suam eidem Reverendissimo Dromorensi maledictionem legasse." Haec ille. De reliquo Prestoni filius, Jacobus, sub Gallo legionis Ibernicae Tribunum, deindeque Praefecti Generalis in castris Gallicanis legatum agens, per aliquot postea annos praesertim apud Italiam praeclare se gessit, latam sibi ad majorem fortunam straturus (ut credere par est) viam, nisi inter medios applausus et encomia morte praematura marcuisset.

Just. cap. 3. num. 7°

2338

(**31**) Hae atque aliae Ibernorum ab Hispani partibus ad Gallum defectiones effecerunt ut nationis Hispanicae, Ibernis antiquissimo et mutuo amicitiae vinculo conjunctissimae, benevolentia in Ibernos non nihil tepuerit, et haud pauci insusurrarint futurum ut Iberni omnibus in tota Hispania praerogativis multarentur. Quod tamen ne succederet, intercessit ante omnia Regis Catholici pietas et summa in Ibernos, fidei causa exules, Hispanorum humanitas, nec non praeclara aliorum Ibernorum, qui magno numero fidem Regi Catholico praestiterant, obsequia. Quorum non nulli in Hispania acto typis mandato se Nationemque Ibernicam Clero populoque

Hispanico de aliorum transitionibus purgarunt, declarantes
2338 pene omnes illarum defectionum authores fuisse | Ormonistas,
v non Nationis Ibernicae sed Anglicanae in Hispania personam gerentes, cum in Anglorum favorem ipsos patriotas, Ibernos, et patriam, Iberniam domi prodiderint.

(**32**) In Gallia etiam alii Ibernorum suam Apologiam ediderant, nempe Ibernos ex antiquissimis Hispaniae Regibus genus traxisse, et utramque gentem tantis alteram amicitiae vinculis per tot saecula prosecutam fuisse, ut deficiente olim apud Hispaniam antiqua Regum linea masculina, Hispani sibi ex eodem sanguine in Ibernos tunc dominante Principem acciverint, faedere illo atque amicitia ad nostram usque memoriam adeo continuata, ut Iberni Carolum Quintum adversus Henricum Octavum, Ecclesiae rebellem, in Iberniam invitarint, et Philippo Secundo et Tertio, Hispaniarum Regibus, in Reginam Elizabetham constantissime militarint in extremam plurimarum et nobilissimarum familiarum Ibernicarum ruinam, quarum vastissima et a tot saeculis avita patrimonia fisco Anglicano addicta et in haereticos distributa. De Rege etiam Philippo Quarto Tironiae et Tirconalliae Comites ac Principes, Eugenium O Nellum et Prestonum, horum legiones multis annis sub Hispano stipendia facientes, aliosque magno numero
2339 proceres, | nobilesque Ibernos, etiam in hoc ipso ejus bello adversus Gallum gesto optime fuisse meritos. Alios quidem Hispaniae Reges, ac nominatim Philippum Secundum et Tertium, beneficia atque amicitiam Ibernis fidei causa exulantibus retulisse, sed eas fuissse rerum et temporum iniquorum circumstantias, ut Regis Catholici, Philippi Quarti, Ministris cum Parlamento Anglicano et Cromuello in his ultimis motibus Britannicis inter se bene convenerit, et id in gravissimum Confaederatorum Iberniae damnum redundarit. Inde praeter alia evenisse ut plurimae legiones Ibernicae, hinc Anglis cogentibus, illinc Hispanis stipendiorum esca illicientibus, Patriae Insulae defensionem alias diutius prosequendam deseruerint, non in Galliam, ne ibi Regi Angliae adhaererent, et sub ejus vexillis prima quaque occasione nascitura in Iberniam belli instaurandi causa redirent, sed (Cromuello malignissime procurante) in Hispaniam ex industria transvectae, *ut non memoraretur nomen Israel ultra.* Illas legiones Ibernicas in Hispaniam transvectas magna ex parte in Galeciae aestuariis, in Aquitania quoque et Catalonia annonae, nedum stipendiorum, inopia periisse, proindeque eas, quae in Galliam transierint,

jure usas fuisse multifariam suo, ut nefarii Cromuelli et Parlamenti Anglicani mentem elusurae | suum Regem in Gallia 2339
et ubivis gentium sequerentur, subque ejus nec non sui fratris, v
Ducis Eboracensis, signis in unum corpus coirent, et ad primam ansam in Iberniam belli redintegrandi, ac Patriae religionisque ibi Catholicae in libertatem asserendae studio remigrarent. Et haec quidem summa est rationum ab Ibernis in Gallia famae vindicandae causa editarum. Quibus nihil obstantibus, Vicecomes Dillonus, quem cum viribus Ibernicis hoc anno in Hispaniam transmisisse vidimus, praefatam patrui sui, Jacobi Dilloni, defectionem luit. Nam ejus filium, Carolum, cum legione Ibernica in Belgium ad stipendia ibi sub Hispano facienda transmissum non nulli pariter suspicandum Hispani Ministris suggesserunt. Qui propterea sua praefectura militari abdicatus est, legione ejus concessa alteri Iberno, Joanni O Murchuo, Muscriensi et Muscriae Vicecomitis clienti haereditario, ante in bellis Anglicis sub Rege Carolo 1° Centurioni, exindeque accisis rebus Regiis in quarumdam cohortium Ibernicarum a Parlamentariis apud Angliam inter partes Regias captarum et Hispanis transmissarum Chiliarchum cooptato, ac demum ab aliquot annis ante hunc annum 1653 sub Rege Catholico apud Belgium Castrametatori. |

(**33**) Nec silentio praetereundum est Hugonem O Nellum 2340
Eugenii O Nelli ex fratre nepotem, Limerici, dum ab Anglis obsideretur, Gubernatorem, quem urbe illa anno 1651 capta ab Anglis ex Ibernia in Angliam transmissum, et Londini in custodiam datum fuisse vidimus, hoc anno, Regis Catholici Legato apud Cromuellum interveniente, libertate donatum, in Belgium, exindeque in Hispaniam navigasse, ubi a Rege Catholico pro meritis sane magnis praecipua militari praefectura decoratus, suae Majestati aliquot deinde annos in Hispania praeclare bellavit, ab eodem Rege postea in Tironiae Comitem salutatus, defuncto in Hispania Hugone O Nello altero, Joannis O Nelli cognomenti *calvi*, Tironiae Comitis in Catalonia occisi filio naturali, post patrem Tironiae Comite, quem utique Rex Catholicus legitimaverat, licet Sacra Congregatio post Joannis mortem rogata ut eundem legitimaret, Romae 20° Maii 1642 recusarit *quod saepe filiorum naturalium legitimatio sit res ardua ob successores ab intestato.* Porro (ut obiter dicam) praefatus filius naturalis, a Philippo Quarto legitimatus, toto hujus belli Ibernici tempore in Iberniam non trajecit, sed in Hispania moratus est ; ubi nec domi nec | militiae clarus 2340
v

majorum virtuti non respondit. Praeclarus autem ejus in ea dignitate successor, praefatus Hugo O Nellus, septem circiter annis, postquam ex carcere Anglicano dimissus erat, in Bello Hispanico gloriose consumptis, in Hispania ad annum 1660 decessit, instituto haerede Hugone O Nello, Eugenii O Nelli patrui sui, copiarum Ultoniensium Imperatoris nominatissimi, per Henricum, filium unicum, nepote unico, qui ex Ibernia in Belgium transportatus, et indidem Pontificis, Innocentii X^mi, jussu Romam accitus, Bruxellis 23 Septembris anno 1653 circiter octennis discessit et Kalendis Novembribus in Urbem appulit, 4° ejusdem mensis suae Sanctitati praesentatus, et a Pontifice D. Olimpiae Pamphiliae, fratriae suae, tunc viduae, commissus. Quem postea Alexander septimus in Jesuitarum Collegio Romano bonis litteris erudiendum curavit, exinde demum ad exeuntem annum 1663 in Hispaniam profectum ut Regi Catholico militaret, jam (ut tetigi) Tironiae Comes.

(**34**) Muscrium anno 1652 pacta aliquot cum Parlamentariis inter Rossae in Comitatu Kierriensi deditionem iniisse vidimus.
2341 Ex quibus fuit, ut ipsi sub suo imperio | nescio quantas vires Ibernicas in Hispaniam ducere liceret. Ex Hispania autem, quo transportandorum militum rationem ibi initurus navigaverat, in Angliam se recepit, cum Cromuello et Parlamento ea de re acturus. A Cromuello autem, qui summum in Anglia imperium sibi arrogaverat, praehensus, in Iberniam missus et Dubliniae in carcerem conjectus est ; ubi eum hoc anno ob ea, quae inter praesens bellum in Parlamentum Anglicanum gesserat, duram trutinam subiisse invenio, sed demum, nedum lautissimo patrimonio a tribus annorum millibus avito excussus, verum etiam capite vix non truncatus, in Galliam exulavit, milites etiam in Hispaniam transportandi licentia multatus contra publicam pacti jam dicti fidem, quam praedones illi in Deum, Regem, Ecclesiam, ipsamque totam aequitatem naturalem rebelles pro suo more fluxam caducamque habuerunt. Muscrium in Galliam secuta est nobilissima et piissima uxor, Helena Butlera, Ormonii soror primogenita, cum amborum liberis, nempe duobus filiis et filiabus totidem, praeter Cormacum, filiorum natu maximum, quem ab aliquot annis anterioribus in Galliam praeivisse vidimus.

(**35**) Hoc etiam anno Muscrii sororium et contribulem, Mac-Cartium *fuscum*, in custodia Dubliniensi, quod Catholicis
2341 in Parlamentum bellantibus | adhaesisset, squaluisse invenio.
v Qui a crudelissimis tyrannis in capitis quaestionem saepius

vocatus, tanta eloquentia etiam Anglicana (nam ei lingua Ibernica vernacula erat) et decoro ipse ibi causam orare, tamque validis rationum momentis suam intrepide innocentiam demonstrare solitus est, ut omnes, etiam sicarii illi ejus sanguinem sitientes, tam magnas in nobilissimo dynasta animae dotes admirarentur, sed longe magis stupebant ingentem ejus animi constantiam, qua mortem Christi causa tolerandam non timere sed spernere, imo anhelare videretur. Quare non alios modo auditores, sed ipsos etiam hostes et judices immani in eum feritate et barbarie saevientes, in sui amorem et observantiam adeo rapuit, ut demum post millenas angustias vita et libertate donato abire permiserint. Qui dynastia a tot saeculis avita spoliatus atque in exilium missus, uxore, Muscrii sorore, et liberis in Ibernia relictis, in Belgium transfretavit.

(**36**) Sed Felicis O Nelli, Equitis aurati, dispar exitus fuit. Qui in Ultonia a quibusdam ex suis clientibus proditus, ab Anglis captus, et quod hoc bellum anno 1641 exorsus sit, eodem circiter tempore, quo Mac-Cartius, capitis causam Dubliniae dixit et reus peractus, hoc vel sequenti anno vitam suspendio finivit. |

(**37**) Tota Ibernia ab hostibus Anglicanis subacta, et armis 2342
in Lagenia, Media, Ultonia, ac Conacia hoc anno depositis, complures e primaria Momoniae nobilitate toto hoc anno et ulterius bellum prosecuti sunt. Quibus Moriartus O Brien, Chiliarchus, Tomoniam suam cum defendere non posset, diripuit et incendit, indigenosque ad militiam profitendam necessitate coactos in milites induit. Quos, nec non aliquot cohortes suas veteranas naviculis vimine contextis et statuminibus fortioribus roboratis nec non corio recens animalibus detracto circumdatis Sinenum, flumen, trajicit, inque Momoniam Australem penetrat, et aliquot aliorum dynastarum ac nobilium Momoniensium, praesertim binos Comitatus, Kierriensem et Corcagiensem incolentium, nempe O Sullevani magni, O Sullevani Bearrensis, Danielis Mac-Cartii, O Drisceolli, O Kiffy, Mac-Gillicodii, Mac-Elgoti, atque aliorum viribus inter eorundem Comitatuum sylvas, montes, et paludes in Anglos constantissime bellantibus suas copias associat. A quibus omnibus praeclarissimus Dynasta, O Sullevanus Bearrensis, in Galliam hac aestate mittitur, ut ibi cum Rege Angliae, et ubivis cum aliis de subsidiis procurandis agat. Ille in Galliam advectus, ex urbe Parisiensi ad |
Archiepiscopum Firmanum in Italiam dedit literas Latinas, quas 2342
hic ex autographo subdo, correctis iis in quibus ejus amanuensis v
in Gramaticae leges peccavit.

" Illustrissime Domine.

(38) " Dominationi vestrae Illustrissimae satis notus sum. Nam cum primum in portu meo Kilmacollogensi in Iberniae Regnum appulit, inde eam secutus sum Muscromiam usque. Imo recordatur (credo) Commissionis, quam mihi dedit ad tractandum toto tempore, quo in Ibernia commorata est, cum Barone Insequinniae, sperans futurum, ut illum ad rationis terminos reducere possem. Quinetiam post Concilii Supremi incarcerationem ego solus cum Dermitio O Brien fuimus electi ex Momonia. Hinc non dubito quin Dominatio vestra Illustrissima satis recordetur et mei et quod semper meis promissis nec non faederis juramento steterim. Modo considero omnes Regni proditores non solum fidem venalem habuisse, verum etiam Patriae incolas brutorum instar quotidie magno numero Gallis et Hispanis tradere. Quare ipse cum multis aliis, qui semper factioni Ormonicae adversabamur, quamquam armis, munitionibus, et annona, proindeque omni humana vincendi
2343 possibilitate destituamur, tamen in solo Deo | confidentes in eam ivimus sententiam, ut vitam hanc caducam in tam gloriosa occasione sacrificaremus, potius quam fidem aut Patriam desereremus. Et sane Episcopus Corcagiensis cum multis sapientioribus arbitrati sunt, fore ut per mensem subsistere non possemus. Nihilominus misericors Dominus et Deus noster hactenus nos servat, et haereticorum crudelitas multos, qui se prae Deo et Patria dilexerant, ad eas redegit angustias, ut ad nos venerint, seque modo constantissimos praestent taliter ut nunc sub mea praefectura bellum gerant quatuor militum millia et plures in montibus prope inacessibilibus. Sed quia nobis desunt media ad vincendum necessaria, quamplurimi adhuc cum hostibus connivent. Sane si instrumenta bellica cum sufficenti commeatu nobis suppeterent, toto Regno brevi potiremus.

(39) " Jam Parisios accessi mandato munitus petendi suppetias a Rege nostro, si posset, sin autem a quacumque alia potestate vel Republica. Ego itaque cum omnibus aliis judicamus oportere ut ad Suam Sanctitatem recursum habeamus, intercedente Illustrissima Dominatione vestra, quae bene novit multos ex nostratibus fuisse constantes suis promissis et fidei, licet major populi pars obcaecata contrarias partes secuta sit. Itaque ad majorem Dei gloriam, fidei Catholicae |
2343 propagationem, et totius Nationis, nec non honoris ejus ab haere-
v ticis obscurati ac venditi restaurationem, ego humillimus

Illustrissimae Dominationis vestrae orator ex Catholicorum afflictorum parte supplico ut, cum suam personam pro illorum saepe periculo exposuerit, suam piam affectionem erga ipsos semper conservet, et aliorum crimina non imputet illis, qui jam sicut semper parati sunt vitam pro religione et patria consecrare absque ulla dependentia ab iis, qui Regnum perverse prodiderunt, quique modo hic suam factionem continuant. Porro ad quem nisi ad Christi Vicarium, communem omnium bonorum Catholicorum patrem, recurreremus, et per quem ad Suam Sanctitatem recursum haberemus, nisi per Illustrissimam Dominationem vestram, quae ocularis testis est et quodammodo particeps nostrarum miseriarum. Quare enixe rogamus ut dignemini nobis succurrere, et aliquem hic designare Parisiis, qui possit vos informare de nostro progressu, et aliquod supplementum nobis suppeditandum a vobis recipiat. Nulli autem hic ex nostratibus fidendum est sine nostra approbatione. Si Dominatio vestra Illustrissima partes nostras semel amplexabitur, speramus fore ut opus nunc multo facilius perficiamus | quam dum eramus numerosiores, quia modo sumus magis 2344
uniti, quod universo orbi Catholico manifestabimus. Haec omnia Dominationi vestrae Illustrissimae me multum sapientiori, vestraeque piissimae intentioni humiliter submitto ac refero.

Lutetiae Parisiorum, Illustrissime Domine,
15 Kalendas Julii, Vester obsequentissimus servus et
anno Domini, 1653. orator ad omnia paratus,
Daniel O Sullevan."

" Supplico Illustrissimae Dominationi vestrae ut per eandem viam, qua hanc receperit, responsum det."

(40) Hanc epistolam a se lectam Archiepiscopus Firmanus Firmo Romam ad P. Richardum O Ferallum, Capucinum Ibernum, misit inclusam suo ad eundem epistolio, quod ex autographo Latine habe :

" Admodum Reverende Pater.

(41) " Ex inclusis audiet Reverentia vestra quid D. O Sullevanus a me requirat, et cum absim a Curia, et nihil propterea apud Sanctissimum Dominum in bonum Regni proficere me posse cognoscam, | obsecro Reverentiam vestram ut eidem 2344
D. O Sullevano pro me respondeat, statumque rerum nostrarum v
patefaciat, tanquam omnium ac regiminis hodierni satis conscia. Excuset molestiam, dum ego Reverentiae vestrae salutem precor.

Firmi, Reverentiae Vestrae, veluti frater,
2 Octobris, studiosissimus,
1653. Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus."

(**42**) Itaque O Sullevanus subsidiorum ex Urbe obtinendorum spei irritus, quos praeterea conatus ad suppetias alibi procurandas adhibuerit, vel quod operae pretium fecerit, haud probe scio ? A Rege quidem Angliae benigne auditus fuit, mihique traditum est Regem, etsi tunc Anglia sua et aliis Regnis exulem, adeoque non pecuniosum, ipsi non nullam rem numariam suppeditasse. Caeterum hujus legationis et belli Momoniensis exitum ad annum inferiorem, ad quem pertinet, recensebimus.

(**43**) Invenio etiam Episcopum Cluanmacnosiensem et
2345 Brienum vel (ut alii vocant) Bernardum | O Nellum, Eugenii O Nelli (credo) ex fratre nepotem, ex Ibernia in Hispaniam unum post alterum navigasse, et hoc autumno exinde simul Romam contendisse, ubi atque antea in ipsa Hispania quid petierint, sequens charta te docebit :

" *Sanctissimo Domino nostro Innocentio* X°, *Pontifice Maximo, per Episcopum Cluanmacnosiensem et Bernardum O Neill, Ibernos.*

" Beatissime Pater.

(**44**) " Antonius, Dei et Sanctitatis vestrae gratia Episcopus Cluanmacnosiensis in Ibernia, post diram persecutionem, bonorum direptionem, et ecclesiarum suarum prophanationem fuit a praevalente factione schismaticorum et haereticorum conjurantium in Ecclesiam, Clerum, et Catholicos pulsus in exilium. Fuit deinde Bernardus O Neill, duarum legionum equitum et peditum Tribunus, ab ingravescente eorundem tyrannide similiter proscriptus, sed a fidelissimis Catholicis arma nunc in Ibernia gerentibus destinatus in Hispaniam ad praefatum Episcopum, ut simul juncti implorarent Catholici Regis et (mediante Sanctitate Vestra) caeterorum Principum Catholi-
2345 corum | auxilium in afflictae Patriae subsidium. Quibus sat
v bene respondit Catholica Majestas, se quidem propendere ad annuendum piae illorum petitioni, licet insinuaverit id nunc
faedus difficilius tam aperte praestandum propter *inducias* cum Angliae Comitialibus initas. Consultissimum vero sibi videri ut negotium tanti ponderis, pietatis, et meriti ad Sanctitatem Vestram deferrent, ut ipse suis literis in hunc finem ad Sanctitatem Vestram et ad suos ministros in hac Curia latius exarat.

(**45**) " Nos autem ingenue fatemur non nihil nos suppuduisse

comparere ante conspectum Beatitudinis Vestrae, cujus Apostolicam sollicitudinem, clementiam, et munificentiam extraordinariam in gentem nostram a quibusdam refractariis ingratissime laesam et proditorie offensam esse cognovimus, sed testimonio bonae conscientiae et Ministrorum etiam Sanctitatis Vestrae scientes nos ab hac impietate immunes, vovemus, sicut majores nostri toto tredecim saeculorum spatio fidem ab hac Sancta Sede per S. Patritium acceptam nullo unquam schismate, haeresi, aut infidelitate polluerunt, ita nos et sinceros Catholicos nostros nunc in armis, ne vel latum unguem ab obedientia et mandatis | Beatitudinis Vestrae ejusque 2346
Ministrorum recessisse, aut unquam (sic nos Deus adjuvet) recessuros. Quin et sacrilegos illos proditores Patriae, fidei, et Sanctitatis Vestrae detestamur, execramur nec eis Ave dicimus, quos a zelantissimorum Catholicorum consortio abjecimus et censurarum fulmine adeo dissipavimus, ut nunc rebellionis suae paenas morte, servitute, vel infami proscriptione in aliena terra persolvant.

(**46**) " Confidenter itaque ad sacros pedes provoluti enixe petimus ut Sanctitas Vestra, cujus pietatem et benignitatem ampliorem in nos tantis cladibus et calamitatibus agitatos experti sumus, quam aut sperare aut credere potuimus nos aut nostri, dignetur compati fratribus nostris sub durissimae servitutis jugo impie pressis. Clerus enim noster, institutionum Apostolicarum tenax, est vel morte, vel exilio, vel carcere multatus, aut saltem a suo grege avulsus cum discrimine vitae in montibus, speluncis, et cavernis terrae latitare cogitur. Fidelis autem populus ob religionem, quam temerare nescit, inique consumitur. Alii proscripti, alii vinculis onusti, alii trucidati sunt. Reliqui vero, qui nunquam curvaverunt genu | haereticanti Baal, aut non vivere aut gloriose vincere statuerunt tyrannos illos, qui gloriantes in rebus pessimis provocant totius Europae heterodoxos, ipsamque Turcicam rabiem in perniciem Catholici nominis et ad eradicandam omnem hierarchiam et Monarchiam a facie terrae, interposito impio ad hoc Juramento. Ab his impiis, Beatissime Pater, videt Christianus orbis gentem nostram in servitutem redigi, videt a suis et nostris hostibus unum integrum Regnum everti et Catholici sanguinis profluvio inundari, religionem labefactari, libertatem auferri, milliones animarum in exilium propelli. 2346 v

(**47**) " Nos igitur, Beatissime Pater, a facie gladii subducti, fratrum casus, desolationem, lacrymas et preces coram

Beatitudine Vestra pandimus et fundimus, spondentes eorum liberationem longe faciliorem esse, et paucioribus expensis assequendam, quam a plerisque credatur, modo quis Orthodoxorum Principum sese ad tam pium opus accingere, reliquiasque populi tam immobiliter Catholici, tamque miraculose a Deo hactenus conservati protegere et juvare dignetur. Cum enim exierit nunc e medio ipsorum generatio prava et perversa,
2347 neutrales, vacillantes, schismatici, | Acatholici, Ormonius ejusque factio cum reliquis proditoribus, restentque solum unius cordis et labii homines pro Deo, fide, et Patria pie pugnantes, facillimum erit apud eos tandem stabilire Catholicum illud et impermixtum gubernium, uti tutiori quodam loco et ex personis prorsus incorruptis ardenter exoptabat Nuncius Apostolicus. Si Machabaei nostri hucusque inermes fere et inopes tam durum et immane bellum, totamque Anglorum, Scotorum, et pseudo-Ibernorum potentiam et proditiones soli pertulerunt, oppugnarunt, quid deinceps non sint facturi, si aliquantulum juventur, si armis et commeatu roborentur? Novam spem et animos eis addidit nova illa victoria ex hoste nuperrime reportata. Duplicavit eorum fortitudinem diversio illa ab iis facta in Scotia per exiguam manum in Iberno-Scotorum subsidium missam, nec eis favere desinit Exercituum Deus tam immittendo in ipsos hostes Parlamentarios spiritum divisionis et contradictionis, quo in dissidia et altercationes praecipitantur, quam distrahendo et divertendo eorum vires, et permittendo eorum furorem in sui similes sectarios, Hollandos et Scotos. Diversionem aliam aeque illis funestam minitantur Protestantes, Praesbyteriani, Anabaptistae, et qui a Regis Angliae partibus se stare dicunt, sive id candide, seu potius dissimulanter ferant, ut hac ratione adversus Independentes
2347 coalescant in unum corpus tam | intra Angliam et Scotiam,
v quam alibi. Hanc diversionem fovet animatque Princeps Rupertus Palatinus, et fovere deberet prae ceteris Gallus, cujus Regnum opprimere et coronam quantocyus evertere statuerunt. Enimvero nequis solus toto hoc pondere nimis prematur, posset onus hoc commodius dividi inter Christianos Principes, Respublicas, Praelatos, et alios ad succurrendum fidei bene affectos modo et medio a Sanctitate Vestra praescribendo.

(48) " Interea nos, Beatissime Pater, strenuos illos Ecclesiae athletas per fidelissimum quemdam ex nostris de Sanctitatis Vestrae proposito et propensione certiores reddemus, quibus nihil gratius potest accidere quam certiorari de Apostolica

vestra protectione post mala, eaque crebra nuntia quorundam hinc ad eos in contrarium fingentium Sanctitatem Vestram abjecisse prorsus omnem curam Catholicorum, adeo ut ne audire quidem vellet amplius quemquam de eorum statu loquentem. Haec sunt eorum verba, qui Curiam Romanam, Congregationes, et Praelatos de rebus et statu Iberniae ad mentem adversariorum praepostere et cum rei Catholicae damno informant. Qui Catholicorum necessarios et amicos vel hic supprimunt vel a Curia procul expellunt aut expelli procurant. Collegia et caenobia suis fautoribus, ubicumque possunt, replent et regi conantur. Libellos diffamatorios in | Catholicos et 2348
Clerum, etiam cum praejudicio Sedis Apostolicae in Urbe protegunt, et Apologias proborum imprimi non permittunt. Hos in pluribus ejusmodi machinationibus infensiores et saeviores jamdudum sensit Ibernia quam calamitates et persecutiones ab ipsis heterodoxis illatas. Sed hic noster firmus et fidelis nuntius, referendo haec omnia fieri contra intentionem Sanctitatis Vestrae, aperiet rectum animum et benignitatem suae Beatitudinis in nos, quo mirifice solabitur afflictos, spem magnam et zelum eorum accendet et numerum eorum, aggregatione male informatorum, augebit, cum nihil sub caelo ardentius exoptent puri et integri Catholici, quam vivere et mori in gratia et patrocinio Sanctitatis Vestrae, quam Deus etc." Haec ille.

(**49**) Verum nec hi legati Romae suppetias obtinuerunt. Ex quibus Episcopus in Urbe pedem fixit, Bernardus vero cujusdam praesidioli praefectura, quam ipsi Pontifex in Statu Ecclesiastico obtulit, recusata, rediturus se mari commisit, a Turcis inter navigandum captus, a quibus post aliquot annos liberatus in Hispaniam remigravit, Regi Catholico in Lusitaniam militaturus.

(**50**) Superius relatum est Episcopum Fernensem ex Belgio, ubi cum Lotharingo de subsidiis in | Iberniam mittendis 2348
egerat, anno 1651 Lutetiam Parisiorum digressum, ibi rerum v
Ibernicarum Relationem Archiepiscopo Parisiensi tradidisse, quam et quasdam appendices eodem spectantes P. Joannes Poncius, strictioris observantiae Franciscanus Ibernus, ibidem typis mandandas curavit. Quo libello non unctus sed punctus Richardus Bellingus, quem ex Ibernia eodem anno aliquot antea mensibus in Galliam navigasse vidimus, eum altero ad ineuntem annum 1652 Lutetiae edito refutandum suscepit. In quem Bellingi libellum Poncius hoc anno 1653 alterum

ibidem, et Bellingus alterum in Poncium anno 1654 edidit, Bellingo in hac concertatione Ormonium, et Ormonistas, praesertim se, defensare conante et Iberniae ruinam in Nuncium ejusque fautores impudentissime refundente et Poncium insectante, qui in Nuncii ac partium ejus favorem scripsit etiam secundum (sicut ipse mihi retulit) postea libellum, quem tamen ut Christi causa inimicis se reficeret, quorundam interventu suppressit. In hac calamorum digladiatione Poncius suum causae Catholicae zelum pro more ardentem exeruit, sed cum inter totum illud bellum Ibernicum patria Insula apud Italiam et Galliam abfuerit, ei scribendi seges defuit, quae Bellingo,
2349 Confaederati Iberniae Status per plures annos | Secretario, ita suppetebat ut vel in scribendis illis libellis se Bellingum esse demonstrarit, solita utique perfidia et malignitate possessum, haereticorum pestilentissimorum fautorem, Catholicorum, qui haereticis faverint, patronum, et Cleri, causae Catholicae, fautorumque adversarium infensissimum, licet solita nequitia in omnes se vertat facies, et ingenium torqueat, ut suam neminem non celet mentem longe perversissimam. Unde colligere est fore ut (nisi resipiscat) hujus belli Ibernici historia, quam a se componendam ibidem ostentat, nullam mereatur in rebus inter ambas partes Catholicas controversis fidem, nisi in factorum relatione, quae alia, quam suae solius, nitatur authoritate.

(**51**) Quod ad Fernensem attinet, is aliquot anni 1651 et anni 1652 mensibus Lutetiae commoratus, inter alia operam dedit, ut difficultates, quas inter sacerdotes Ibernos circa Collegium ibi in Nationis usus fundandum natas fuisse vidimus, componeret, quo omnes unanimi consensu ad tam bonum opus conspirarent. Verum ea erant illi animorum et opinionum distantia, ut in hoc oleum et operam perdiderit. Exinde in Italiam profectus, cum ad S. Aedem Lauretanam esset, duos
2349 sacerdotes ad portum Firmanum | cum epistola apologetica
v Archiepiscopo Firmano scripta direxit. Et in hoc etiam operam lusit. Romam postea perrexit, sperans forsan sibi in Urbe profuturum quod eum ibidem praesentem Pontifex, Innocentius, anno 1648 *Sacrae Capellae Pontificiae Comitem assistentem* crearit. Sed appulsus mox didicit, quod etiam ante vix dubitarit, se scilicet ob ea praesertim, quae eodem anno 1648 et anno 1649 post reditum in Iberniam apud eandem Insulam gesserat, apud Pontificem et Aulam Romanam offendisse, usqueadeo ut ad Suae Sanctitatis audientiam admissus non fuerit. Quare

Apologiam non typis mandatam, sed MS., mense Maio 1653 Romae Massario, S. Congregationis Propagandae Fidei Secretario, porrexit, eidem Sacrae Congregationi, et forsan Suae Sanctitati communicandam. Quam eo libentius in medium produco, quod inedita sit, et nunquam forsan aliter in medium afferenda, multaque potissimum circa controversias in Ibernia anno 1648 et anno 1649 ortas notatu digna contineat. Porro annotationibus non omnia sed prima capita, quae prae aliis castiganda duco, illustrabo, lectorem quoad caetera remittens ad ea, quae suis locis fuse retuli. |

" *Modesta defensio Reverendissimi D. Nicolai, Episcopi Fernensis in Ibernia, contra quosdam rumores de illo in Urbe sparsos.* 2350

(52) " 1°. Faederati Regni Iberniae Catholici sanctum justissimumque septennii bellum contra sectarios Angliae comitiales pro religione et libertate fortiter gerentes amandarunt ad sancta pedum oscula anno Domini 1648 Reverendissimum D. Nicolaum, Episcopum Fernensem, et nobilissimum virum D. Nicolaum Plunkettum cum legatione Suae Sanctitati pandendi deplorabilem populi una cum religione periclitantis statum a barbara haereticorum manu interituri ni brevi sublevaretur, petendique et subsidia pro bello contra hostem Patriae et religionis nervose impellendo, et sententiam Beatissimi Patris (in iis praecipue, quae spectabant ad splendorem religionis et ad ecclesias) circa pacem ineundam inter Nationem illam et Principem suum Carolum, Magnae Britanniae Regem.

(53) " 2°. Hi delegati seu *Agentes* post quatuor mensium moram in Urbe, appulerunt in Patriam suam 21° Novembris ejusdem anni, cum Brevi et responsis Sanctissimi Domini, quae 24° ejusdem mensis tradiderunt Ordinibus Regni, seu Comitiis Generalibus in civitate Kilkenniae residentibus, fervideque consultantibus de pace illa adstipulanda cum Marchione Ormoniae, Serenissimorum Principum, Reginae Angliae et Principis Walliae Commissario, cui negotio | continuo et 2350 impigre incumbentes pro spatio quinque septimanarum ante v dictorum *Agentium* in Regnum adventum, jam magnum fecerunt progressum, conventis utrinque aliquot articulis temporalibus genti honorificis. De ecclesiis vero et religione non erat adhuc disceptatum. Reddita Legationis ratione, dicti Fernensis et Plunkettus steterunt in Comitiis usque ad pacis

17 Jan. 1649 secundum stylum Romanum.

conclusionem, quae publicata est 17°. *Januarii anni ejusdem secundum stylum veterem.* Accidit vero ut post celebratum faedus occasione eorum, quae ab iis dicta fuerunt circa Breve responsaque Suae Sanctitatis, et quia non visitaverunt Illustrissimum Dominum Joannem Baptistam Rinuccinum, Archiepiscopum Firmanum, Sanctae Sedis in illo Regno Nuncium Apostolicum extraordinarium, pervenerint Romam falsi quidam rumores, famam illorum graviter laedentes, quibus pro mea existimatione defendenda tanquam Praelatus animarum salutem procurans obviam ire teneor. Quod facere intendo (et facturum me spero, conscientia mea mihi bonum testimonium perhibente) cum omni modestia et absque ullius personae offensa, diluendo veritatis vi et rationum pondere rumores illos, et quaecumque objecta sunt aut conficta contra D. Plunkettum et me ob praefatam legationem defunctam, pacem initam, et Illustrissimum D. Rinuccinum non visitatum. |

2351 (54) " 3°. Rumores in Urbe sparsi hujusmodi erant: 1° Non retulerunt Fernensis et Plunkettus sincere Regni Comitiis mentem et responsa Suae Sanctitatis. 2°. A Sanctissimo Domino honoribus et praemiis aucti, ingratos se praebuerunt. 3°. Colore tradendi Breve Suae Sanctitatis Reverendissimis Dominis Episcopis Regni pellexerunt eorum aliquot precibus et literis ad civitatem Kilkenniae. Unde robur accepit caetus Comitiorum Illustrissimum D. Nuncium ejusque Censuras indigne spernentium. 4°. Morantes in Regno trium mensium spatio, omiserunt ex industria adire et obsequiis colere dignitatem praefati Illustrissimi D. Nuncii, viri ipsis amicissimi, ea tempestate per malorum invidiam afflicti, haerentes toto tempore in Comitiis, ac perditissimis Ormonii factionariis colligati, praebentes se authores pacis impie concludendae, qua perdita est Patria et eversa religio.

(55) " Disseminabantur rumores illi per Urbem de Fernensi et Plunketto, ubi paulo ante laudati sunt pro viris probis et praecipuis in Ibernia religionis columnis. Ergo vel a me refellendi sunt, vel debeo manus dare tanquam infamis proditor Patriae et pietatis. Opus difficile aggredior, sanare existimationem a multis vulneratam. Nihil tamen desperandum, ubi

2351 v serena | intus et lucens loquitur conscientia calumniam confossura telo veritatis, qua duce conabor simpliciter et candide objectis occurrere.

" *Ad Primum.*

(56) " 4. Itaque contendo mihi calumniose imponi ab asserentibus me et collegam meum Plunkettum non retulisse Comitiis Regni cum summa fide et probitate mentem responsaque Suae Sanctitatis, quibus omnia candide et sine fuco (ita nos Deus amet) manifestavimus, nihil demendo aut addendo, cum porrecto Brevi Suae Sanctitatis clare diximus non potuisse eam salvis Cathedrae pietate et sanctitate approbare ullam faederis tractationem in materia religionis inter populum Catholicum pro religione et ecclesiis pugnantem et ullum Principem haereticum. Laudavimus impense sententiam Beatissimi Patris paternumque in gentem nostram amorem, verba ejus suavissima depromendo. Significavimus onera, quibus impedita Sua Sanctitas non potuit pro optima qua imbuta est voluntate Nationis aerumnam sublevare ; nempe quod tota fuerit in Venetis juvandis contra Turcam, quibus jam triremes aliquot subministrarit ; quod illa aestate, dum bellum arderet circa Neapolim inter Gallum | et 2352
Hispanum, aluerit in sua ditione exercitum numerosum ; quod necessum fuit refundere magnam pecuniae vim pro frumento Urbis civibus comparando. Extulimus eximium Eminentissimorum DD. Capponii, Spadae, Panziroli, et Caraffae zelum pro salute populi Ibernici et singularem in nos urbanitatem. Demum non siluimus laboriosam Reverendissimi D. Albitii solertiam, et sedulam venerandi admodum P. Lucae Waddingi, Nationis nostrae in Urbe Agentis, operam pro bono Patriae fideliter navatam.

" *Ad Secundum.*

(57) "5°. Munificentiam Beatissimi Patris erga nos, et praemia atque honores, quibus nos abunde cumulavit, clam et palam omnibus declaravimus. Neque omissum erat (uti puto) aliquid quod spectabat ad gratitudinis officium.

" *Ad Tertium.*

(58) " 6°. Tenuimus ad aliquot dies Breve Apostolicum ad DD. Episcopos missum, expectantes majorem illorum numerum (nam tantum erant septem in civitate), et eo fine scripsimus ad Praelatos magis vicinos ut properarent ad Breve capiendum, non vero studio Comitiorum augendorum Illustrissimo Domino adversantium. Nam nihil | nobis optabilius accidere poterat, 2352
quam sopitam videre controversiam inter illos infaeliciter v
exortam. Hoc nobis vitio vertendum non existimavimus,

scientes Suae Sanctitatis mentem fuisse, ut majori Praelatorum numero, qui nobis occurreret, traderetur Breve, quod tandem duobus Archiepiscopis et Episcopis septem (nec plures invenimus) porreximus, fuse efferendo monita et consilia saluberrima Suae Sanctitatis ut duces essent concordiae in populo.

" Ad Quartum.

(**59**) " 7°. Sed acrius premuntur Fernensis et Plunkettus, omisso debitae Illustrissimo D. Nuncio civilitatis obsequio, et conspiratione cum factiosis et Pontificiae authoritati invidentibus, in pacem illam, *a qua venit universae gentis ruina*. Quibus criminibus haud melius a me occurrendum censeo, quam vere exponendo deplorabilem Regni conditionem, implacabilem Illustrissimi Domini Rinuccini et Supremi Concilii contentionem, partium divisarum ferociam, ardorem et pugnantia consilia. Super his serio deliberet aequus Judex, et me liberet vel condemnet pro merito. Talem censuram non pertimesco. Velim etiam ut dicat vir prudens, an in collega meo et me situm
2353 fuerit morbis patriae et pietatis adeo | laethalibus mederi. Erat populi Ibernici conditio in nostro appulsu omnino infaelix, atrox praeliis, discors seditionibus, ubique pavor et suspicio, et turbata omnia ; ubi nec sentire viro candido quod vellet, nec quae sentiret dicere licuit. Jam Ormonius a Comitiis invitatus habitavit in suo palatio Kilkenniae, ubi sedebant eadem Comitia. Ergo antequam in Regnum pervenimus hospes erat Ormonius, et non tam hospes quam omnium Dominus, qui una cum Consiliariis suis fidelissimis de faba cudenda, unitis consiliis, conspirantibus, ita omnia disposuerat ut non posset ulla via pax illa impediri. Quasi Fernensis et Plunkettus possent cauta virorum, qui ab Illustrissimo D. Nuncio pro vaferrimis habiti sunt, consilia eludere. Videamus jam penes quos erat robur Regni.

(**60**) " 8.° Exercitus Lageniensis numeratus (licet vere tantus non erat) pro septem millibus peditum et equitum mille quingentis cum Generali, D. Thoma Preston et universis Tribunis, majoribusque officialibus totus erat pro Supremo Concilio contra Illustrissimum Dominum Nuncium, atque ardens ad perdendum exercitum Provinciae Ultoniae sub Generali D. |
2353 Eugenio O Neill. Talis erat et eodem modo affectus exercitus
v Momoniae sub Generali D. Taaffo, Ormonii studiosissimo.

(61) " 9°. Vires Conaciae ut pene universa Provincia Marchionis Clanricardiae amore ebria morem gerebant illi fidelissimo Ormonii amico et in pacem vehementer propendenti.

(62) " 10°. A partibus Illustrissimi D. Nuncii pauciores erant vires. Robur praecipuum erat exercitus Ultoniensis, qui detrectaverat, aestate praecedenti, praelium committere cum copiis Supremi Concilii conjunctis haeretico militi Baronis de Insequin. Et quanquam D. Eugenius, eorum Generalis, fuerit vir fortis et sapiens, et miles ejus pugnax et bene exercitatus, tamen pulvere, pecunia, et commeatu bellico destitutus non valuit hostem debellare. Erant autem illae copiae, quando nos in Regnum appulimus, in hybernis, et Illustrissimus D. Nuncius pulsus ad Regni angulum, urbem Galviae in Conacia, quam accepit pro loco refugii, vel potius exilii.

(63) " 11°. Veniamus ad ipsa Comitia nobilitate et Communibus referta, in quibus sedebant duo Archiepiscopi et Episcopi octo, tres Comites, nempe Westmidiae, Castelhaven, et Fingalliae, neque | plures erant sub imperio Catholicorum. 2354
Vicecomites tredecim, scilicet, Gormanston, puer quidem sed ductus consilio patrui sui, Generalis Prestoni, Rupe et Fermoy, Montgaret, Dillon, Taaffus, Neterville, Muscry, Mayo, Iveagh, Clanmaliere, Ikirin, Kilmalok, et Galmoile. Barones septem, Brimingham, Slane, Upperossory, Louth, Dunboine, Trimlestowne, Castleconell, neque plures erant Vicecomites aut Barones Catholici. Equites aurati plus minus viginti, Armigeri et generosi quamplurimi, Provinciarum Lageniae, Momoniae et Conaciae, sanguine et haereditatibus et ingenio clari, ac de Ultoniae Provinciae viris nobilissimis nonnulli. Deinde civitates potentiores et portus maritimi, ut Wexfordia, Limericum, Waterfordia, Galvia, Rossipontum, et civitates oppidaque murata mediterranea, ut Kilkennia, Comitiorum sedes, Clonmellia, etc., per suos in Comitiis communes seu *Agentes* pacem deposcebant, illam in malis, quae patiebantur, gravissimis salutare remedium arbitrantes.

(64) "12°. Insuper habuerunt Ormonius et Domini de Supremo Concilio exercitum haereticum Baronis de | Insequin quinque 2354
millium ad pacem impellendam. Ab hoc milite imminebat v
incolis Momoniae certa ruina, si paci assensum non praebuissent. Sed miles iste haereticus (dicunt aliqui Catholici) paucus erat et despicabilis. Percunctor ego ita sentientes, quis miles sub eodem duce Insequinnio toties fudit et profligavit exercitum Catholicum in Momonia? Quis miles domos combussit, agros

vastavit, armenta a praediis Catholicorum egit, et ingens vectigal exegit? Exciditne memoriae clades exercitus nostri sub Taaffo Generali, quando occubuit Machabaeus ille, D. Alexander Mac-Donell, Eques auratus, in quo praelio capta vexilla hodie appensa manent in ecclesia civitatis Corcagiae? Possumusne oblivisci barbarici hujus militis sacerdotes mactantis et innocentem populum ante altare in Rupe Cassiliae seu Ecclesia S. Patritii? Nonne prophanus hic miles est, qui sub Marchione Clanricardiae copiis Catholicis Supremi Concilii junctus obsidione cinxit urbem Galviae (dum intus erat Illustrissimus D. Nuncius), compulitque ad obediendum dicto Concilio, atque ad amplexandam suspensionem armorum, cui tanquam impiae Illustrissimus Dominus Nuncius adversabatur.
2355 Sub Barone Insequinnio efferatum | hunc militem moderante
ensem (dum de pace tractabatur) et *cervicem* super jugulis eorum tenente pavidi tremebant Momonienses, non habentes exercitum Catholicum, qui eos defenderet. Quid in tali articulo facerent, qui furorem militis Insequinniani integro septennio experti fuerant, facile est judicare.

(65) " 13°. In universo Regno caligo et caecitas implebant omnia, et libido quaedam ultionis, quae gloriae vel malitiae negotium curat, plerorumque animos urebat. Verum super omnia trepidus pavor, pessima mentis passio, omnes perculit. Timebat Illustrissimus D. Nuncius interitum extremum religioni et ecclesiis inferendum *per Ormonium factiosorum artificiis Catholicorum humeris imponendum, qui sub pectore magnas iras coquens machinabatur perniciem ejusdem Illustrissimi D. Nuncii et Regni Praesulum*, eo nomine quod primam pacem cum illo conclusam tanquam impiam et probrosam repudiassent. Qui timor impulit dictum Illustrissimum Dominum ad fulminandam excommunicationem contra membra Supremi Concilii, Duces exercituum, omnesque adhaerentes suspensioni armorum cum
2355 Insequinnio conclusae, | *quae viam sternebat Ormonio ad*
v *imperium*. Illi de Supremo Concilio, omnesque Ormoniani timebant D. Eugenium O Neill tanquam supremum dominium ambientem, a quo, si victor evaderet, nihil aliud expectabant quam necem vel exilium, incusabantque eum nefandae conspirationis in capita eorum et Patriae exitium. Ad probandum hoc conjurationis crimen contra dictum D. Eugenium, D. Episcopum Clogherensem, et praecipuos tribunos et nobiles exercitus Ultoniensis, obtulit se quidem Briminghamus, *quem pro vaferrimo et corrupto viri probi habuerunt*. Illi hoc timore

consternati maturabant conjurationem cum *Ormonio ut eo duce Eugenium ejusque amicos perderent*, et eo fine elaboratis et disertis orationibus de perfidia, et pessimis Eugenii facinoribus (quo salvo dicebant Patriae pereundum) tantum praestiterunt in Comitiis, ut contra eum severissima evolarint edicta. Erat enim Comitiorum sententia proscriptus tanquam perduellis, perfidus, sacramenti associationis violator, et populi Catholici hostis. Quid in hac rerum mutatione Eugenius, vir fortis et sapiens? (*quem Patriae amatores* | *honorarunt pro Duce expertissimo et magno Religionis zelatore*) rebus suis consuluit, et tractare caepit cum Parlamentariis Angliae pro religione et salute sui exercitus et amicorum, ad tale consilium redactus (ut ipse saepius dixit) Ormonianorum invidia et tyrannide. Ita ad faedus cum Comitialibus expetendum perduxit Eugenium non amor pacis cum illis, sed necessitas sibi et suis prospiciendi. Qui tamen conatus ejus plurimos nobiles, civitates, et communes concitavit ad festinationem pacis cum Ormonio. Nam nobis visa sunt Comitia abhorrere ab omni amicitia cum Comitialibus juratis religionis, patriae, Regis, et libertatis hostibus, qui antea tot cladibus populum Catholicum afflixerant, ecclesias polluerant, et omnem scelerate pietatem everterant. Ita pavorem, ducem imbellem, et nihil forte aut generosum audentem sequebantur omnes, qui timor foras expulit charitatem et amorem fraternum. Etenim in Regno nihil tutum ab invidia, suspicione, ira, calumniis, odio, jurgiis, conviciis, ruptis duobus vinculis civilis conversationis, justitia et charitate. Et eo dementiae venerant Catholici, | ut festinarent proprio ferro 2356 v
interire et hostile non expectare. Jam enim ventum erat ad manus et bellum, profundebaturque Catholicorum sanguis et pauci inventi sunt, qui senserunt aut metuerunt publicas calamitates, in eo solum ponentes salutem, si possent partem Catholicam sibi contrariam opprimere; de hoste enim non cogitabant. Erat (proh dolor) altare contra altare, divisis inter se Reverendissimis Ecclesiae Praesulibus et quamplurimis de Clero saeculari et Regulari viris eruditione et moribus claris cum magno populi scandalo et animarum ruina. Fluctuabat simplex populus dubius, quem ducem sequi deberet, praedicante hodie uno: Christus est hic; alio cras perorante: Non est ibi sed hic Christus et veritas. Non Supremo Concilio (ait unus) debetis morem gerere, quia pro religione est certandum, et pro ea conservanda optimus Praesul, D. Nuncius, gladium Sanctae Sedis evaginavit. Clamat alius: non est de re spirituali

2356

concertatio. Suspensio armorum inita est a DD. Consiliariis pro salute populi, quae suprema lex est. Fecerunt quod spectabat ad magistratum civilem et sollicitudinem suam ; eis non Illustrissimo D. Nuncio hac in re obtemperandum est. Ita
2357 populus fluebat et refluebat, tanquam bulliens mare, | turbatus, inquietus, anxius, aliis censuram Illustrissimi D. Nuncii defendentibus ut validam, justam, salutarem, et ab eo extortam tanquam unicum remedium fidelibus et sinceris Catholicis relictum *contra factiosorum impia consilia, quibus interitura erat religio sancta sub imperio Ormonii perditissimi haeretici* ; aliis illam Excommunicationem ut invalidam, injustam, et temerariam reprobantibus, et interpositam a Supremo Concilio appellationem magnis laudibus efferentibus. Et ita intraverunt aquae ad animas Catholicorum Iberniae.

(66) " 14°. Dum haec foris fiunt, et viri ecclesiastici se duces dabant turbarum, plerique in Comitiis anhelabant ad pacem, alii studio privatorum commodorum, alii timore publicarum calamitatum. Praeter ardorem civitatum, nobilitatis et communium ad faedus cum Rege ineundum, adducebantur in medium haec (ut memini) argumenta : 1.° Si rejiciamus pacem a Rege oblatam libertati Nationis honorificam, et religioni haud probrosam, audiemus perduelles per orbem Christianum, et merito quidem, si obstricti sacramento nostrae faederationis ad jura Regia defendenda eligamus bellum cum Caesare nostro, omnem pacem respuentes, a quo (ut aiebant) non erat gladio extorquenda religio, cui Deus gladium tradiderat et cui tanquam
2357 potestati superiori et sublimiori | omnis anima subdi debuit
v exemplo Christianorum Neroni pagano obtemperantium, etc., eo tempore, quo ab illo damnati sunt ad omne genus tormentorum et ipsam necem. Addiderunt etiam bene consultum iri religioni per pacem ineundam pro circumstantiis rerum, temporum, et status nostri, atque conditionis, in qua Rex erat. 2°. Valde premebant conjunctionem cum Insequinnio et haeretico ejus exercitu ad partes Regis recenter conversis, unde facile recuperare possent absque sanguinis et thesauri (aerarii) dispendiis civitatem Corcagiae, cum oppidis Yeoghelliae Kinsaliae, et Dungarvan, portibus maritimis, et Comitatu Corcagiae totius Regni vastissimo, hoc pro magno beneficio existimantes ut hostis acerrimus in amicum verteretur et una cum Catholicis Parlamentarios invaderet, protestando publice se non habere vires resistendi Insequinnii copiis et Parlamentariis. 3°. Premebant valde pavorem ipsis et patriae imminen-

tem a D. Eugenio O Neill pacem cum Parlamentariis petente, a quibus una conjunctis sperari nihil potuit quam repentinus interitus, excidium, et caedes omnium. Quod malum faedere cum Regiis partibus commode praeveniendum dicebant, et ideo ad pacem festinandum. 4°. Premebant exemplum pacis Caesaris (urgente eum ad | hoc necessitate) cum Sueco et 2358
aliis illo anno celebratae, qua professoribus dogmatis Calviniani una cum decimis, beneficiis, et multis caenobiis, traditae sunt ecclesiae viginti sex annorum (si recte memini) bello partae. Quod si Imperator pius et potentissimus Monarcha (aiebant illi) et praecipuus Ecclesiae protector, tot ecclesias tradens haereticis, ne omnes committeret belli periculo, a labe et culpa liber sit et immunis, a quo tribunali condemnabimur nos destituti mediis ad bellum cum Parlamentariis et Rege simul gerendum, si pacem concludamus cum Principe nostro, cui fidelitatem et promisimus et debemus, et aliquid concedamus professoribus erroris, in quo est. Quibus tamen non intendimus ecclesias a nobis acquisitas tradere aut bona ecclesiastica. Si enim libero et futuro Nationis hujus Parlamento, in quo pacis articuli confirmandi sunt, plures erimus Protestantibus, reportabimus ecclesias una cum decimis et bonis ecclesiasticis, neque oberit nobis Regis placitum in Parlamento de ecclesiis auferendis Praesulibus nostris et sacerdotibus, cum placitum Regis in Parlamento vanum sit, nisi eat cum pluritate votorum. Ita explicabant passim in Comitiis Juristae placitum seu assensum Regis in Parlamento. 5°. Etiam utebantur responso Suae Sanctitatis tanquam argumento ad pacem accelerandam, | innuentes a Beatissimo Patre minime datam esse subsidiorum 2358
pro sublevatione populi certitudinem. Cum ergo ab Urbe v
(aiunt illi) et Principibus Catholicis ad nos non veniant auxilia, nobisque non suppetant facultates cum omnibus hostibus bellandi, necesse est cum aliquo pacem habeamus, a Sanctissimo Domino minime culpandi, si in tali casu necessitatis non valentes ecclesias, vitam, et libertatem contra omnes tueri, aliquem faedere hostem conciliemus. His et similibus argumentis pro pace astruenda personabat domus Comitiorum (vere an ficte egerint homines solus Deus scit?). Unde apparebat viris integerrimis pacem illam (non evitandam ulla eorum opera aut consilio) eo tempore concludendam, aut penitus dissolvendum Regni ligamen, quo sublato, quid sequi potuit quam populi perditio?

(67) " 15°. Quo ergo fundamento vulgatum est Romae a

quibusdam Ibernis, turbarum, quae acciderant, forsan ignaris, potuisse Fernensem et Plunkettum ex Urbe reduces totum post se Regnum trahere ad partes Illustrissimi D. Nuncii, *et perditissimos factionarios cum Ormonio, eorum idolo,* compescere, et a Regno, si luberet, ejicere ? Unde (quaeso) veniret ut Fernensis et Plunkettus ea pollerent gratia, ut soli possent funestas
2359 componere | controversias, turbas sedare, ferocem partium iram placare, Ormonium Regni visceribus inhaerentem proscribere, *cautissimorum hominum* consilia mutare, et efficere ut *ambitiosi* abdicarent omnem spem honorum et divitiarum ? Credine potest ut venerabiles Regni Praesules, aliique de tam saeculari quam Regulari Clero doctrina conspicui, inter se acerbe rixantes, submitterent se Fernensi et Plunketto ? Solius Dei erat (ita sensimus) mari et ventis imperare, et inter Ibernos eo tempore facere tranquillitatem.

(68) " 16°. Nonne anno praecedenti Illustrissimus Dominus Nuncius, fulgente in illo authoritate Apostolica, erat omnium longe potentissimus, malis timori ob dignitatem, bonis amori ob pietatem, affectum in Nationem et dotes in eo lucentes ? Qualis in nostro reditu erat ille nobilissimus Praesul ? An *non indigne spretus* a multis viris potentibus ? An *non neglectus* a quibusdam Praesulibus ? *An non lapidatus ab Ormonii factionariis ? An non malorum invidia et calumniis laceratus ?* De Reverendissimo Domino Decano Firmano, Nunciaturae Auditore Generali, quid dicam carceribus tradito ex suspicione apertarum ab eo literarum ex Urbe missarum ad Supremum Regni Concilium ? Quid de quibusdam ecclesiasticis *notatissimae*
2359 *probitatis contra libertatem ecclesiasticam* | per brachium
v saeculare ad carceres et ignominiam tractis ? Haec vidimus, et multa audivimus, et acerbe indoluimus, sed malis his dare remedium non erat in nobis positum. Deus scit hanc veritatem. Ut quid ergo cum extremo periculo nostro tentaremus aliquid, cum vires non haberemus ?

(69) " 17°. Unum adhuc addam pro me excusando, quare non visitaverim Illustrissimum Dominum Nuncium, quod admonitus fuerim periculi charissimis meis amicis impendentis, si Galviam me conferrem ad illum ante pacem conclusam. Nam tenuit factiosos ea opinio (vel id simulabant) quod molita fuerit ejus D. Illustrissima (erat autem turpissima calumnia) Regnum tradere Serenissimo Duci Etruriae, cujus Celsitudini ego cum collega meo Roma redeuntes nomine populi Ibernici gratias egimus pro dono armorum. Si non pro me, saltem timendum

erat pro amicis meis tali tempore, quo nihil tutum erat ab invidia et formidine. Neque me cautior quisquam debuit esse, cujus cives et amici dilectissimi, Petrus Butlerus, Thomas Roseter, Hugo Rochfort, aliique viri nobiles ob candorem et probitatem Illustrissimo Domino Nuncio bene noti, erant carceribus, dum Romae | fuerim, afflicti et bonis spoliati, 2360
quia Cessationem cum Insequinnio initam respuentes excommunicationi obtemperabant. Quid si eorum aliqui obsecrabant me, ut non exponerem me et ipsos periculo pro civilitate Illustrissimo D. Nuncio exhibenda, quam ipse in talibus circumstantiis nollet ? Et pavor ille auctus est quia vidi in Comitiis sedentes et tractationi pacis assistentes non nullos Regni Proceres, ejus Dominationi Illustrissimae fidelissimos, ut Vicecomitem de Rupe et Fermoy, et filium ejus primogenitum, Davidem Roch, Tribunum Legionis equestris et magni animi virum, Vicecomitem de Ikirin, Barones de Louth et de Castelconel, et Godfridum Baron, Armigerum, virum fortem, zelosum, et sapientem, aliosque, quorum mentem scrutatus, inveni eos ibi esse, nequid mali illis eorumve amicis accideret. Si autem in tam nobiles et constantes viros cecidit timor, cur idem non excusaret meam in Comitiis praesentiam, et absentiam ab Illustrissimo Domino Nuncio ?

(70) " 18°. Hae rationes collegam et me distinuerunt usque ad pacem conclusam ab exhibendo obsequio civilitatis ejus Dominationi Illustrissimae. Hoc etiam consideratione dignum est, quod absque licentia Comitiorum | (ni manifesto ex- 2360
ponueremur periculo) nobis non licuerit proficisci ad ejus Domin- v
ationem Illustrissimam. Quam facultatem (ut a viris prudentibus putabatur) non dedissent, apta suspicari talem congressum, et timere ne ex illa scintilla nasceretur flamma. Ut paucis dicam omnia, timuimus cum aliis viris nobilissimis et notissimae probitatis, et timoris signa habuimus clarissima, abrumpendam prorsus (ni pax illa fieret) omnem inter Catholicos unionem et concordiam, et per hoc Regnum haereticis necessario et brevi tradendum. *Clam enim ad cor Regni pervenerat Ormonii venenum*, et languidum Patriae corpus non erat patiens pharmaci fortis et vere salubris. Nam saepe accidit quod nimia quantitas sanae medicinae occidat aegrotum.

(71) " 19°. Expedit ut liberem me, collegamque meum nova calumnia. Nam dictum est nos sprevisse Excommunicationem Illustrissimi Domini Nuncii latam contra adhaerentes suspensioni armorum initae cum Insequinnio ; quod quam alienum

fuerit a mente nostra testari possunt qui nos audierunt. Ut hanc invidiae sagittam in nos rejectam repellam, sciendum est nos duxisse et dixisse censuram illam extimescendam et non
2361 contemnendam. Ego vero omnes | me consulentes super illa re adhortatus sum ad petendam absolutionem, talemque illi censurae reverentiam detuli, quod abstinuerim celebrare in ecclesiis et oratoriis interdictis. Quod et feci in oppido Rossiponti meae diaecesis. Insuper rogati vehementer obligare nos cum aliis Regni Commissariis ad prosecutionem Appellationis interpositae, non annuimus.

(72) " 20°. Quod non citius conati fuimus adire a pace contracta Illustrissimum D. Nuncium, rationes dedimus in quadam epistola a me et collega meo ad illum exarata ultimo Februarii ejusdem anni secundum stylum veterem ; et bene viris integerrimis compertum est nos tunc temporis omnem in eo operam collocasse, ut duces religioni fideles non exauthorarentur. Vel hoc unum erat illa cunctatione dignum, quod arcem Duncanan, petram Regni fortissimam, servaverimus in manibus Capitanei, Thomae Roche, viri fidelissimi, qui aliter eam amisisset. Unum nobis infaeliciter accidit, quod D. Plunkettus illo die, quo exire statuimus et haud dubie tunc exeundo tempestive venissemus ad suam Dominationem Illustrissimam, missus fuerit Kilkennia a DD. Commissariis ad Ormonium ad Villam Carrigiae circa tractationem gravissimi negotii. Quo reverso
2361 statim iter arripuimus versus | Galviam meliori animo quam
v fortuna, quia eodem die solvit in altum Illustrissimus Dominus Nuncius quo nos venimus ad tertium versus urbem illam lapidem. Hic etiam patimur virulentam calumniam, de quibus dictum est, quod ex industria tempus in via consumpsimus convivando, ut non citius attingeremus illam civitatem, quam ejus Dominatio Illustrissima discederet de Regno. Judicet Deus inter nos et horum hominum cogitationes.

(73) " 21°. Verum haec omnia (aiunt aliqui) non liberabunt culpa Fernensem et Plunkettum tempestive *admonitos per viros fide dignissimos de dolo corruptorum hominum Ormonium patriae et pietati anteferentium*. Quare ita admoniti, non sunt protestati contra scelera et fraudes factiosorum ? Quare non incenderunt omnes ad continuandam confaederationem et non auscultandum illi de pace illa tractationi ? Quare non excitarunt Catholicum militem ad arma capessenda contra authores malorum in Patria ? Et respondeo ego : quare inermis homo non occidit armatum ? Quare medicus non sanavit mortuum, et Fernensis

et Plunkettus non dealbarunt Aethiopem ? Quod in nobis erat fecimus. Preces effundimus, et obsecravimus illos de Supremo | Concilio ad humilitatem pro obtinenda absolutione, ut Regnum 2362
redderetur tranquillum et populus pacatus (quo Confaederati divisi commode uniri possent, et pacis tractatus impediri) sed omnia in vanum, illis hoc facere omnino respuentibus, et confidentibus in Appellatione interposita.

(74) " 22°. *Non latuerunt nos omnino perversorum dolus et artificia*, sed mala quae non potuimus curare, patienter pertulimus, pacem tanquam minus malum permittendo, cum penes nos non erat illam evitare. Quod si nolunt homines mihi fidem adhibere, mihi erit conscientia mea pro mille testibus, quod studio Ormonii, viri haeretici, nihil fecerim in illo negotio, nihil invidia Illustrissimi Domini Rinuccini, nihil spe bonorum propriique commodi. Quidquid feci bona fide feci, et pro bono patriae meae et religionis. Verum *experti sunt omnes boni, cum ingenti animi dolore, civitatum, ecclesiarum et totius patriae perditione, pacem illam evasisse populo et religioni nimis funestam*, hoste feroci et acri (dum milite et pecuniis vallatus nihil defendit Ormonius) universum Regnum brevissimo spatio debilitante, et Catholicis durante | octennii bello stantibus fortiterque 2362
pugnantibus, ruinam operante, ac suffodiente ea, quae Christi v
sunt, et quae daemonis, aedificante. Post hoc malum suspiriis et planctu uberrimo locus erat, non consilio aut remedio. Nam omnes infixi sunt in limo profundi, non invenientes substantiam. Verum quis praevidere valuit irati Dei, abscondentis in monte sancto aeternitatis arcanum hoc consilium ab hominibus, severam sententiam et fulmen, quod cecidit ? *Sed illi, illi, qui consulto Ormonium e Galliis vocarunt in Iberniam ad imperium, quod erat grande piaculum (hinc enim radix in illa natione malorum omnium, hinc fons omnium miseriarum, hinc imposita viris probis necessitas multa mala tolerandi, hinc semen omnium discordiarum) parent se ad respondendum Deo pro sancta religione labefactata, Patria perdita, libertate eversa, tot millibus animarum in exilium ejectis, et pro tanto profluvio Christiani sanguinis. Videant ad quem tandem exitum pervenerunt abstrusa eorum consilia, et qualiter contabuit humana sapientia.* Haec hodie vident ipsi apertis et madidis oculis, sed nimis sero, in externis regionibus profugi, spreti, | et vastissimis haereditatibus 2363
spoliati. Hoc vident Regni Praesules ecclesiis ejecti, domi in solitudinibus et montibus errantes, et foris a dilectis gregibus avulsi, gementes et inconsolati. Hoc videt et inconsolabiliter

dolet Catholica et miserrima Ibernia sub cruentato hostis gladio incurvata.

(75) " 23°. Haec mihi scribenti aestuat doloris affectus, et currunt lachrymae, quod unquam steterim in caetu consultantium de faedere tam exitiali, licet innocenter ibi fuerim bona mente et bono fine. Quod si contra prudentiam erratum est, peccavi non ex malitia, sed ex ignorantia, et erroris facilior erit venia. Quod si innocentiae non erit locus, sed opprimar falsi criminis invidia, Deum immortalem, qui prima veritas est, in testem voco veritatis, quam scribo, me semper vixisse summa fide adversus Sanctam Sedem, omnesque ejus Ministros in illo Regno, sanctae religionis negotium omni loco et tempore pro viribus curantem, et nunquam scienter abiisse in consilio *impiorum, aut stetisse in via peccatorum illorum, qui charissimam Patriam meam et religionem everterunt.* In hoc etiam cum S. Paulo me consolari volo, quod in meliorem mundum eundum est per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam. |

2363 v (76) " 24°. Quamvis a me scripta verissima sint et sufficere possint pro defensione famae meae et innocentiae, non tamen desunt integritati meae praeclara nobilissimorum virorum testimonia. Appello ad conscientiam ipsius Illustrissimi D. Nuncii qualem invenerit me in gravissimis Ecclesiae negotiis tempore suae Nunciaturae, an non virum candidum, fidelem, secretum et pro viribus actuosum ? Referat ipse quid scripserit ad Suam Sanctitatem de me ? In testem appello Illustrissimum D. Massarium meae probitatis et diligentiae pro tempore, quo fuit in Regno. Eandem de me fidem faciet (haud dubito) Illustrissimus D. Petrus Franciscus Scarampus, primus ad Faederatos Iberniae Catholicos Sacrae Sedis Minister. Prompta sunt et visenda etiam honoratissimorum Regni Praesulum testimonia, qui anno Domini 1650 Commissionem mihi dederunt tractandi cum Serenissimo Duce Lotharingiae de Protectione Regni Iberniae et religionis ab illo suscipienda, qua occasione a Patria discessi.

(77) " 25°. Fateri debeo me nihil esse miserius, qui vidi
2364 haereditatem Domini in Patria mea perdi et deletam | a nefariis haereticis, et clausa per eos ora laudantium eum. Oh ! ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine, et quare tradidisti bestiis animas confidentes tibi, et animas pauperum tuorum oblivisceris in finem ? Verum iram tuam meruimus, et quia peccavimus in conspectu tuo, idcirco tradidisti nos

in manus inimicorum nostrorum. Lupus oves meas comedit, et ego infaelicissimus pastor ab eis avulsus, ecclesia, civitate, et infulis spoliatus, vagus fio in terra aliena, et compulsus petere panem peregrinum, dum proprius dividitur inter sicarios et latrones. Undique angustiae et remeare non licet ad propria, ubi queror ad necem a sceleratis haereticis, et si spretis meis privatis periculis animam velim pro grege ponere, mea praesentia erit occasio excitandi novam flammam et gravissimam persecutionem, qua atrocius devoretur grex, ad quem defendendum contra lupos proficisci cupio. Crimen est quod Episcopus sum, authoritatem derivans a Romano fastigio. Serenissimo Regi Angliae invisus sum, Ormonio me traducente tanquam perduellem, et turbarum nuperarum in Ibernia praecipuum ducem. Crimen est quia una cum aliis Regni Episcopis conspiravi contra eundem Ormonium ecclesias omnes et Regni | civitates 2364
perdentem. In Urbe laeditur mea fama et crimen ignoro. Haud v
dubie e Divino consilio venerunt super me haec mala, ut eis sapiam, et peregrinationis meae dies paucos et malos agnoscens futuram quietis aeternae Civitatem inquiram. Neque melior sum ego patribus meis, fidelibus Dei servis, qui ludibria et *Hebr.* verbera experti, insuper et vincula et carceres, circuierunt in II. melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terrae. Quod si illi Dei electi et pia egerunt et crudelia passi sunt, quid ego pulvis et cinis quaero in hoc mundo et quo ambio pervenire ? Atque utinam, utinam me plene submittam Divinae voluntati in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Nam quietus non ero, donec inveniam Jesum meum in cruce ubi dormit, ubi pascit in meridie. Hoc unum ab hominibus solatium infirmus peccator quaero, ut me vermem ab haereticis protritum, stipulam siccam persequi desinant, quia non est in me amplius invidiae locus. Ubi enim fervet ignominia, frigescere solet invidia." Hactenus illa Apologia.

(**78**) Hanc sui et collegae defensionem a Fernensi Romae | 2365
porrectam ipsi non profuisse, sed obfuisse reperio, et de facto haud pauca sale non condita continet. 1°. Rumores falsos de se Romae ab aliquibus Ibernis sparsos dicit, cum tamen ipse Nuncius illa atque alia accusationum capita, partim ex Ibernia, partim ex Normandiae maritimis, anno 1649 ad Cardinalem Panzirolum in Urbem scripserit. 2°. Nec ipse quidem Fer-

nensis num. 4° ostendit se et collegam anno 1648 in Iberniam Roma reversos Suae Sanctitatis responsa et suam legationem Romanam Comitiis sincere retulisse. Nam praeterea Pontificem ad subsidia suppeditanda, ad suam circa pacis articulos sententiam dicendam, et ad suscipiendam Regni protectionem, vel certe ad eam alteri Principi juxta Comitiorum anteriorum decreta suppetias subministraturo assignandam paratum fuisse, sed induciarum interea cum Insequinnio contractarum conjurationem, Ormonii revocationem, et alias Ormonistarum machinationes tantis bonis obicem posuisse declarassent, et universum Regnum ad Ormonium et Ormonistas propterea deserendos, imo lapidandos concitassent, sed contrarium turpissime praestiterunt. 3°. Ambo in Iberniam reversi summam operibus et factis in Pontificem ejusque Nuncium et Ecclesiam exercuerunt ingratitudinem, contra ac num. 5° tradit.

2365 v (**79**) 4°. Contra numerum 6^um^ colligere est ex | epistola ad Episcopum Cluanmacnosiensem a septem Praelatis Nuncio adversantibus Kilkenniae 30° Novembris 1648 data, et suo loco posita, ambos illud Breve septem illis Praelatis Nuncio pestilentissime repugnantibus tradidisse, et illos septem illo tanquam instrumento malignissime usos fuisse *studio* (ut ipsius Fernensis verbis eodem numero 6° contentis in ipsum utar) *Comitiorum augendorum Illustrissimo Domino adversantium.* 5°. Ultra quam par esset omnes ingenii, industriae et sagacitatis nervos numero 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, et 22 intendit, ut suam, collegaeque ad Ormonium et Ormonistas anno 1648 defectionem palliet. Sed suis se armis subinde jugulat. Adversariorum tunc vires extollit, cum tamen certum sit omnes illas Ormonistarum et haereticorum copias simul sumptas vel solo Eugenii O Nelli exercitu fido, pugnaci, exercitato, et causae justitiae freto nullatenus aut certe parum fuisse numerosiores, quae (ut credere par est) ad Nuncium et Eugenium magna ex parte transiissent, et aliae in Ormonistas et haereticos insurrexissent, si Fernensis et Plunkettus quo dixi modo suam legationem sincere retulissent, nec Ormonio et Ormonistis, sed Ecclesiae partibus adhaesissent. Iberni enim illius legationis exitum tanquam oraculum expectabant. Insequinnii vires se ipsis longe majores effecit, sicut suo loco
2366 demonstratum est. Comitia, | quibus adhaeserat, potiorem Regni partem repraesentasse ostendit, seu potius ostendere conatur, *in quibus* (inquit) *sedebant duo Archiepiscopi et Episcopi octo.* En praeclaram hominis sinceritatem. Conventiculo illi

ab appulsu adhaesit, deindeque ipse et septem Praelati Nuncio adversantes operam fraudulentissimam dederunt, ut alios sinceros Regni Antistites Kilkenniam ad Ormonii et Ormonistarum votum attraherent, nec nisi Archiepiscopum Cassiliensem et Episcopum Waterfordiensem in hoc decipere potuerunt, ut tamen majorem illi conventiculo apud lectorem fidem astructurus, Praelatorum, qui Comitiis intererant, catalogum illo Antistitum a se circumventorum pari Fernensis augeat, cum potius dicere deberet Comitia vel ex hoc solo capite fuisse illicita et nulla quod illis, quia multifariam sceleratissimis, nec Nuncius nec sanissima et longe major Praelatorum Regni pars interesse voluerit, licet ut hi interessent, nullum Ormonistae, ipseque Fernensis et Plunkettus lapidem non moverint, etiam Nuncio demum ad horum duorum instantiam omnibus permittente ut, si vellent, ad pseudo-Comitia proficiscerentur.

(**80**) Iisdem pseudo-Comitiis ob procerum, nobilium, et aliorum, qui intererant, calculum Fernensis fidem astruere conatur pari sagacitate. Porro ante alios recenset tres Comites, sed addidisset horum secundum fuisse Anglum in Ibernia malis artibus ditatum indigenarum Catholicorum bonis, quibus semper metuit ne Ibernia et religione | triumphante excuteretur, 2366
primum autem et tertium fuisse Anglo-Ibernos Anglicanismo v
prae aliis plurimis Anglo-Ibernis infectos, et paribus simpathiae in Anglos, et antipathiae in genuinos Ibernos nec non proprii commodi studiis occupatos, quorum majores Henrico Octavo aliisque posterioribus Angliae Principibus haereticis domi militiaeque adhaeserant, quod praeter alias rationes claudicantes sub eorum tyrannide in bona ecclesiastica et sincerorum Catholicorum latifundia involarint.

(**81**) Fernensis postea ad Comitiorum Vicecomites transit numero tredecim, sed ex his 1^{us}, 3^{us}, 4^{us}, 5^{us}, 6^{us}, 8^{us}, 12^{us}, et 13^{us} non solum Anglo-Iberni, sed etiam vinculis praefatorum iniquorum similibus alii magis, alii minus detinebantur, et eorum primus (ut ipse fatetur) puer erat et puero insipientior, quia (ut ipse habet) *ductus consilio patrui sui, Generalis Prestoni.* Ex iisdem tredecim 4^{us} et 13^{us} non solum Ormonio erant contribules, sed etiam 4^{us} aviae ejus paternae frater, et 13^{us} praeter alias necessitudines Thomae cognomento Nigri, Ormoniae Comitis, cujus neptis ex filia moderno Ormoniae Marchioni nupserat, notho prognatus atque ex Equite aurato recens in Vicecomitem indutus, inter illos Ormonistas, quos in proditionum praemium Rex ad Ormonii suggestionem variis id

genus honoribus et titulis exornavit in aeternum eorum ignominiam. Nec silentio praetereundum est Vicecomitum duodecimum, hominem ebriosum et delirum, adeo mentis inopia
2367 ultimis illis vitae annis laborasse, ut repuerasceret, | aliundeque timeret ne Ibernia in libertatem vindicata agros patris aeruscationibus male partos restituere cogeretur natus illo Dominico Sarsfieldo, infami haeretico, *Judice iniquitatis*, qui pro tribunali sedens se nefariis mortis sententiis, nedum in alios Catholicos, sed etiam in ipsum Clerum latis consceleraverat.

(82) Ex tredecim Vicecomitibus octo sunt quos adumbravi. Ad alios septem quod attinet, ex his Muscrius, Ormonii sororius, adeo Ormonista fuit, ut a Nuncio Ormonistarum coryphaeus haud injuria vocitetur. Iveaghus et Clanmalierus affinium Anglo-Ibernorum pedicis illaqueati ita desipuerunt, ut etiam infirmo essent judicio, et Iveaghus postea publicam egerit paenitentiam per actum 24° Martii 1650 datum, et superius positum ab ipso testatam. Alii duo, Mauritius de Rupe et Fermoy et Ikirinius, licet Anglo-Iberni essent, et Ikirinius Ormonii contribulis fuerit, Nuncii tamen partes (sicut ipse Fernensis num. 17° fatetur) sequebantur. Quare quicquid ibi in Ecclesiae damnum perpetrabatur, detestabantur. Quorum primus, praeclarissimus Vicecomes Rochaeus, totius aeternitatis encomio dignus, rerum in illo conventiculo etiam a Fernensi gestarum horrore sancto impulsus, ante Comitiorum finem Kilkennia discessit, sicut ex ipsius epistola 29° Aprilis 1651 ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam data, et superius posita, liquet, qua Fernensem et alios Praelatos, qui illi conventiculo intererant, nedum alios Ormonistas, carbone notat.
2367 Porro cum | ea, quae ibi circa dictum conventiculum egit,
v haud Fernensem latuerint, mirum est quod eum illi Vicecomitum catalogo inseruerit, omittens quo pacto se Kilkenniae gesserit?

(83) Post Vicecomites ad Barones, qui Comitiis intererant, gressum facit, nec plures recenset quam septem quorum duo, nempe quartus et septimus ab ipso Fernensi num. 17° viris Nuncio fidelissimis accensentur. Quare dubitandum non est quin in illis Comitiis inique patrata abominati sint. Quintus, nempe Dunboinniae Baro, et Ormonii contribulis fuit, et ipsum deinde quantopere suae praevaricationis paenituerit, testatur ejus epistola nonis Martii 1650 ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam scripta, et superius posita, qua etiam *se aliorum vafritie fuisse seductum* dicit. Itaque Fernensis hunc et praeterea complures *aliorum vafritie seductos* potius ad veritatis et

aequitatis callem verbo et exemplo revocasset, quam eorum errorem et iniquitatem ipsis coalescendo secundasset. Quod ad quatuor alios Barones spectat, illi cum Dunboinnio induciarum sceleratissimarum conjurationem sustinuerunt. Quare cum illae (sicut ipse num. 13 testatur) *viam sternebant Ormonio ad imperium*, mirum non est quod de malo in pejus proficientes eidem in illis pseudo-Comitiis adhaeserint. Postea Equites auratos circiter viginti, armigeros et generosos quamplurimos, et civitatum atque oppidorum delegatos eidem | conventiculo interfuisse affirmat. Sed silentio praeteriit illos, 2368
aliosque pene omnes, qui nefariam pacem ibi contraxerunt, et Ormonium in Regiminis throno collocarunt, fuisse pestilentissimos Ormonistas, quibus omnibus ipse in sua epistola 18° Julii 1651 ad Oratores Ibernos Bruxellis Parisios scripta et suo loco posita nec non in variis hujus suae Apologiae locis pessima stigmata inurit, usqueadeo ut num. 21° se et collegam fateatur fuisse *tempestive admonitos per viros fide dignissimos de dolo corruptorum hominum Ormonium Patriae et pietati anteferentium*, et num. 22° *non* (inquit) *latuerunt nos omnino perversorum dolus et artificia, sed mala, quae non potuimus curare, patienter pertulimus*. Quibus addo eum potius malum quod magnopere curare poterat, potentissime secundasse.

(84) Ne autem ejus nomenclatura Procerum, et aliorum illius conventiculi membrorum faciat lectori fucum, notandum est in Ibernia plurimos tunc fuisse Proceres antiquissimo Monarcharum Ibernicorum sanguine prognatos, atque alios inferiores sed nobiles viros nullis Marchionum, Comitum, Baronum, aut Census Equestris titulis, quos semper spreverant, insignitos, qui illis Comitiis tanquam sacrilegis non interfuerunt. Quod cum ille probe noverit, eum pseudo-Comitia illa a Comitum, Vicecomitum, Baronum, Equitum, et Armigerorum suffragatione efferentem sinceritas | deseruit. Sane Eugenium O 2368
Nellum horum omnium titulorum nullus decoravit, ejusque v
exercitus plus minus decem Catholicorum millibus numerosus nullum omnino, nec Marchionem, nec Comitem, nec Vicecomitem, nec Baronem, nec Equitem, nisi forsan Terentium O Boillum, tunc continebat. Quae tamen copiae vastam Regni Provinciam Ultoniam gerebant adeo viris nobilissimis et clientela potentibus scatentes ut parum abfuerit quin universam factionem Ormonicam dissiparint. Ex quo, tanquam ex ungue leonem, caeteras Regni Provincias pondera. Caeterum quod de civitatibus et oppidis habet, simili fuco non caret. Nam

ex iis, quae alibi vidimus, constat civitates et oppida in hac controversia partium studiis flagrasse, proindeque non nisi a partibus eorum insanis missos fuisse ad illa pseudo-Comitia delegatos, qui suffragarentur.

(**85**) 6°. Colligendum est ex ipsius verbis num. 13° inducias cum Insequinnio fuisse iniquissime contractas ; Nuncium eas censuris sancte prohibuisse ; factionem Ormonicam in Eugenium O Nellum maligne et tyrannice se gessisse, et eum in illis Comitiis eadem crudelitate proscripsisse, nec Eugenium, nisi hac necessitate pressum, caepisse agere de faedere percutiendo cum Parlamentariis. Qua ergo fide subjungit hunc ejus conatum effecisse, ut pax cum Ormonio contraheretur, praesertim cum probe sciverit Eugenium, non nisi pace anno 1649 contracta
2369 et promulgata, et Commissariis ejus | Kilkenniam missis, sed concordiae spe frustratis, ad desperationem actum inducias cum Parlamentariis contraxisse, et de aliis transactionis conditionibus agere caepisse.

(**86**) 7°. Eum etiam numero 14° animi integritas deserit, artificiose allegantem in sui defensionem rationes, quas Ormonistae iniquae paci accelerandae praetenderint. Quarum prima haeresim sapit, eo tendens ut nullum in haereticos fidei causa bellum geratur. Et subdens : " *addiderunt* (inquit) *etiam bene consultum iri religioni per pacem ineundam pro circumstantiis rerum, temporum*, etc." Imo hoc et plus ipse et Plunkettus communi eorum epistola ultimo Februarii 1649 ad Nuncium scripta addiderunt, quod ille hic Ormonistis ascribit. Ex qua ejus arte colligendum est eum suas alias rationes in hac Apologia, tanquam non suas, sed Ormonistarum propinasse, quod earum authorem gerere erubuerit. Secunda quam futilis sit vel ex ipso in variis hujus Apologiae locis, et ex dicta ejus epistola 18° Julii 1651 ad Oratores Ibernos scripta liquet. Tertia quam fraudulenta sit ex iis, quae numero 6° dixi, patet. Quarta pariter nugatoria est. Nam non solum Nuncius Apostolicus in illam Caesaris cum Sueco initam pacem tanquam iniquam apud Germaniam protestatus est, sed etiam Caesar, Princeps ter Catholicus, sperabat futurum ut ipse in Germaniae Orthodoxos et haeterodoxos pace illa cum Sueco transacta dominaturus, fidem Catholicam opportunioribus pacis bellique occasionibus
2369 promoveret. | Sed in pace Ibernica non solum articuli ab
v omni aequitate discordabant, sed etiam in throno collocabatur non Caesar ter Catholicus, sed Ormonius millies haereticus, aliique pestilentissimi sectarii nihil non tentaturi ut congruis

occasionibus Nationem et Ecclesiam Ibernicam pessundarent. Quod etiam successit. Quinta ratio ipsum Fernensem jugulat, qui si legationem Romanam (sicut superius dixi) sincere in Ibernia retulisset, Ormonistae Suae Sanctitatis responsum accelerandae iniquissimae paci non praetendissent, sed legatione sincere relata eos Clerus populusque lapidassent.

(87) 8°. Quid artificiosas ejus nugas num. 17° contentas memorem? Se de Nuncio in Ibernia non visitato purgat. *Nam* (inquit) *tenuit factiosos ea opinio* (*vel id simulabant*), *quod molita fuerit ejus Dominatio Illustrissima* (*erat autem turpissima calumnia*) *Regnum tradere Serenissimo Duci Etruriae.* Haec ipse, qui cum *turpissimam caluminam* fuisse dicat, non erat cur timeret. Sed (inquit) *si non pro me, saltem timendum erat pro amicis meis.* Quod ridiculum est. Neque enim ob ejus crimen quamlibet grave puniendi fuissent, *sed* (inquit) *quid si eorum aliqui obsecrabant me, ut non exponerem me et ipsos periculo pro civilitate Illustrissimo Domino Nuncio exhibenda, quam ipse in talibus circumstantiis nollet?* | Et ego respondeo, 2370
quid si non obsecrabant? Observa solitam hominis industriam non affirmantis obsecrasse, sed interrogantis *quid si obsecrabant?* Porro nonne ipse anno 1651 nihil non tentavit ut mandato agendi cum exteris Principibus muniretur? Nonne eo fine in continentem navigavit? Nonne literas eo spectantes 21 Aprilis 1651 Lutetia Parisiorum in Urbem scripsit? Nonne totis viribus contendit ut Lotharingus in *Protectorem Regium* ascisceretur conditionibus superius positis, quae eum haud terrore panico in hujusmodi negotio perculsum fuisse ostendunt. Quibus addo ex ipsius literis ad Nuncium 25 Novembris 1648, 30 Novembris eodem anno, 19 Januarii 1649, et ultimo Februarii eodem anno datis colligendum quod haec ejus ratio postea fuit excogitata, cum ibi se Nuncium propediem conventurum spoponderit, deindeque hac ratione nunquam allegata, alias in solam et totam morae causam laudaverit. Sed (inquit num. 18) sine manifesto periculo non licuit proficisci ad Nuncium nisi Comitiis consentientibus, *quam facultatem* (*ut a viris prudentibus putabatur*) *non dedissent.* Ex quibus verbis colligere est eum nunquam hanc facultatem postulasse, et Episcopum Catholicum Ormonistarum, de quorum dolis et malignitate sibi constitisse fatetur, quam optimi Nuncii Apostolici ab ipsis persecutionem | passi et patientis plus duxisse rationem. Sed (inquit num. 2370
20) *hoc unum erat illa cunctatione dignum, quod Arcem Duncanan, petram Regni fortissimam, servaverimus in manibus* v

Capitanei, Thomae Roche, viri fidelissimi. Ecce quam astute obviat objectioni sibi faciendae. Nam Thomas Rochaeus ipso ad Ormonii et Ormonistarum votum seducente a Nuncii et Eugenii O Nelli partibus, quibus eousque fidelissime et constantissime adhaeserat, illis factiosis coaluit. Quam ille objectionem occupat, affirmando se in ea re publicum causae Catholicae bonum procurasse, quod id inter articulos obtinuerit, ut Thomas sub Ormonio in praefectura continuaretur. O praeclaram Fernensis sinceritatem.

(88) Plura refutanda sed quibus rerum ad annum 1648 et 1649 traditarum lectio in refutationem sufficiat, continet haec Fernensis Apologia, quae etiam ipsa sibi in refutationem sufficit, cum identidem in confesso ponat ea, ex quibus liquido constat, ipsum et Ormonistas omnes in illis pseudo-Comitiis desipuisse. Quod ipsius lectoris judicio ponderandum relinquo, ne prolixior sim. De reliquo charta Italica tunc anno 1653 Romae Suae Sanctitati in Fernensem porrecta, hic Latine sequitur. |

2371 " Beatissime Pater.

(89) " Cum Episcopus Fernensis Ibernus Romam pervenerit, me credo teneri ad repraesentandum Sanctitati Vestrae hominis qualitatem, et notabiles defectus ab eo commissos in illius miseri Regni ruinam et in exterminium Catholicae religionis inter illos populos simplices et innocentes.

(90) " 1°. Hic homo Lovanii in Pontificio Ibernorum Collegio literis operam dedit, et absoluto cursu Theologico a Sacra Congregatione Propagandae Fidei petiit in Capucinorum Ordinem intrandi licentiam, quam ut anno 1634 obtinuit, hanc vocationem deseruit, et Fratrum S. Bernardi, quos Fuliensium Religionem vocant, habitum suscepit. Postea ex novitiatu egressus, et hujus sicut prioris propositi paenitens, remansit sacerdos saecularis, et aliquot annorum curriculo adeo P. Fr. Lucae Waddingi opera rem suam Romae promovit, ut anno 1645 Episcopatum Fernensem obtinuerit. In qua Ecclesia moderanda Praelatum apparenter bonum gessit. Postea vero hominem factiosum, superbum, instabilem, duplicem, proprio commodo addictum, et in verum Dei Sanctaeque Sedis Apostolicae obsequium parum bene affectum egit, sicut sequentibus capitibus videbitur.

(91) " 2°. Quando Concilium Supremum et Illustrissimus
2371 Dominus | Nuncius Iberniae anno 1646 decreverunt ut
v

Dublinia, Regni civitas princeps, obsideretur, Episcopus Fernensis adeo novit ostendere expeditionem illam esse difficilem, ut dictae obsidioni exequendae moram injecerit, donec Praefectus Generalis Prestonus factionis Ormonicae auxilio exercitum conscripsit, quo Praefecti Generalis D. Eugenii O Nelli, militis experti et viri vere Catholici, vires progressibus intercludere posset, eumque expugnandae civitatis jam dictae gloria privaret. Cumque praefati Prestoni proditio innotuisset, et in eam sententiam itum esset ut jam convictus capite truncaretur, hic Episcopus cum quodam alio ecclesiastico ne id fieret impedivit, et effecit ut civitatis, eo ipso tempore quo D. Eugenio O Nello jam dicto dedenda esset, obsidio soluta sit. Prestonus enim cum hoste obsesso concordiam inivit eique cohaesit, praefatique O Nelli copias fundere et dispergere statuit.

(92) " 3°. Regni Iberniae Regimine anno 1646 faelicibus progressibus eo loci redacto ut penes Clerum esset, Episcopus Fernensis is fuit, qui ad convocanda nova Comitia induxit et tam efficaciter | persuasit, ut voti compos factus id egerit, 2372
ut idem Clerus in Episcoporum, Religiosorum, et ecclesiarum omnium ruinam a factiosis oppressus remansit.

(93) " 4°. Cum duodecim principales Patriae proditores et religionis adversarii ob proditionem incarcerati in Castello Kilkenniensi se tenerent, omnesque vita multandi essent, ille totis viribus operam dedit et assecutus est ut libertate donati sint ; indeque anno 1647 omnium excidium descendit. Hi enim ipsi postea fuere plusquam unquam refractarii, cumque in Consiliariorum numerum remissi fuerint, commode potuerunt suam exequi maledictam mentem, Cleri oppressionem, dissidiorum augmentum, et partium Ormonicarum provectionem.

(94) " 5°. Anno 1647 de novis Consiliariis eligendis facto compromisso, Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus a Clero in compromissarios electi fuere. Hi autem multis bonis et zelosis Proceribus, quos Nuncius Apostolicus et major ecclesiasticorum pars praesentaverant, posthabitis, illos pene omnes, qui (sicut antea dictum est) incarcerati, deindeque libertate donati fuerant, proditorie elegerunt, licet perversa eorum ingenia et pejorem probe noverint voluntatem.

(95) " 6°. Cum hic Episcopus anno 1648 cum Nicolao Plunketto | Romam venisset, de multis in Aula egit contra 2372
monita ipsi praescripta a Clero et Illustrissimo Domino Nuncio v
Apostolico, amboque res suas privatas, et quae minus premere

deberent, sibi in finem proposuerunt. Sed hic Episcopus in Iberniam reversus extremum illis religionis et Reipublicae rebus excidium peperit. Nam palam fecit Suam Sanctitatem in pacem cum Rege celebrandam et in Regni quietem propendere, nec amplius daturam subsidia. Multi etiam Proceres, qui circa maledictam pacem, quae postea cum praedicto Marchione contracta fuit, amplectendam vel repudiandam animo fluctuabant et haesitabant, ejus persuasionibus inducti fuere ad eam amplectendam in rerum omnium ac prae omnibus fidei Catholicae ruinam, sicut postea successit. Et sic quicquid tot impensis tantaque sanguinis effusione septennio reportatum erat, uno pene momento perditum fuit, omnibus Catholicorum propugnaculis et regionibus intra paucos dies in hostium potestatem relapsis sub Ormonii astutissimi haeretici imperio.

(**96**) " 7°. Dictus Episcopus, post praefatum ex urbe Roma regressum non solum Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum, ut ipsi et Aulae Romanae litteras traderet, et Suae Sanctitatis sensa referret, nunquam convenire voluit, sed velut in Sanctam Sedem rebellis cum maximae ingratitudinis nota mox |
2373 Ormonii factioni coalitus, multis Dominis et Regni Ordinum Religiosorum praefectis literas comminationum plenas scripsit, ostentans se effecturum ut bonis et monasteriis atque ecclesiis respective privarentur, nisi et ipsi praedictam pacem amplecterentur, quarum literarum non nulla autographa hic extant, quibus magis convincatur.

(**97**) " 8°. Comitiis seu potius conventiculo, licet illegitime et extra tempus convocatum esse sciverit, interesse non dedignatus est, quod permisisset se corrumpi honorum, praemiorum, et dignitatum, inter futurum Regimen conferendarum pollicitationibus, sicut successit cum Marchionis Ormoniae, haeretici, declaratus esset Consiliarius *Status*, ea tamen lege ut in subscriptionibus Episcopi titulum omitteret, et solum poneretur *Nicolaus French*, quod est nomen ejus proprium.

(**98**) " 9°. Cum ex sua legatione Romana inter alios fasciculos quoddam Suae Sanctitatis Breve ad totius Regni Clerum directum reportasset, id ausus est aperire et publicare contra Illustrissimi D. Nuncii Apostolici, Primatis, Archiepiscopi Dubliniensis, et majoris Episcoporum et praefectorum Religiosorum voluntatem et consilium, qui cupiebant et monebant ut in civitate Limericensi, quae adhuc Ecclesiae et Clero se fidelem praestabat, dicta functio exerceretur. Verum ille |
2373 cum Archiepiscopo Tuamensi et aliis quatuor Episcopis re-
v

fractariis illam Kilkenniae ceremoniam fecit, non alio fine quam ut alios Praelatos atque ecclesiasticos ad Comitia vel conventiculum, quod ibi celebrabatur, attraheret, eosque a Synodo Provinciali, quam Nuncius Galviam convocaverat, diverteret, ea solum mente ut omnes ad sordidam pacem jam dictam allectaret, cujus stabiliendae causa circumibat, dicens in omnibus congressibus et locis publicis, quae hic sequuntur: *Oh quam aliam vultis pacem praeterquam illam, quam ipse Summus Pontifex petit et hoc Brevi approbat, nempe honorificam et securam, qualis haec est.* Pacem illam, quae cum perfido, haeretico contrahebatur, et qua Religio, licet praecipuus belli scopus esset, excidebatur, honorificam et securam dicebat, et ejusmodi assertionibus multos proceres causae Catholicae studiosos decepit.

(**99**) " 10°. Episcopus Fernensis una cum Roberto *Devereux* Duncananiam, principale Regni propugnaculum et totius pene ripae orientialis portam, se contulit, ut ejusdem Gubernator eam Proregi haeretico submitteret. Quod etiam assecutus est, etsi dictus Gubernator antea Clero et partibus Catholicis fuerit fidelissimus.

(**100**) " 11°. Cum D. Hugo Rochfortus optimam Ducis Lotharingiae | illis bonis Catholicis subveniendi voluntatem 2374
in Iberniam reversus retulisset, et iidem fidelissimi Proceres novo faedere consociati eundem Dominum Rochfortum ad D. Ducem cum conditionibus in suae Celsitudinis desiderium et votum quadrantibus iterum allegare decrevissent, Fernensis rei illi exequendae intercessit haud alio consilio, quam ut ipse legationem illam obiret. Unde ejus praesumptione et rei privatae studio id factum ut legatio dilata fuerit, donec idem D. Dux aliis rebus detentus a tam gloriosa expeditione destitit. Nec idem Episcopus praefatum mandatum nequissimi Iberni Episcopi, qui fuit Dromorensis, interventu ab Ormonio haeretico procurare erubuit. Quod et prompte obtinuit. Nam dictus haereticus D. Ducem a se in aliquam decipulam illiciendum sperabat.

(**101**) " 12°. Contra Congregationis Provincialis Jacobopolitanae decreta et deliberationes censurarum ab universo Clero in eos, qui praefatae iniquae Ormonii paci adhaesuri essent, fulminatarum publicationem suspendit, licet ipse illi Congregationi interfuerit, suoque suffragio et subscriptione consenserit, idemque Episcopus fuit ex primis, qui ad Comitia Loghreaghensia celebranda induxerint, in quibus multa fuere

2374 v decreta in Ecclesiae, immunitatis ecclesiasticae, | et Patriae libertatis praejudicium. Eidem etiam Praelato imputandum est quod ibi Marchio Clanricardiae in Marchionis Ormoniae locum substitutus fuerit Regni Gubernator Generalis, solo nomine Catholicus et Regno magis perniciosus ac noxius, cum paucos illos tractus, civitates, et propugnacula, quae penes Catholicos erant, omnia in Parlamenti manus tradiderit.

(**102**) " 13°. Demum justo Dei judicio ante alios sua Ecclesia, bonis et fortunis omnibus excussus in Flandriam refugit, et se Duci Lotharingiae praesentavit, a quo repulsus est velut cui parum fidendum esset. Unde in Franciam ivit, se praesentaturus Regi (Angliae), a quo nunquam ad audientiam admissus, sed declaratus est rebellis. Postremo cum omnia ejus consilia an. 1651 et 1652 ad nihilum recidissent, sub praetextu accedendi ad Limina Apostolorum venit ut se ad Suae Sanctitatis pedes provolveret, et cum praesumptuosa audentia dicit quod se huic Sanctae Sedi Apostolicae purgare cupit, idque animo non alio, quam ut aliquod ab ea subsidium impetret, deindeque iterum eam cum Ormonii sequacibus irrideat ac ludibrio habeat, cum quibus ipsi plus quam antea bene convenit. Certus sum hunc hominem cum a D. Duce Lotharingiae | 2375 dimissus, Regis Scotiae praesentia exclusus, et ab omnibus rejectus fuerit velut nullo numero habendus, ultimos adhibiturum conatus apud Suam Sanctitatem, quo tanquam persona ecclesiastica aliquam vitae sustentandae opem assequatur. Verum dignus est qui gravissimas potius paenas daret, vel saltem hac civitate exploderetur, quo nunquam dici valeret eos, qui modis adeo ignominiosis, ingratis, et pervicacibus Patriam et religionem Catholicam prodiderint, hic nancisci posse refugium. Hic enim est Praelatus, quem Sua Sanctitas Aulaque universa benigne acceperat, et humanitate, beneficiis ac honore cumulaverat. Idemque ipse est qui in Iberniam redux, Nuncium Apostolicum nunquam revereri, aut revisere dignatus fuit, quique mox (sicut superius dictum est) Dei fideique hostibus associatus extremam rebus ecclesiasticis et Religiosis jacturam procreavit in omnium bonorum ejusdem Regni Catholicorum scandalum et praejudicium." Hactenus illa charta.

(**103**) Quod hic numero 11° dicitur, nempe Fernensem ab Ormonio mandatum, quo cum Lotharingo ageret, obtinuisse, vel id chartae authorem relatione falsa didicisse vel certe

mandatum illud | ante dissidia inter Praelatos et Ormonium 2375
anno 1650 nata concessum, deindeque ortis illis discordiis v
revocatum fuisse crediderim. Satis enim constat Fernensem demum non Ormonii, sed quorundam Regni Praelatorum mandato munitum in Belgium se recepisse, et ibi cum Lotharingo egisse. Porro hujus chartae apographum Italicum Illustrissimo D. Thomae Rinuccino, Equiti Sancti Stephani, Archiepiscopi Firmani germano fratri, ex Urbe transmissum est, illeque manu propria haec Italice verba a tergo scripsit: "*Scriptura a quodam in Catholicam Iberniae causam bene affecto Suae Sanctitati, cum Episcopus Fernensis anno* 1653 *Romam pervenisset, data, qua factum ut Sua Sanctitas eum audientia excluserit et rejecerit.*" Haec ille. Chartam autem hanc a Massario, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretario, praesentatam fuisse conjecto, licet Fernensis Apologiae numero 24 suae innocentiae testes appellet ipsum et Nuncium, quorum etiam hic quam Threicias notas ipsi inusserit, suo loco ad annum 1649 vidimus. De caetero idem Fernensis Sacrae Congregationi jam dictae sequentem chartam obtulit.

"*Rationes ob quas erit brevi in Regno Iberniae magna Pastorum et operariorum penuria exhibitae S. Congregationi de Propaganda Fide a quodam Praelato profugo illius Nationis, cum aliquot remediis.*

(**104**) "1°. Operarii in illa Insula non poterunt diu et famem, sitim, | aerumnas, acrem persecutionem, vigilias, et infirmitates 2376
perferre, habitantes ut plurimum in sylvis, et dormientes in pauperrimis casis, caveis et speluncis terrae, ubi spatio 24 horarum vix inveniunt buccellam panis cum modico lacte vel butyro, frigidam saepe pro potu haurientes, et aliquando defectu panis mordent herbam. De hac veritate testimonium perhibeo, qui quinque mensium spatio ita in sylvis vixi, ut possem pusillo gregi esse solatio.

(**105**) "2°. Alii ex iis ab hoste haeretico capite plexi, alii fame et carcerum paedore confecti intereunt, alii navibus impositi ejiciuntur in exilium.

(**106**) "3°. Aliqui zelo, moribus et eruditione clariores (eo nomine haereticis magis invisi) expetuntur ad carceres et tormenta, et pro iis capiendis explorantur domus incolarum,

quo fit ut manifesto vitae periculo omnibus eos hospitio excipientibus imminente, eant extra mare, ne aliis sint causa ruinae.

(**107**) " 4°. Religiosi in vinea pastores animarum juvare soliti, solutis per haeresim monasteriis, magno numero obedientiam obtinent proficiscendi in exteras Regiones, ut vivant ubi viget Regularis observantia. Cape ex ungue leonem : In diaecesi Fernensi, ubi erant tria monasteria Ordinis Minorum, unum Eremitarum S. Augustini, et unum parvum Collegium |
2376 Societatis Jesu, tres tantum Religiosi remanserunt.

v (**108**) " 5°. Episcopi, quibus nullo in angulo tutum est, videntes eorum occasione et residentia majorem in greges persecutionis flammam accendi (mori enim debent absque misericordia qui eos hospitio fovent), fugiunt extra mare, gemuntque inconsolabiliter a dilectis gregibus avulsi, pro labefactata religione, patria perdita, libertate eversa, et tot gentis suae millibus in exilium actis. Ex hac Episcoporum fuga atque exilio fiet ut non sint amplius consecrandi in illa patria sacerdotes, qui possent succedere veteribus operariis laboribus, fame, siti, et senio enectis.

(**109**) " Ex dictis clare liquet vineam Domini in Ibernia brevi vacuatum et desertum iri, ubi modo pullulantes abominandae haeresis vepres et spinae suffocant jactum pietatis semen et ubi percutiuntur pastores, qui possent consolari agnos et confirmare ad tormentorum patientiam, lupis interim proterve furentibus. Unde omnino timendum est ne horrendum eveniat Ibernis malum, quod antea Anglis et Scotis, nempe ne penuria et exilio operariorum Calviniana lues omnem tollat Ordinem ab Ecclesia Dei et funditus eliminet e mentibus hominum pietatem et religionem.

" *Aliquot Remedia.*

(**110**) " Ad malum tam ingens avertendum a capitibus meae
2377 Nationis, | quae ad immortalem gloriam in dirissimis persecutionibus sub quinque Principibus haereticis perduravit Catholica, inventa in igne tribulationis non palea fumans sed aurum rutilans, utque zelo et sapientia S. Congregationis de Propaganda fide, penes quam sub Sanctissimo D. Nostro Innocentio Papa X est sollicitudo omnium Ecclesiarum, serventur in illa Insula animae a perditione, sancti mores a corruptione, vinea

Domini a furibus, veritas ab errore, et medicamentum animarum a veneno, cum omni humilitate pauca propono remedia :

(111) " 1m. Ut omnes scholares Seminarium aliquod aut Collegium Ibernicum intrantes, tactis Evangeliis obstringantur post studia peracta redire in Patriam ad sollicitudinem animarum, prout praescriptum fuit et statutum ab eadem Sacra Congregatione in Seminario Pontificio Ibernorum Lovanii.

(112) " 2m. Ut dignetur Sacra Congregatio hortari literis magnificis Principes, Praesules, et magistratus, ubi sunt Collegia Ibernorum vel notabilis eorum numerus navantium operam litteris et pietati, quatenus velint Dei causa eos consolari et benevolentia prosequi ituros | aliquando ad supplicia, tor- 2377
menta, et ipsam necem, ne extinguatur ab haereticis Sathanae v
mancipiis, sacer ignis religionis in Regno tam Catholico.

(113) " 3m. Ut in Universitatibus vel aliis civitatibus et locis, ubi nullum est gentis Ibernicae Collegium, concedatur a Sacra Congregatione authoritas alicui personae venerabili et idoneae visitandi et corrigendi Ibernos ibidem studentes, eosque dimittendi in Patriam, studiis consummatis.

(114) " 4m. Videtur aequum ut milites Christi pro sancta religione praeliaturi accipiant annonam necessariam, hoc est viaticum, quo in Patriam veniant, cum pauperes sint et facultatibus omnibus exuti, et cum eorum plurimi praetendant defectum viatici tanquam unicum impedimentum profectionis in Patriam et causam diutius morandi extra mare. Unde spectare videtur ad sollicitudinem S. Congregationis de hoc puncto deliberare.

(115) " 5m. Erit etiam necessarium ut S. Congregatio non solum hinc in Iberniam profecturis concedat facultates dari solitas in regionibus ubi viget haeresis, sed etiam excogitet modum illas opportune et cito transmittendi ad eos, qui modo in illa vinea insudant. Nam militibus Christi danda sunt arma, quibus poterunt haeresim confodere. |

(116) " Quod si hoc Dei negotium fervide impellatur et 2378
opportune, non deerunt, Deo volente, in vinea Iberniae operarii ardentes atque eruditione ac sanctis moribus florentes, qui, frendente ac fremente bellua haeretica, conservabunt cum vitarum suarum discrimine ignem sacrum in altari Summi Dei, et praebebunt animabus pabulum salutis.

(117) " Tales operarii extrahi possunt e Seminariis et Collegiis gentis nostrae in omni fere tractu et plaga orbis Catholici. In sola civitate Parisiensi praeter decem Theologos in Seminario,

sunt plus minus quinquaginta sacerdotes et Theologi, et ex eo numero tres Doctores facultatis Parisiensis, duo Licentiati, sex Baccalaurei et tres Philosophiae professores. Habemus in civitate Burdegalensi antiquum et bonum Seminarium, in Tholosana unum parvum Collegium, in Belgio Seminarium Duacenum, Lovaniense, et Antuerpiense pro Theologis et Philosophis, Tornacense et Insulense pro litteris humanioribus in diaecesi Tornacensi sub auspiciis Reverendissimi Tornacensis Episcopi, Patroni gentis benignissimi, in Urbe Ludovisianum, in Hispania Salamanticense, unum in urbe Hispalensi, unum in S. Jacobo, et alterum in *Alcala*, in Lusitania Collegium Ulissipo-
2378 nense. Habemus varia Religiosorum | monasteria et Conventus,
v Lovanii S. Joannis Baptistae Praedicatorum, et alterum S. Antonii de Padua Ordinis Minorum, unum Capucinorum Carolopoli in Galliis, aliud Sedani. Huic numero addas plurimos viros doctos, tam saeculares quam Regulares, in variis locis et Monasteriis sparsos." Haec Sacrae Congregationi Fernensis.

(**118**) Idem Antistes chartam obtulit hanc Pontifici praesentandam :

" *Beatissimo Patri Innocentio* X^mo^ *pro Nicolao French Episcopo Fernensi in Ibernia.*

" Beatissime Pater.

(**119**) " Ego praesul miserrimus per barbaram haereticorum Angliae rabiem profugus in terra aliena, persoluto in aede Lauretana voto et visitatis liminibus Apostolorum, ad Beatitudinis vestrae pedes provolutus jaceo, rationem de pastorali meo officio et salute animarum in Ecclesia Fernensi meae fidei tradita aliam reddere non valens quam sacra omnia pessum ire. Pollutae squalent ecclesiae, bona ecclesiastica praeda furum
2379 sunt, vasaque | sacrata pocula temulentorum, et domus Dei fit spelunca latronum. In hoc uno solari possum Vestram Sanctitatem, quod populus sub scelerati hostis imperio multis affectus paenis non desinat esse Catholicus, imo persecutione fit ferventior. Parrochi viginti (reliquos ademit gladius et mors) cum tribus Religiosis egentes et afflicti animarum custodiae laudabiliter incumbunt. Solus ego a dilectissimo grege avulsus, exul inconsolatus, munerisque mei periculo pavidus, gemo, bene sciens non admitti pastoris excusationem si lupus oves comedit

et Pastor nescit. Nam requirendus est de manibus meis a Supremo Judice sanguis animarum, si gregem mihi commissum more mercenariorum deseram. Verum ad meos remeans gravissimae persecutionis author fiam, quem nuper in silvis et montibus meae diaecesis latitantem ad necem quaesivit truculentus hostis, et cui modo omnibusque me hospitio excipientibus aut favore ullo vel beneficio prosequentibus manifestum vitae imminet periculum.

(120) " Venio ad oraculum ut sententiam audiam et Sanctitatis Vestrae capiam jussionem. Loquere Domine, servus tuus audit obedire paratus et cum gratia Dei non solum alligari sed et mori in Ecclesia mea pro nomine Jesu. Mandatum Apostolicum super hoc gravissimo animarum | negotio re- 2379
verenter postulans, et benedictionem pro me, universoque v
grege meo obsecrabo humillimus orator Deum Opt. Max. ut vestram Beatitudinem diu florentem orbi Christiano conservet." Haec ille.

(121) Sed haec omnia Fernensi nec ad audientiam a Sua Sanctitate obtinendam, nec ad placandum Pontificem ipsi succensentem profuerunt. Quare ubi aliquandiu in Urbe magno animi dolore pene ad mortem tabuisset, in Galliam reversurus Roma discessit, scriptis in ipsa Urbe, cum ad discedendum se accingeret, P. Richardo O Ferallo, Capucino Iberno, Romae in Capucinorum Conventu commoranti, literulis Anglicanis, quas ex autographo Latine verto.

" Reverende Pater.

(122) " Subito discessurus haud aliam habui opportunitatem tibi valedicendi quam per has lineas commendans me tuis bonis precibus. Nam factus sum vagus et miserabilis, eo magis meo Salvatori similis, quod nulla mihi sit civitas, aut domus mea ubi caput reclinem. Quamobrem majore animi libertate et spiritus fervore *Civitatem permanentem et futuram inquirere* possum. Deus nos ea conditione in hac vita puniat, | ut in illam 2380
patriam conducat. Urat hic et secet ut aeternum parcat. Sum pater

Romae, Tuus sincerus amicus,
5 Junii 1653. Nicolaus Fernensis."

(123) Episcopus Duacensis persecutionem a nefario Cromuello et Angliae Parlamentariis in Ibernia concitatam declinaturus, ex eo Regno discessit, et sub Clanricardii, contribulis sui, in Angliam profecti alis Londini delituit, ubi recepit Roma ab

amicis literas, quibus se in Urbe carbone notari intellexit. Quare epistolam apologeticam satis prolixam Londino 17° Novembris hoc anno 1653 ad Massarium, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretarium, in Urbem dedit, ostendens se nec in induciarium et censurarum controversia anno 1648 nata, nec (nam haec praecipua criminationum capita fuisse didicerat) in pacis cum Ormonio ad ineuntem annum 1649 conclusae negotio peccasse, quod toto anno 1648 Ibernia abfuerit, illoque ex Hispania ad ineuntem annum 1649 advectus, in censurarum a Nuncio ob inducias fulminatarum reverentiam usque ad obtentam celebrandorum Sacrorum licentiam, sacris, quamlibet Episcopus, abstinuerit, nec Kilkenniam, nisi pace illa jam conclusa, et pridie quam promulgata esset, pervenerit. Quae ipsum spectantia suis locis tetigi. Porro, licet ob rationes jam dictas se in illis controversiis ab omni culpa immunem fuisse |
2380 contendat, in eadem tamen epistola se iisdem implicat : " Haec
v (inquit) cum a me exacte observata sint, audent nihilominus aemuli vel inimici Romae asserere me partibus Nuncii adversatum fuisse. Illi verius et similium passionum socii, qui ambitionis et particularium finium intuitu, nullo verae pietatis vel religionis (ut passim ab optimis et rerum Regni expertibus judicabatur) cultu, Nuncio palpante, perniciosis suis suggestionibus et consiliis virum alias optimum in ingentes difficultatum voragines non sine Regni ruina praecipitarunt et ut tantam a se religionis stragem perduellionisve in Deum et Regnum amoliantur malignitatem, me tum peregre agentem et, ab appulsu, Illustrissimi Nuncii censuris humiliter deferentem, faedissima suae seditionis face volunt ambustum." Haec ille, quibus in Nuncium et ejus apud Iberniam partes injuriosissime proteryit. Appellationem quoque ab Ormonistis anno 1648 interpositam in eadem epistola laudat, et praefatam pacem cum Ormonio anno 1649 conclusam summis encomiis onerat, suumque fratrem, Archiepiscopum Tuamensem, necdum mortuum, pene in Sanctorum numerum refert, tametsi dignus fuerit qui infulis spoliaretur, et ulteriores easque gravissimas paenas daret. Porro ad Duacensis epistolam respondit Massarius hunc in modum.

" Illustrissime et Reverendissime Domine mi observandissime.

(**124**) " In festo S. Thomae Cantuariensis Archiepiscopi, qui pro Religione et immunitate Ecclesiae, aliis reluctantibus,
2381 gloriosi martyrii palmam est adeptus, litteras | Dominationis vestrae Illustrissimae Londini datas sub die 17 Novembris

stylo veteri accepi. Ex his miserum Iberniae statum colligens deploro. Angor etiam mente revolvens innocentis populi ruinae et exterminii, cum tanta fidei Catholicae jactura, in causa fuisse ipsos Iberniae Proceres et Praelatos, qui inimicissimo haeretico nullam potestatem nisi imaginariam habenti inhaerentes, turpissimam proditionem magis quam gloriosam pacem promoverunt.

(**125**) " Si Dominatio vestra Illustrissima partem cum illis, qui Patriae ruinam cum adversariis contexerunt, habuerit, an non, Deus, qui corda hominum perscrutatur et videt, optime scit, et ipse Judex omnium erit. Quod si innocentia aderit, innocenti non deerit. Ego fateor me nec Dominationem vestram Illustrissimam adjuvare nec ei nocere posse ; unde aliam ad se purgandum viam quaerat. Interea *prosint gloriosissimae et religiosissimae* (ut eam in suis vocat) *Pacis Ormonicae fructus*, et diu vivat, prout precatur

Romae, 29 Decembris, 1653.

Dominationis vestrae Illustrissimae et Reverendissimae
Addictissimus servus,
Dionisius Massarius."

(**126**) Hic Episcopus, Hugo De Burgo, seu Hugo Mac-Seoninus (nam Mac-Seonini, familiae *de Burgo* ramusculus sunt), paulo post in Anglia diem obiit, vir actuosus, saltem Ibernicae, Anglicae, Italicae, Hispanicae, et Latinae linguae callens, et in Episcopum Duacensem | modo et tempore superius memorato ex Ordine Franciscano ita assumptus ut, postridie quam Kilkenniam ex Hispania appulerat, pacem iniquissimam cum Ormonio conclusam et eodem die 17 Januariii 1649 promulgatam acto publico approbarit, et hac epistola apologetica 1653 scripta se merum Ormonistam, atque Archiepiscopi Tuamensis non solum carne, sed etiam ingenio et studiis fratrem fuisse demonstrarit. 2381 v

(**127**) Vidimus ad annum 1650 sacerdotes Ibernos, praesertim Momonienses, tunc Parisiis decreto publico Jansenismum repudiasse, et Jansenistas ibidem in ipsos propterea insurrexisse, sed Ibernos triumphasse, universitate Parisiensi eos generosissime protegente, et statuente ut Ibernorum causa Universitatis sumptibus et a Doctoribus a se delegatis et delegandis ubivis defenderetur. Itaque ambarum partium non nullis Praelatis et Doctoribus Romam missis, et controversiis in Urbe magno animorum calore et contentione agitatis, demum

Innocentius X^us^ Jansenismum ipsissimis Ibernorum propositionibus hoc anno 1653 damnavit decreto, quod hic habes:

" Innocentius Episcopus, servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem.

(**128**) " Cum occasione impressionis libri, cui titulus *Augus-*
2382 *tinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis,* | inter alias ejus opiniones orta fuerit, praesertim in Galliis controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerint, ut easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam et perspicuam ferremus sententiam. Tenor vero etc.:

(**129**) " 1^a^. Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia. Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

(**130**) " 2^a^. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

(**131**) " 3^a^. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate sed sufficit libertas a coactione.

(**132**) " 4^a^. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

(**133**) " 5^a^. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

(**134**) " Nos, quibus inter multiplices curas, quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, et tanquam navis in tranquillo mari,
2382 sedatis omnium | tempestatum fluctibus ac procellis, secure
v navigare, et ad optatum salutis portum pervenire possit, pro rei gravitate coram aliquibus S.R. E. Cardinalibus ad id specialiter saepius congregatis, a pluribus in sacra Theologia Magistris easdem quinque propositiones (ut supra) Nobis oblatas fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque Magistros variis coram Nobis actis congregationibus prolixeque super eisdem ac super earum qualibet disserentes audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad

Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim tum publice, indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius ac per Nos sollicite implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem ac definitionem:

(135) "Primam praedictarum propositionum: *aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia. Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et haereticam declaramus et uti talem damnamus. |

(136) " 2^am^: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*: haereticam declaramus et uti talem damnamus. 2383

(137) " 3^am^: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*: Haereticam declaramus et uti talem damnamus.

(138) " 4^am^: *Sempelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*: Falsam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

(139) " 5^am^: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*: Falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinae pietati derogantem et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

(140) " Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus ne de dictis propositionibus . . . sentire, docere, praedicare aliter praesumant quam in hac praesenti nostra declaratione et definitione continetur, sub censuris et paenis contra haereticos et eorum fautores in jure expressis. Praecipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, | Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non haereticae pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et paenas praedictas caeteraque juris et facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii * saecularis, omnino coerceant et compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super praedictis quinque propositionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto libro 2383 v

Cornelii Jansenii. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1653 pridie Kalend. Junii, Pontificatus nostri anno 9°.

Hi. Datarius.

G. Gualterius.
P. Ciampinus."

(**141**) Ad annum 1648 retulimus quam detestabilem in modum duo ex discalceatis Iberniae Carmelitis, P. Gregorius a S. Elia ex Lawlesiorum familia et P. Stephano a S. Ubaldo ex Brounorum tribu, in Nuncium atque ejus censuras rebellarint, et Ormonistis atque haereticis in Ecclesiam adhaeserint. Quibus deinde in Italia captis, hic ad sex mensium carcerem, ille ad solitudinem et secessum damnatus est, instituta prius coram suo Generale hac confessione :

2384 (**142**) " Ego Fr. Gregorius a S. Elia, Carmelita | discalceatus Ibernus, attestor quod cum scivissem me fuisse ab Illustrissimo Domino Rinuccino, Nuncio Apostolico in Regno Iberniae, excommunicatum et publice denunciatum propter causas notas humiliter petii absolutionem et obtinui. Quod ita jurejurando affirmo in praesentia infrascriptorum testium. Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae de Scala, 2° Martii 1653."

(**143**) Hanc protestationem ab eo factam fuisse Reverendissimus P. Generalis et alii ut testes subscribentes fidem fecerunt. Socius autem, acta paenitentia sed sera et simulata, ex carcere dimissus ex Italia Antuerpiam, Belgii urbem, se recepit ; ubi a suis exceptus, perpetuo contra Nuncium jam dictum, ejusque censuras obganniebat, omnibus adventantibus affirmans easdem fuisse Romae reprobatas. Pervenit post biennium ad Carmelitarum Antuerpiensium Prioris manus Breve Apostolicum Alexandri VII circa easdem censuras absolutione tollendas latum, quo nec non annexa admonitione (quae acta inferius suo loco videbimus) consternatus Prior dictum Carmelitam accessit, et ad R. admodum P. Visitatorem, tunc forte in Conventu commorantem, qui (credo) ad Car-

2384 melitas Ibernos visitandos in Iberniam ex Belgio | anno 1648
v missus in hos duos nebulones sententiam epistola ad Nuncium a se aliisque Carmelitis Limerico 20° Novembris 1648 scripta et superius posita significatam tulerat, eum duxit. Coram ambobus agitatus Carmelita Ibernus, extracto e sua manica absolutionis antea obtentae instrumento, carcerem quidem et alias paenas evasit, sed acerrimam subivit reprehensionem.

Timebant enim Praelati ne omnes, quas a biennio in illo Conventu exceperat, confessiones sacramentales fuerint invalidae, quod paenitentia forsan fuerit simulata et absolutio fortassis data ad *reincidentiam*. Tandem ut tolleretur malum, malus e Conventu ablegatus fuit.

(**144**) Ad hunc annum Richardus O Conaldus, Episcopus Ardfeartensis et Achadeonsis, decessit. Is calamitosis Reginae Elizabethae diebus ad Ballicarbriam, Valentiae Portui in Desmonia proximam, parentibus more majorum Catholicis, et Mac-Cartii Magni, Desmoniae Principis, clientibus haereditariis natus, in ipsa Ibernia, licet tunc dierum turbulentissima, strenuam bonis litteris operam dedit. Exinde pietati et honestis disciplinis se totum addicturus in Hispaniam navigavit, ubi Rhethoricae, Philosophiae, et S. Theologiae perutiliter studuit licet adversa subinde valetudine. In Gallia quoque aliquandiu haesit, et | Romam profectus est, ubi *vota sua Domino* 2385
reddidit in conspectu omnis populi ejus in atriis Domus Domini. Psal. 115.

(**145**) Notum est quam mortalem haeresis Anglicana plagam Iberniae vel invitae intulit. Ea enim factum ut disciplinae ecclesiasticae severitate relaxata, haud pauci e Clero Catholico etiam fidei Orthodoxae tenacissimi, alii quidem nefarias copulas matrimonii titulo coloratas contraxerint, alii concubinas multiplicarint, perinde ac si ad ipsos pertineret illud sacrae paginae : *Crescite et multiplicamini et replete terram.* Haec Gen. 9.
prava ecclesiasticorum intemperantius vivendi licentia diaecesim quoque Ardfeartensem et Achadeonsem depravavit, licet Romae antea tam bene audierit, ut cum in Urbe quaestio esset in qua Iberniae parte censurae Pontificiae in Henricum Octavum, recens Deo atque ecclesiae refragantem, promulgarentur, Sedes Apostolica duas diaeceses, nempe Tuamensem in Conacia et Ardfeartensem in Momonia, in quibus majorem spem poneret, ad eam functionem exercendam delegerit, sicut ex ipso censurae diplomate, quod 16 Kal. Jan. anno 1538 a Paulo III conditum in Bullario Romano continetur, liquet.

(**146**) Huic insolitae spurcitiae in diaecesi Ardfeartensi | januam aperuerat Jacobus Piers, Episcopus Ardfeartensis et 2385
Achadeonsis, Anglo-Ibernus, ad cujus usque tempora ita v
diaecesis illa antiquae a sanctis decessoribus traditae disciplinae ecclesiasticae tenax extiterat, ut Episcopus, cui ille in ea dignitate immediate successit, fuerit vir bonus et pius, licet paupere et humili loco natus, qui etiam diaecesis Ardfeartensis cum Achadeonsi unionem primus procurasse dicitur. Jacobus

autem frontem perfricuit, pudorique nuncium remisit, ducta palam tanquam in uxorem alterius Episcopi vicini similiter in castitatem Apostatae filia spuria, ut ejus infami exemplo in illa diaecesi haud pauci ecclesiastici in maximum saecularium scandalum et animarum jacturam publice concubinis velut uxoribus utentes, *genuerint filios et filias* eo detestabilius quod Proceres aliique diaecesani essent ter Catholici, et causae Catholicae in Angliae haereticos acerrimi vindices.

(**147**) Jacobo non in vitiis sed in ea dignitate successit praefatus Richardus O Conaldus, qui in Iberniam regressus multis annis ita Vicarium Apostolicum egit, ut opere et sermone potens, corruptelas sub Jacobo introductas extirparit, et primaevam
2386 morum probitatem Clero populoque | restituerit, post multos deinde annos jam sexagenario major ex Vicario Apostolico in ejusdem diaecesis Episcopum anno 1643 ab Urbano VIII salutatus, Praelatus judicii perspicacia, gravitate, modestia, temperantia, et omnibus bonis moribus Episcopum Christianum et Catholicum decentibus ornatus, et praesertim adeo castus ut a mulierum consortio abhorreret, ipsisque esset sancte insociabilis et quodam modo hostilis, exceptis charitatis spiritualis exercendae occasionibus modo plane irreprehensibili.

(**148**) Aliquot annos ante ortum hoc bellum aedes sibi in Mucrusia, sylva satis vasta ad *Mangurtii*, montis insanae altitudinis, radicem et *Lacum Lennium* aedificandas curavit, in quas etiam post exortum bellum subinde se recipiebat ut totus Deo in solitudine vacaret. Nec tamen ibi ita latere poterat, quin sacerdotes, Religiosi, nobiles, aliique e populo bona ejus fama et opinione allecti, ad eum velut ad oraculum per invia illa identidem penetrarent, ut ejus sequerentur consilium in dubiis, et in afflictione assequerentur consolationem. Quos illo in illo eremitorio episcopali excipiebat hospitio, paterne monebat officii quemque sui, et afflictos supra modum con-
2386 solabatur. Cumque id genus hominibus | aliquando non ac-
v cedentibus eremi taedio et hospitalitatis desiderio afficeretur, mittebat, qui ex vicino strictioris observantiae Franciscanorum Monasterio ad *Lacum Lennium* et ad praefatae sylvae fauces sito Religiosos acciret, inter quos quendam, antea sub se sacerdotem saecularem, sed quem carnis fragilitate lapsum et propterea jam aetate provecta beneficio ab ipso spoliatum atque ad vitam religiosam impulsum fuisse ferebant, speciali prosequebatur benevolentia ut ejus famam (sic non nulli interpretabantur) sartam tectam servaret, et in filium prodigum

semper paternae exerceret viscera charitatis. Quare multi dicebant eum ab Episcopo haud tantopere diligendum et honorandum si ob carnis lapsum beneficio multatus et ad paenitentiam illam damnatus fuisset.

(**149**) Nundinarum et aliorum consessuum ac celebritatum publicarum tempore diaecesis suae municipia, emporia, et burgos, ac praesertim Killarniam, Castellum-Mangium, Tralliam, et Ardfeartiam frequentabat, non ut rerum novarum cupidini, aut aliis suarum passionum motibus indulgeret, sed ut confusiones aliter secuturas verbo, exemplo, et praesentia Clero populoque veneranda praepediret, et suis diaecesanis siquid vellent, | sui copiam faceret, seque facilem praeberet. 2387
In quibus celebritatibus dum alii epulis et ebrietatibus, alii aliis rebus vel noxiis vel saltem saecularibus se mancipabant, ille in aliquo viridario vel abstrusiore horto cum iis qui ipsum per vices convenissent, conferebat, et de iis, quae sui muneris Episcopalis essent, agebat, toto plerumque die pro more jejunus, etiam extra illa anni tempora, quibus Ecclesia jejunandum praecipit. Cumque ad serotinam corporis refectionem cum nobilibus vel aliis honestis viris accederet, aegre ferebant hospites meritorii, quod adesset gnari futurum ut non modo ipse vaenalibus eorum esculentis et poculentis parum vesceretur, sed etiam alii prae ejus reverentia sobrietatem exercerent. Quo saepe fiebat ut hospites illi proprio lucro studentes in ejusmodi occasionibus non nisi vix diversantem admitterent.

(**150**) Catholicis ad primos hujus belli annos triumphantibus, et haereticis illa diaecesi expulsis, sui Episcopatus satis indigi proventus aliquandiu possedit, et fructus decerpsit. Verum Insequinnii viribus anno 1648 ibi praevalentibus, non modo suis illis bonis exclusus est, sed etiam haeretici praefatam ejus domum diripuerunt, ignique incenderunt. Inter quas Anglorum incursiones Joannis Morlaei, si non Angli, certe Anglis in Ibernia prognati et Anglice educati, fidelitas praeclare | reluxit. Siquidem is paulo ante caeptum hoc bellum a Richardo 2387
ab haeresi ad fidem Catholicam conversus, deinde piissimam v
vitam duxit, et sua uxore haeretica mortua, Ibernicam adeoque Catholicam sibi matrimonio copulavit, licet illa nullo modo Anglice, illeque Ibernice parum intelligeret. Porro quandam terrae ad Episcopum in Mucrusia, sylva, titulo hypothecario pertinentis portionem conduxit, ibique domi suae sub ejus alis etiam orto bello pie et Catholice vixit. Qui ad Anglorum jam dictorum incursionem, Episcopo, qui successerat, jubente,

tenuem Antistitis supellectilem in quandam parvam vicini *Lacus Lennii* Insulam transportavit, et ab Anglis quamdiu potuit defensavit, a quibus nec prece nec pretio, nec minis nec muneribus ad fidem fallendam adduci valuit. Cumque ipsi objecissent eum a natura degenerasse, atque omnem exuisse humanitatem, quod a suis Anglis hominis Iberni et nedum Papistae sed etiam Papistarum coryphaei bona tueretur : sum (inquit) Anglus, sed a vobis discrepans religione Catholica, cujus causam propugno. Itaque primum inter Insulae defensionem brachium glande plumbea ab Anglis confossus, deindeque occisus est, supellectile direpta.

(**151**) Hic Episcopus Nuncii partibus constantissime adhaesit. | 2388 Verum cum post Congregationem Ecclesiasticam Waterfordiae anno 1646 celebratam nullis Cleri Ibernici actis publicis manum ejus appositam videam, eum ad publicos deinde Regni consessus, etiam mere ecclesiasticos, haud accessisse conjecto, senio forsan et podagra detentum, et nihil sibi spondentem nisi causae Catholicae ruinam ex Comitiis Generalibus in annum 1647 ineuntem imprudentissime indictis, atque ex aliis postea celebratis. Licet autem Nuncio atque ejus partibus tam studeret, quam qui maxime, ejus tamen censuras ob armorum cessationem cum Insequinnio initam anno 1648 fulminatas in sua diaecesi non promulgavit, quod jam Insequinnii vires illius Comitatus Kierriensis Castella Concilii Supremi parte Ormonica connivente occupassent, nullusque esset praesto in Momonia exercitus Catholicus nisi sub Taaffi, Ormonistae imperio, qui cum haereticis et delectis ad pseudo-Concilii votum legionibus Catholicis inducias in ea diaecesi promovebat. Quare Episcopus turbis incassum concitandis, ex quibus inter dictas circumstantias majorem diaecesanorum ruinam nullo causae Catholicae bono secuturam judicaverat, abstinendum duxit. Ad Synodum autem cum aliis Regni Praelatis eodem anno Galviae cele- 2388 brandam a Nuncio citatus quid | responderit, et quanto zelo v se gesserit, docent ejus literae 8° Augusti 1648 ad Nuncium scriptae, et suo superius loco collocatae.

(**152**) Paulo ante scriptam illam epistolam redierat in Iberniam ex Gallia Muscrius, pseudo-Concilio ante alios obtemperans, qui cum Rossae in praefato *Lacu Lennio* sitae tunc domicilium haberet, maximaque apud viciniam late patentem authoritate polleret, eo magis Episcopus censuras illas incassum promulgandas non duxit, Muscrio quidem, cujus utique regiae familiae Principi Antistitis majores et agnati essent antiquissimi

clientes, mutuae benevolentiae vinculo conjunctissimus, sed ab eo circa intestinas Catholicorum Iberniae disceptationes et discordias animo atque opinione distantissimus. Quare sicut Muscrius nullum non movebat lapidem ut Episcopi voluntatem flecteret, ita Episcopus omnes animi atque industriae nervos contendebat ut Muscrium a factione Ormonica sejungeret, et Nuncii partibus eum coagmentaret. Sed alter in altero ita operam luserunt, ut tamen inter se dilexerint. Quadam autem dierum, dum pro more inter se circa controversiarum illarum fundamenta disceptarent, Episcopus Muscrio objecit quod in impediendo fidei atque Ecclesiae Ibernicae progressu | a 2389
majorum nunc totius Iberniae Monarcharum, nunc Leah-Moiae, nunc ambarum Momoniarum, nunc Momoniae Australis Regum, nunc Muscriae Principum virtute degenerasset. Quo ille audito excandescens : " Ergo (inquit) fidei atque Ecclesiae causam a me prodi censes, cum tamen id maxime studeam ut fidei atque Ecclesiae causa prudenter tractetur potius quam supra vires attentando penitus evertatur." At Episcopus : " Haud (inquit) affirmo quin fidei atque Ecclesiae causam a te prudentius tractari arbitreris, sed te saltem bona fide deviare existimo." Qua ejus responsione mitigatus Muscrius iram quidem posuit sed sententiam non mutavit.

(**153**) Jacobum Piers, scholae Aquitanicae moderatorem, literis 10° Februarii 1649 Burdegala ad Nuncium scriptis de hoc Episcopo conquerentem vidimus, quod suum ex sorore nepotem, Joannem de Burgo (nam hominem probe novi), sacerdotem saecularem, in beneficii ibi nominati possessionem non miserit; imo Bullam Pontificiam, nedum ipsius Nuncii diploma et literas eodem spectantes, flocci fecerit. Verum Jacobus non nullam litis partem judicem celavit, nempe se alterius Jacobi Piers, praefati Apostatae, Episcopi Ardfeartensis et spuriae ejus concubinae | fuisse ex filio pariter spurio, *Mauritio filio* 2389
Episcopi (sic enim vulgo vocabatur) nepotem, praefatumque v
Joannem ex parte materna eandem maculam contraxisse ; parumque dubito quin Nuncius Episcopi rationes etiam alias, ratas gratasque habuerit, cum Jacobi literas quaerulas receperit, et nullum adhibuerit remedium, nec ad illam literarum a Jacobo scriptarum partem responderit, ne forte eum gravi atque inutili obrueret confusione. Quibus addo factam fuisse Nuncio a Sua Sanctitate potestatem etiam iis, qui in Curia Romana beneficia obtinuissent, praeferendi juxta limitationem ejus facultatibus insertam, quos vellet. Quare fidem habet

eum Episcopi rationibus aurem praebuisse, ipseque Jacobus Nuncii literis, quas Senonis 4° Junii 1649 scriptas suo loco produximus, acceptis, 11° Julii eodem anno ita respondit ut articulum illum silentio a Nuncio praeteritum amplius non presserit, sed prudenter et ipse siluerit.

(**154**) Rossa anno 1652 a Muscrio Parlamentariis dedita, proindeque illis sicariis exinde in diaecesi Ardfeartensi rerum potitis, alii quidem multi ex utroque Clero saeculari et Regulari persecutionem declinantes in nationes exteras se receperunt, sed Ardfeartensis suum gregem non deseruit. Quare a
2390 crudelissimo Rossae et | Comitatus Kierriensis Gubernatore haeretico, Nelsono, captus, residuis bonis spoliatus, pauculis etiam bobus, quorum lacticiniis victitabat, excussus, et in custodiam datus est, sed ob aetatem fere decrepitam et podagram, qua decruciabatur, nec non ob summam, ad quam redactus erat, rerum inopiam, demum permiserunt haeretici, ut vadimonio obstrictus Killarniae in sua diaecesi apud quendam suum contribulem discumberet, ejusque domum haberet in custodiam. In qua inter truculentissimam Iberniae persecutionem post stupendos praefati morbi multorum annorum cruciatus animam piissime Creatori reddidit, si non octogenarius, certe octogenario proximus. Quem Catholici in praefati Franciscanorum Monasterii ad lacum Lennium positi tametsi antea ab haereticis combusti ruderibus et caemiterio sepelierunt.

(**155**) Praeter alios hujus Episcopi fratres, nepotes, agnatos et consanguineos, quos silentio praetereo, germanum habuit Muruchum, Ibernicae, Anglicae, et Latinae linguae peritum, qui multos annos matrimonio copulatus liberos pari eruditione imbutos procreavit, demum circiter octogenarius circa hunc annum vel paulo prius ab haereticis, dum pro more ipsi valde familiari flexis genibus in loco solitario sub dio Deum oraret, glande plumbea transfossus martyrii coronam reportavit, domo et substantia ab haereticis direpta. |

2390 (**156**) Alter Episcopi frater, Cornelius, bonis ab haereticis
v spoliatus circa hunc ipsum annum pie expiravit literarum ita rudis ut eum hujus inscitiae sua culpa in infantia et adolescentia contractae virum factum valde paenituerit, atque adeo liberos, plusquam suos viri in vicinia nobilissimi et longe opulentiores, ab infantia omnes literariis lucubrationibus applicandos curarit, in egenos humanus, in alios hospitalis, in se subinde rigidus et austerus et adeo precibus ac tundendo prae paenitentia pectori assuetus, ut identidem noctu somnum

interrumpens immolare soleret Deo sacrificium laudis et redderet Altissimo vota sua. Ad quod etiam sanctum exercitium media nocte, nedum alias, frequentandum, nec non ad alia pietatis et paenitentiae opera crebro exercenda, filios et filias exhortabatur, eosque ipse ea mente noctu expergefaciebat. |

(**157**) Eidem Episcopo praeter alias fuere sorores binae 2391
matrimonio copulatae, Murrena et Eliza cum multis aliis nominibus tum modestia, gravitate, et singulari in Deum pietate commendabiles, praesertim secunda adeo ab ipso patre Luminum mores sanctissimos et pietatis exercitationes intus edocta, ut non aliud quam aeternum sponsum curare videretur ; quae ad annum 1651 vitam semper sanctam sancte finivit. Nec silentio praetereundus est ejusdem Praelati ex Conaldo fratre nepos, Mauritius, ad quem hoc circiter anno cum vir nobilissimus O Donochuus *Magnus* in Anglos bellans quadam nocte divertisset, non defuerunt exploratores, qui citissimo cursu rem ad Anglos detulerant. Hi autem nequissimum illum viae ducem secuti, Mauritii ipsis tributarii, proindeque alias damnum non passuri domum obsederunt. Quos ut ille appulisse senserat, pauciores esse ratus stricto gladio | exiliit. Verum in hos- 2391
pitalitatis et fidelitatis, fideique Catholicae, cujus causa bellum v
illud gerebatur, ipseque aliquot annis bellaverat, odium, balistarum explosionibus terebratus nobilissimo martryii genere vitam finivit, domo et bonis mox expilatis, et uxore nobilissima, praeclarissimi dynastae, O Sullevani *magni* ex Dermitio filio et Daniele nepote, pronepte, quam nupero matrimonio sibi copulaverat, ad viduitatem et summam temporibus et locis difficillimis paupertatem uno momento ex improviso redacta, et O Donochuo, hospite, capto atque in custodiam dato.

(**158**) Ratio etiam postulat ut R. P. Francisci O Sullevani, Franciscani, memoriam hic ab oblivionis injuria vindicem. Is illo O Sullevanorum ramo, quos a quodam Philippo O Sullevano, viro olim celebri, ex quo descenderunt, *Philippi posteros* vocitant, ortus, patre natus est Moriarto O Sullevano nedum nobili sed etiam cui in Baronia Ivrahachensi, in qua ramo illi possessiones obtigerant, patrimonium esset. Quod Dermitii frater, Philippus, *posterorum Philippi* coryphaeus, post patrem possedit. Dermitius autem se totum Deo consecravit, in Hispaniam profectus, ubi Franciscanus et in Religione Franciscus vocatus per multos annos ita in humanis ac Divinis literis | progressum fecit, ut majorem interea *oris sui aperiendi* 2392
et attrahendi spiritus Domini curam habuerit. In Iberniam circa

annum 1630 regressus, in concionibus ad populum habendis, in confessionibus audiendis, et aliis functionibus missionariis exercendis totus fuit, vir gravis, modestus, pius, et ex cujus ipso vultu verum S. Francisci filium esse colligeres. Quare in eo Regno turbis, de quibus ad annum 1648 exindeque locuti sumus, inter Observantinos concitatis, et P. Thomae Makiernani Provincialatu finito, Franciscus anno 1650 in Provincialem cooptatus est, velut ad Sedis Apostolicae obsequium promovendum, ad causam Catholicam sustinendam, ad fratrum controversias suaviter et fortiter componendas, et ad Regularem observantiam fovendam in illa novercante tempestate ante alios omnes idoneus. Quas partes suas quo ille pacto agere caeperit, et qua ad prosequendum mente fuerit, ejus literae recens post sui electionem ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam datae, et superius positae, satis superque demonstrant. Demum in haereticorum manus incidit, a quibus martyrio, cujus circumstantias nondum didici, affectus in Patriam caelestem antea diu suam transvolavit. Ejus martyrium in hujus anni initium incidisse conjecto. Nam de ipso tanquam
2392 superstite ad annum superiorem | exeuntem video fieri men-
v tionem, et ejus martyrium Romae saltem ante mensem Junium hoc anno innotuisse.

(**159**) Hoc etiam anno P. Joannes Datonus, Observantinus, Fr. Joannes Verdunus, Capucinus Laicus, et duae ex Tertio S. Francisci Ordine moniales non solum spiritu et vita, sed etiam carne et sanguine sorores, praeclarissimum uno eodemque tempore et loco de hoste infernali ejusque haeresi triumphum reportarunt. Siquidem Kilkennia anno 1650 ab haereticis capta, totus illius urbis Clerus abiit in dispersionem, excepto praefato P. Datono, viro sancto, in ipsa vicinia Kilkenniensi nato, cum duobus Capucinis, nempe P. Fiacrio Tobino et Fr. Joanne Laico jam dicto. Quorum Fiacrius opem Kilkenniensibus peste et persecutione afflictis qualiter tulerit jam retulimus, sicut et ejus incarcerationem, exilium in Galliam, in Iberniam deinde reditum, aliaque.

(**160**) Datonus ergo post Fiacrii discessum solus Kilkenniensibus sacramenta ministrabat, et Fr. Joannes, homo pariter sanctus, saecularem ementiens, in domuncula illi hospitio, in quo Capucini Kilkenniae ante captam urbem cohabitabant, annexa, semper etiam post Fiacrii discessum commoratus est et pestiferis inserviit. Verum Fiacrio (sicut diximus) in carcerem conjecto, in paralysim et lienteriam incidit, eodemque

Fiacrio | hoc anno in exilium misso, nec, postquam in Iberniam 2393
remeasset, Kilkenniam ubi notus esset, regresso, bonus senex, Fr. Joannes, morbis, aetateque gravi obrutus et auxilio nisi Divino destitutus fuit, excepto quod non nulli Catholicorum, quae ad vitam sustentandam necessaria essent, suppeditarent.

(**161**) Ab urbe Kilkenniensi capta Datonus, Fr. Joannes, et duae Tertiariae, quae alibi in civitate de suo vivebant, Kilkenniae triennium et quod excurrit transegerunt, a nullo exploratore detecti licet multi solerti indagine Clerum ubique venarentur. Hoc autem anno die Augusti secunda extraordinariis illis indulgentiis, S. Francisco intercedente, concessis sacra, haud ita cum aliis piis personis suae apud Kilkenniam devotioni satisfecerunt, quin exploratoribus et per exploratores magistratui haeretico innotuerint. Quare ex una parte P. Datonus et duae Moniales in carcerem conjecti sunt, et ex altera inter eandem noctem haeretici in praefatam domunculam, adeoque in Capucinorum olim stragula, utensilia, parvam supellectilem, et alia ad eorum hospitium antea pertinentia, quae Fr. Joannes hactenus asservabat, involant, ac Capucinum senio pene decrepitum, lienteria nullas fere inducias concedente exhaustum, longaeva austeritatis macie confectum, et paralysi adeo tremulum, ut inter exprimenda sensa | balbutiret, obtorto 2393
collo per vicos raptunt, confestimque haeretico urbis Gubernatori v
judicandum sistunt.

(**162**) Eadem mox nocte examinatur Fr. Joannes, qui ingenue fidem Catholicam et Capucini conditionem profitetur. Examine autem rigide et truculenter peracto, ex Gubernatoris domo secunda circiter ante mediam noctem hora ad ergastularium trahitur ; apud quem nocte reliqua detentus est super frigida tabuleta sine igne, candela, cibo, potu, et lecto praeter nudam contignationem. Imo quanquam solita fluxione vehementer laboraret, idque carceris praefecto significarit, nullam tamen obtinere potuit matulam, nec sellam familiarem, longeque minus ipsi ad foricam et communem cloacam aditus patebat. Quare ipsa prima captivitatis nocte optimum martyrii praeludium gustavit, sed afflictionem patientia, cujus semper esset dives, mitigavit, toto corde exultabundus, quod pro fidei Catholicae confessione et nomine Jesu dignus haberetur qui eas angustias pateretur. Sperans ergo futurum ut postera die ultimum pro Christo supplicium toleraret, per humiliationes, ferventissimas preces, et demum totius vitae confessionem sacramentalem dicto P. Datono tum concaptivo suo factam, se ad gloriosissimam

illam vitae periodum tota fere reliqua noctis parte insomnis praeparavit, ipseque P. Datonus et duae Moniales eandem noctem devotissime transegerunt, ut se ad crastinum martyrium accingerent. |

2394 (**163**) 3°. Augusti una quatuor ex carcere educuntur, et in repagulo forensi judicandi exhibentur, unaque quatuor post publicam fidei Catholicae atque Ordinis Seraphici professionem, nec non immobilem in eadem confessione constantiam, capite damnantur semineces demittendi ex patibulo, quatenus mox evirandi et eviscerandi extis et genitalibus in ignem projectis, suspendio, exartuatione, et crematione simul expirarent, quod spreto sanguinario edicto de Cleri ex Ibernia proscriptione ad ineuntem ejusdem anni Januarium Dubliniae lato non exulassent. Qua mortis sententia auribus hausta, quaesitoribus atque aliis, quotquot ullo modo sacrilegas ipsorum sanguine manus conscelerassent, non solum offensam remiserunt, sed gratias etiam habuerunt egeruntque immortales, et una deinde quaterni Deum Opt. Max. laudare caeperunt. Quibus paulo post sententiam latam indicatum est fore ut P. Datonus quidem perendino, sed Fr. Joannes cum duabus monialibus duodecimo abinde die cruci suffigeretur.

(**164**) E foro Judiciario parta victoria triumphantes in ergastularii domum reducuntur, ubi eam noctem separati inter Divinae laudis cantica et devotissimam mortis praeparationem
2394 transigunt, | sed F. Joanni, secus ac nocte pridiana, lectus ad
v cubandum et lasanum exonerandae alvi resolutioni accommodatum conceditur ; et ibidem vinculis ferreis praeter senectutis et morborum compedes oneratur. Cui binae moniales jam dictae ex charitate vespernam et posterum prandium transmiserunt.

(**165**) Postridie ejus diei, qua mortis sententia lata, in abjectissimum totius urbis carcerem translatus est Fr. Joannes, vinculis ibidem exutus, quae P. Datonus in honestiorem carcerem, quod haberet aliquid unde solveret, contrusus induit, 5° Augusti post sanctissimam jejunii, humiliationum continuarum, et ardentissimarum apud Deum supplicationum praeparationem actus in crucem et gloriosissimo martyrii bravio donatus. In cujus laudem haud mediocriter vergit quod, inter controversias super induciis anno 1648 cum Insequinnio contractis et censuris propterea fulminatis ortas, a Nuncii partibus steterit eo constantius quod tunc sui Ordinis Conventus Kilkenniensis Vicarium egerit, et P. Paulo King, illius Familiae Guardiano, in custodiam dato, eandem ille tunc rexerit. Nec

parum ad Nuncii fautorumque causam apud posteros sustinendam conducit quod homo vita sanctus, et morte tam gloriosus martyr eam constantissime | propugnarit, sicut liquet 2395
ex communi epistola ab ipso aliisque urbis Kilkenniensis Praelatis Regularibus 5° Novembris 1648 indidem ad Nuncium exarata, et suo loco posita.

(**166**) Ad Fr. Joannem Capucinum quod attinet, post dies quinos in hoc ultimo carcere continue ad bene moriendum praeparationi sanctissime dedicatos, recepit a quaesitoribus rerum capitalium suopte nutu motis futurum ut capitis sententia incarcerationis languore mitigaretur, donec exulandi commoditatem nancisceretur ; quam ille nullo modo quaeritabat. Quippe jam alterum habens in sepulcro pedem, exilio tam longinquo ac laborioso carcerem commutare haud operae pretium existimabat. Quod moniales concernit, id demum amicis sollicitantibus effectum est ut in Hispaniam exulandi facultatem impetrarint. Haec ergo sententiae mitigatio Fr. Joanni, Capucino, ipsa morte longe rigidior apparebat. Verum sicut hanc nullatenus procuravit, ita nec respuit, sed semper se totum quasi pilam exanimem, Divinae providentiae atque huic praeter mentem famulantibus haereticis jactandum reliquit, supernae misericordiae pene certus quod ea Calvinistarum atque aliorum sectariorum malitiae in suum ipsius bonum et animae salutem praesideret. |

(**167**) Contigit autem in illo abjectissimo ergastulo solas non 2395
moniales sed saeculares mulieres habuerit concaptivas, excepto v
uno tantum viro, qui ubi cum uxore in ea custodia spatio trimestri squaluisset, a carissima demum conjuge crudelissime divulsus, in eas Americae plagas recenti memoria ab haeretica Anglorum colluvione inhabitatas, cum aliis plurimis patriotis in fidei odium est transportatus, uxore caelum ejulatibus fatigante, et instar summi favoris rogitante, ut ipsa ad eandem potius servitutem damnaretur quam a dilectissimo consorte thori disterminaretur. Sed Angliae haeretici, quos eo caecitatis mersit cumulus peccatorum et paenalis animarum caligo, ut hodie contempta omni aequitate in solam moderaminis amussim agnoscant per fas et nefas proprium emolumentum, uxore, quia minus ad serviendum in novis coloniis idonea, in carcere apud Iberniam relicta, sponsum in Americam amandarunt. Quod immane spectaculum Joanni tunc praesenti plus creavit horroris quam squalor carceris, stridor vinculorum, et lata in se mortis sententia.

(**168**) Complures erant, singulae admodum graves, in eo spurcissimo gurgustio atque infami hypogaeo emeriti militis Christi infirmitates et incommoda. Laborabat paralysi, solita
2396 diarthaea, mucosi faetidique | aeris situ et paedore, et morborum omnium atque incommodorum maxime incurabili, senectute. Nec erat fere qui consolaretur praeter solum Deum; aliis quidem Capucinis inter missionarias functiones apud varia Regni territoria sparsim et clam sudantibus non deerat optima voluntas sed subveniendi potestas, praeter accedendi periculum in praesentia et ante oculos positum tam in via, quam in ipsa urbe Kilkenniensi ob sordidissimos exploratorum greges Clerum tota Insula venantes et venundantes, nec non ob magistratuum haereticorum crudelitatem, qui singula sacerdotum et Religiosorum capita quinquaginta libris Gallicanis licitabantur. Accedit eosdem Cleri indagatores magna ex parte fuisse infames religionis Catholicae spurios, quos utique fidem Orthodoxam eatenus professos Capucini, ob diuturnas excursiones missionarias anteriores toto Regno singulariter cogniti citra miraculum haud latuissent, si Kilkenniam tunc accessissent. Bonus tamen P. Fiacrius eodem anno ex custodia Kilkenniensi (sicut vidimus) in Galliam proscriptus, et mox alia via in Iberniam reversus, cum ipse Kilkenniam, ubi ipsis haereticis notus esset, pergere non auderet, ad Joannem ex suis latebris in alio remotiori Regni tractu delectis tenuem collectam semel transportandam curavit. Ex quibus circumstantiis constat quan-
2396 topere | vir Dei omni fere humano subsidio in eo miseriarum
v gurgite destitutus fuerit, quem ergastulo detentum ne sui quidem Capucini visitare aut adjuvare valerent.

(**169**) Ad mulieres illas saeculares in eodem ergastulo positas transeo, de quibus ipse mihi postea retulit speciali Dei in se beneficio successisse quod eas potius quam viros haberet concaptivas. Quotidie enim moribundo benevolum praestabant ministerium, ad quod et aptiores et prolixiores erant. Quare ex hac parte ipsi perutiles videbantur, sed de caetero saepius in die negotium facessebant. Misellae enim rixabantur inter se de qualibet lana capriña et a verbis ad verbera ac mutuas capillorum divulsiones transibant. Quarum petulantiam Joannes molestissime ferebat.

(**170**) Inter haec Capucino lectulus erat pauxillum straminis, ejusque nuditatem miseratus, quidam ex Catholicis stragulum commodavit. Pane autem, lacte et butyro plerumque victitabat. Ea quippe erat in omnibus Regni ergastulis incarceratorum

sacerdotum, Religiosorum, atque aliorum Catholicorum multitudo, tantaque reliquos Orthodoxos extra carcerem sed non extra servitutem positos invasit rerum inopia ob haereticorum rapinas et omnem tyrannidem, ut vix populi charitas in vincula conjectis ad vitam vel arctius | sustentandam 2397
sufficeret. Praeterea modica Capucini cibaria ad lectulum seposita miserae mulieres inedia pressae, dum dormiret, furtim esitabant, ut famem quoque et sitim in ea custodia tolerarit. Quibus non obstantibus adeo tolerantiae, rerum divinarum contemplationi, gratiarum actioni, caeterisque omnibus, quae in ejusmodi rerum statu ab optimo Christi palaestrita expectentur, virtutibus se totum ibi mancipabat, et superna jugiter consolatione perfusus eas aerumnarum centurias Christi gratia tam sponte devorabat ut (quod ex ipso didici) nunquam magis liquidam animi voluptatem et oblectationem participarit. In eo situ lento Kilkenniae barathro reliquos hujus anni 1653 et aliquot squaluit menses anni sequentis, ad quem alias ejus calamitates recensebimus.

(**171**) Hic etiam R.P. Thadaei Mac-Moriartii martyrium est perstringendum. Is nobilis atque antiquae Mac-Moriartiorum familiae ad Mangium fluvium in Comitatu Kierriensi propagatae coryphaeo, patre, natus cum altero fratrum in Hispaniam transmigravit ; ubi ambo, Ordinis Dominicani alumni, juventutem bonis literis et virtutibus genuinos S. Dominici filios redolentibus consecrarunt ; quorum Thadaeus (nam alterum adhuc in vivis esse reor) praeclarus philosophus et theologus evasit. Qui in Iberniam redux laborem in Catholicis ad paenitentiam et haereticis | ad fidem convertendis peru- 2397
tiliter collocavit, humilitatis, mansuetudinis, mititatis et pa- v
tientiae singulare adeo tota vita exemplar, ut eum pene nemo unquam iratum viderit.

(**172**) Demum hoc anno, ubi edictum 6° Januarii editum, quo haeretici Clerum sub mortis paena exulare jusserant, toto Regno promulgatum esset, haud propterea Christi gregem lupis devorandum deseruit, sed in suo Comitatu Kierriensi, ubi ultimum Conventus Tralliensis Priorem egerat, pedem fixit. Nec ibi ita delitescere potuit, quin ab haereticis captus fuerit. A quibus eum fustibus et colaphis caesum et vestibus exutum fuisse, nec propterea ullum impatientiae signum edidisse author est P. Daniel (vel ut in sua Religione vocatur) Dominicus de Rosario O Daly in sua *Geraldinorum Relatione*. Ex quo etiam libello colligo eum in custodiam datum diutino carceris squalore

atque inedia ita contabuisse, ut lentum martyrium ante pertulerit quam ultimo supplicio affectus esset.

(**173**) Post multas aerumnas ad judicium raptatus, et rogatus cur edicto jam dicto non obtemperarit, respondit se Deo potius et Praelatis in animarum salutem obedire maluisse. Ad omnia interrogationum capita in maximam non solum Catholicorum, sed etiam ipsorum haereticorum aedificationem
2398 libere, constanter | et veraciter respondit quod mortem Dei fideique causa perferendam non metueret sed anhelaret. Judicem uxor monuit ne se innocentis sanguine conscleraret. Cui respondit Judex alias fore ut in se ob spretam crudelissimae legis executionem animadverteretur. Itaque damnatus morte Thadaeus incessit ad patibulum longe laetior aliis die nuptiarum. Omnibus quorum malitia in suum tantum bonum Deus usus erat nedum ex animo injuriam condonavit, sed etiam quotquot eorum obvios habuit, velut amicorum primos summa charitatis demonstratione amplexatus est. In procinctu ad suspendium egregiam ad astantes de fide Catholica unica salutis aeternae via, de humanae vitae inconstantia, de martyrii fidei causa tolerandi faelicitate, de aliis Catholice Christianeque vivendi incentivis concionem habuit, omnibus etiam haereticis stupentibus quod vultus ille non modo libentissimis jejuniis, sed carceris paedore et squalore exesus ita tunc mutatus coruscaret et superna quadam luce radiaret, ut in eum quadrarent illa sacrae Paginae verba de Stephano Protomartyre in casu consimili : *Intueuntes eum omnes qui sedebant in Concilio,*
Act. 6. *viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Martyrium passus est Thadaeus 18° Octobris 1653, *et adhuc noctu dieque milites haeretici corpus ejus custodiunt, ne a sepulchro tollatur et hic*
2398 *error esset pejor* | *priore.* Sunt verba praefati P. Danielis 0
v Dalii in dicta sua Relatione anno 1655 typis mandato. Cujus negligentia taxanda videtur quod captivitatis, incarcerationis, et sententiae latae loca, Judicis nomen, aliasque martyrii circumstantias exactius non retulerit homo pariter Dominicanus in eodem Iberniae tractu natus notusque, et exulibus patriotis, a quibus forsan rem facile didicisset, in Lusitania, ubi opusculum illud edidit, Gallia, et Italia familiaris.

(**174**) Biennio circiter ante Thadaei martyrium Parlamentarii fratris ejus, Danielis Mac-Moriartii, matrimonio copulati Castellum obsiderunt ; quod etiam Daniele inter defensionem perempto expugnarunt. Ex quorum saevissimo grege Rossae et Comitatus Kierriensis sub Parlamentariis Gubernator,

Nelsonus, amborum sororium, Petrum Feriterum, suae nobilis familiae coryphaeum, cum praesidium, cui praeesset, non nisi vitam pactus dedidisset, aliquot dies post deditionem ad hunc annum Rossae in custodiam dedit. Ubi P. Mauritius O Conaldus, Jesuita, virum rusticanum ementiens et velut aliquod non suspectae charitatis officium praestiturus, eum invisit atque in carcere ejus confessionem sacramentalem excepit. Petrum deinde haeretici Anglicani morte damnatum ob res hoc bello fidei causa praeclare gestas, Killarniae in *colliculo ovium* laqueo | sustulerunt, virum tota Ibernia ob urbanitatem, hospitali- 2399
tatem, liberalitatem, animi magnitudinem, singularem linguae Anglicae atque Ibernicae facundiam, aliasque eximias nobilis ingenii et nobiliter exculti dotes valde nominatum, et poetam utraque lingua, praesertim Ibernica, insignem. Caeterum aliorum plurimorum ab haereticis hoc anno vita multatorum tragaedias referre nequeo, quod commentaria atque acta eo spectantia me deficiant.

(**175**) Ad exeuntem annum 1650 tetigi quo pacto Archiepiscopus Firmanus Firmo Romam ad P. Richardum O Ferallum, Capucinum Ibernum, literas tunc scripserit, cupiens ut Firmum accederet, quo se in contexenda rerum Ibernicarum historia adjuvaret. Ad cujus epistolam quid P. Richardus responderit, quidque deinde Firmanus significarit, haec altera Archiepiscopi epistola ad eum data te docebit.

" Admodum Reverende Pater.

(**176**) " Gaudenter audio ex recentioribus literis Paternitatis vestrae eam libenti animo Firmum venturam, quod ex prioribus conjicere non potui. Rogo nunc ne Roma prius discedat quam aliam a me recipiat epistolam, ut ferre secum possit scripturas, aliasque notitias, quae ad rem nostram necessariae mihi videbuntur. Valeat | interim precibusque suis me 2399
commendatum habeat. v

Paternitatis vestrae uti frater

Firmi, Addictissimus,
19 Januarii, Joannes Baptista,
1651. Archiepiscopus Firmanus."

(**177**) Postea vero ad eum 8 Maii 1651 ex Terra S. Elpidii scribens : " Transmitto (inquit) notulam librorum, qui mihi necessarii sunt ad auspicandum opus Ibernicae conjurationis, quos cum Paternitas vestra venerit, poterit deinde (si placet) vel eos transmittere vel huc personaliter accedere, prout

libuerit." Haec Firmanus. Notulam etiam illam, de qua hic loquitur, his assuo :

(178) " Libri qui tractent de antiquitate, ubertate, situ, et caeteris naturalibus conditionibus Iberniae.

(179) " Aliqua brevis historia de rebus et Regimine Iberniae usque ad initium ultimi belli.

(180) " Brevis recapitulatio rerum Anglicanarum tempore Caroli Primi, ex quibus pendent etiam motus nuperi Ibernici.

(181) " Scripturae, litterae, et alia quaecumque haberi
2400 possunt | de rebus tempore Nunciaturae et belli postremi." Hactenus illa notula, ex qua colligendum est qualem ille Historiam continere decrevit.

(182) P. Richardus ubi aliquot menses Romae aegrotasset, deindeque convaluisset, Firmum petiit. Verum Firmanus capitis fluxionibus atque aliis morbis laborare caepit, qui huic historiae componendae obicem posuerunt, ut Richardus re infecta Romam redierit. Porro Firmani infirmitas in apoplexiam desiit, qua per ultimum circiter vitae biennium nunc abeunte, nunc redeunte, nunquam omnino integram valetudinem recuperavit, licet Clerus populusque Firmanus, ne tam digni Praelati morte maximam jacturam paterentur, interea supplicationibus solemnibus, jejuniis continuis, Sanctissimi Sacramenti expositionibus subinde a concione publica inchoatis, atque aliis devotionis exercitiis lachrymarum profluvium concomitantibus Supremum Numen fatigarint, ut Firmanum sanare dignaretur. Quae eo profecerant ut ille subinde convaluerit, sicut expediebat ut omnem ab hac aerumnosa vita affectionem abstraheret et se ad bene moriendum solito diligentius praepararet. Denique Idibus Decembris 1653 illo morbo expiravit, alias Philopatrum Irenaeum, Bellingum, aliosque ejus adversarios calamo confossurus et eorum, qui sibi in Ibernia adhaeserant, patrocinium suscepturus. Ejus Epitaphium hic sequitur : |

2400 (183) " Christo mortuorum Primogenito.
V

" Joanni Baptistae Rinuccini Florentino Archiepiscopo et Principi Firmano
Ad Faederatos Catholicos Iberniae Pontificia Legatione strenue functo,
Viro Spiritu Apostolico ac Pastorali vigilantia praefulgenti,
Qui lumbos praecinctus Innocentiae ac Scientiae

Ardentes lampades e manibus nunquam deposuit.
Cuius dextera et aperta et clausa fecit virtutem,
Misericordia plena semper ad pauperes extensa, quos moriens dixit haeredes ex asse,
Contracta calamo plurimos erudivit.
Cuius pedes pacem Evangelizantis mire speciosi
Gregem irrequieto labore circumierunt, atque ultimum terrae perlustravere.
Ita Ecclesiae omnibus Episcopis forma virtutum factus
Totidem, quot acceperat, superlucratus talenta in Domini gaudium (uti spes est) intravit
Idibus Decembris A.S. MDCLIII.
AET. LXI. nondum expleto.

Thomas Rinuccini Camilli Senatoris F.S. Stephani Eques,
Serenissimae Victoriae, Magnae Ducis Etruriae Cubiculo Praefectus,
Fratri optime merito maestissimus posuit."

(184) Sepultus est Firmanus Firmi in Ecclesia Cathedrali, Praelatus scientia, eloquentia, et | virtutibus adeo ornatus ut 2401
meritis pares Dei Ecclesia tunc paucos habuerit, ob res in Ibernia adversum haereticos et Ormonistas praeclarissime gestas totius aeternitatis encomio dignissimus, licet successus ob eorum pervicaciam et summam malignitatem fuerit infaustus, quales habuit Moyses, et alii a Deo posterius missi prophetae, ipseque Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero Christus Dominus in populo Israelitico, cui dictum est : " Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Act. 7.
Spiritui Sancto resistitis ; sicut patres vestri, ita et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? " Mox

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN V.

PARS. III.

An. 1654.

[VOL. V. PARS. III. AN. 1654.]

In Nomine Sanctissimae Trinitatis

Incipit Annus 1654.

(1) Vidimus ad annum superiorem ex Ibernia in Galliam navigasse O Sullevanum Bearrensem ab antiquissima suae Momoniae, praesertim trium Comitatuum, nempe Clarensis, Kierriensis et Corcagiensis, nobilitate in Anglos constanter bellante missum ut suppetias procuraret. Verum hac ejus legatione pene ad nihilum recidente, ipse aliquandiu ad continentis oras maritimas moratus, et nunc fausta, nunc infausta ex Momonia audiens, proindeque nunc trajecturus ut suam legationem referret, nunc reditu supersedens ne imprudenter et incassum regrediens se in hostium | manus traderet, demum in 2401
Gallia Armorica pedem fixit. Porro Lotharingus Rege Angliae v
post tot tractatus, conventionis articulos, quos ad annum 1651 in medium produximus, ratos habere nolente, armis in Lagenia, Ultonia et Conacia positis, Innisbofinniae Insula Anglis dedita, omnibusque ipsius Momoniae praesidiis in eorum potestatem permissis, illi Momoniensium exercitui Catholico non adfuit. Interea copiae illae in Comitatus Corcagiensis et Kierriensis montibus et sylvis tutae Anglos in se moventes, quoties declinandum judicarent, facile declinabant, et, victoriae spe affulgente, Anglos aggrediebantur. Quos toto illo tempore multis direptionbus, populationibus, et velitationibus afflictarunt, licet eas expressius memoriae prodere nequeam, deficientibus me commentariis.

(2) Inter haec ex indigenis ter Catholicis, praesertim australes duorum Comitatuum, nempe Kierriensis et Corcagiensis, partes incolentibus, illi, qui bellum non profitebantur, ambarum partium inter se bellantium tributis et rapinis ita patebant ut nulla prope a mundo condito fuerit hominum conditio eorum statu miserabilior, militibus Catholicis luctuoso modo ad statum desperatum redactis, et | indigenas Catholicos ad 2402
statum mage depositum redigentibus, adeo ut fortioribus aliorum victu, fruge, armento et substantia vitam utcumque sustentantibus, debiliores, rerum Domini, magnis numeris frigore atque inedia interierint.

(3) Inter has angustias Deus Opt. Max. Conaldos, Episcopi Ardfeartensis, de quo nuper egimus, fratres, ex fratribus nepotes, pronepotes, aliosque contribules adeo speciali misericordia protexit, ut nemo Dei potentem in eo negotio digitum non stuperet. Quippe in unum corpus coaliti cum sequacibus et pecuariis in Daririae Insulam Valentiae portui proximam, et tenui quidem freto sed nunquam ne in reflexionibus quidem aequinoctialibus citra navigationem vel natationem pervio a Baroniae Ivrahachensis, quae Comitatus Kierriensis pars est, continente sejunctam atque in alias minores Insulas adjacentes secesserunt, totaque in circuitu vicinia partim ab hoste, partim a milite Catholico late populata, se, suos, suaque in tuto collocarunt, licet ex ipsis copiis Catholicis non defuerint, qui totis viribus ipsos diripere molirentur. Porro Angli, ut has copias,
2402 quas ob | optima montium, sylvarum, et paludum juxta
v vastarum ac uliginosarum receptacula aliter superandas desperarent, rei cibariae inopia confecturi, demum id egerunt ut incolae, quorum illae praedis, tributis, et frugibus vitam sustentabant, cum familiis, pecuariis, omnique re familiari in septentrionalem Comitatus Kierriensis plagam viribus illis ob interjecta Anglorum praesidia et interclusos aditus haud accessibilem ad tempus transmigrarint. Quare copiae Catholicae ad summas rerum angustias undique redactae arma posuere, ea lege ut ipsis in Belgium navigare liceret, quo ibi sub Rege Catholico et Principe Condaeo, ab Hispano in Gallum stante, stipendia facerent. Publica enim Cromuelli apud Angliam, Scotiam atque Iberniam tunc dierum tyrannice dominantis fide anno 1653 ex Ibernia in Belgium trajecerat nobilis Ibernus Edmundus O Duir, Chiliarchus, qui cum Condaeo de aliquot militum Ibernicorum millibus in ejus obsequium transvehendis egit, eodemque anno 1653 ex Belgio per Angliam in Iberniam remigravit, Cromuello Condaei atque Edmundi transactionem
2403 ratam gratamque habente, imo diligenter secundante, | ut Angli in Ibernia praedictarum copiarum Catholicarum infestatione liberarentur.

(4) Itaque rebus omnibus ad milites in Momoniae littore, dum navigandi opportunitatem expectarent, alendos, et in Belgium transvehendos ab Hispano, cui Condaeus militabat, Condaeo et Cromuello, qui inter se de hoc convenerant, promissis et praestitis, atque angustiis ex omni alia parte vires illas prementibus, otium magnum fuit apertum ad hanc copiarum Momoniensium atque aliorum ejusdem Provinciae militum trans-

migrationem. In Belgium autem hoc anno transvectas vires illas Condaeus in partes divisit distributas inter varios ejusdem nationis Chiliarchos, praesertim Moriartum O Brien, Edmundum O Duir, O Drisceollum, Edmundum Fitz-Geraldum, Senescalli Imokelliensis filium, et Petrum Walshaeum, quibus accessit Comes Portu-Castellanus, qui paulo ante sub Condaeo in domesticis Galliae motibus meruerat, eumque audita hac Ibernorum exundatione in Belgium secutus est, et ab eo legionis Ibernicae praefecturam obtinuit. Quae distributio ipsis Ibernis multam inter se contestandi occasionem praebuit, | Moriarto 2403
O Brien contendente ut omnes, qui se apud Momoniam in belli v
adversus Anglos hoc ultimo sesquianno prosequendi praefectum elegerant, suo etiam imperio sub Condaeo relinquerentur, iisdemque, praesertim Daniele Mac-Cartio, Daniele O Sullevano, O Sullevani *Magni* filio primogenito, O Drisceollo, Mac-Gillicudio, Mac-Elgoto, atque aliis viris nobilissimis allegantibus se in Ibernia antiquissimorum patrimoniorum apud Momoniam Australem dominos Moriarto nihil debuisse, proindeque aequum esse ut Moriarto non alii in Belgio milites Iberni, quam qui eum ante annum ex sua Tomonia in Momoniam Australem secuti fuerant, sibi vero aviti clientes, contribules, et sequaces, cuique sui, in Belgio sub Hispano et Condaeo assignarentur.

(5) His copiis cum uxoribus, liberis, aliisque necessariis in Belgium translatis, Ibernia demum a funesto illo tredecim annorum atque aliquot praeterea mensium bello conquievit, restantibus tamen in Insula aliquot reliquiis eorum militum Catholicorum, quos vulgus *pueros desides* nominaverat, de quibus hic semel non nihil dicere liceat. Siquidem ex quo | Iberniae Catholici communi faederis vinculo belli societatem 2404
coierunt, et Regiminis normam statuerunt, milites publica illa authoritate scribebantur, ducebanturque usque ad tempus, quo Catholicis inter se dissentientibus, adeoque laxata legum animadversione, eorum multi authoritate privata vires conscripsere, et collectitia hac *puerorum desidum* manu muniti ita Anglis nocebant, ut Ibernis etiam suis plurimum obessent non alia habentes stipendia militaria quam licentiosas direptiones. In hos censurarum interminatione Clerum non nunquam animadvertisse vidimus. Quibus spretis numerosi eorum greges aliunde semper Insulam infestarunt usque ad praesentem annum, quo pauciores supererant, quod partim hoc anno, partim annis proxime antegressis sub eorum coryphaeis in continentem, Hispaniam praesertim aut Belgium, stipendia

ibi facturi transmigrarint. Ex quibus specialem meretur mentionem Daniel O Kifus, cognomento *Paschalis*, qui in Comitatu Corcagiensi, cum utramque et Ibernorum et Anglorum partem vel ad tributum pendendum cogeret vel depraedaretur, ad annos ultimo praeteritos a Moriarto O Brien in Ibernia captus, atque
2404 ibi in custodiam datus est, assignatis militibus, qui | in
v castris ligatum custodirent. A quorum Praefecto ea lege ut clam non aufugeret, vinculis solutus, quodam deinde mane lecto exiliit, et eidem : me (inquit) clam non aufugiturum pollicitus fidem libero, palam omnibus te monens me jam abiturum. Quo dicto mox dilapsus est, et insequentibus longe velocior evanuit. Pace autem inter copias Catholicas et Anglos (sicut dixi) contracta, cum nec Moriarto nec Anglis se credere auderet, ipsa conscensionis die alienam speciem ementitus, O Drisceolli, cui O Kifi filia, ejus agnata, nupta esset, cohortibus se immiscuit, et vitae consulturus cum ipsis in Belgium transmigravit ; ubi magna, qua lactatus accesserat, stipendiorum militarium, optimorum hybernaculorum et melioris fortunae spe frustratus, judicavit esse longe consultius in Iberniam regredi, et, quo posset modo, Anglos infestare, suamque et adhaesurorum vitam eorum praedis et spoliis sustentare. Itaque spretis et superatis eorum infinitis praecautionibus, in Iberniam reversus, id in suo praesertim Comitatu Corcagiensi nescio quamdiu praestitit.

(6) Hanc demum Catholicorum Iberniae Confaederatio
2405 funestam habuit periodum ; in qua tristi | tragaedia recensenda haud perfectum egimus pictorem sed pingui Minerva tantae crudelitatis Anglicanae lineamenta duximus et tot calamitatum Iliadem ac cataclysmum perfunctorio adumbravimus penicillo. Quod si non summa carnificinae capita et praecipuas Ormonistarum machinationes sed singula notatu digna memoriae proderentur, nullus prope foret scribendi finis. Quis autem hic mecum non plangat ter Catholicae et causae et Nationis luctuosum adeo excidium. Illa Faederatorum castra, oppida, urbes, municipia, et emporia, in quibus fides Catholica quasi in solio regio, sederat, haereseos Anglicanae evaserunt sentina, cloaca, et sterquilinium. Loca illa antea Catholicis referta, in quibus Confaederati consessus, Praelati Synodos, et Religiosorum Ordinum Provinciales Capitula Provincialia celebrabant, Antistitum Orthodoxorum residentiis, Cleri saecularis et Religiosis utriusque sexus domibus decorata, ubi haereticis Anglicis dedita essent, nullum mox sanctitatis ac devotionis

vestigium haeresi ac morum pravitate non mutarunt. Quam tristis erat in illorum locorum quolibet post deditionem rerum facies? Quam deploranda mutatio! Plateae, in quibus, duce subinde Nuncio | Apostolico, a veneranda Archiepiscoporum, 2405
Episcoporum, sacerdotum, Religiosorum, procerum, magis- v
tratuum, et populi Catholici celebritate, publicae supplicationes et gratiarum actiones pro reportatis super haeresi atque hoste haeretico victoriis frequentabantur, toto illo caetu partim imminentibus obsidionibus in sylvas, solitudines, vel alia loca dilapso, partim inter obsidiones occiso in ore gladii, vel strangulato in patibulis, partim post deditiones deturbato, scatebant Calvinismi, Lutheranismi, vel aliarum haeresum Anglicarum, quae pene millenae sunt, ministellis, Cleri exploratoribus, carnificibus et judicibus sanguinem Catholicum sitientibus ac haereticis cataphractariis, a quibus Religiosae domus in equilia, et ecclesiae convertebantur in latrinas. Sacrae Christi Domini, B.V. Mariae, atque aliorum caelitum imagines primum omni ludibrio habitae, postea prophanis quibusque destinabantur usibus, vel sub militum ollis et cacabis igni comburebantur. Omnes denique locorum deditorum anguli fremebant vulturibus heterodoxis, quibus praecipua esset cura in res personasque Deo dicatas debacchari. Accessit aliud flagellum, pestis illa longe saevissima, quae totam pene Insulam plures menses demessuit, | excepta Ultonia, cujus ab hac dira lue exemp- 2406
tionem video nedum Ultonienses sed etiam alios eorum in Nuncium obsequio acceptam retulisse. Pestem et gladium excepit fames, qualem nulla prope gens experta erat a mundo condito. Quid memorem exilia, relegationes, deportationes, ex quo Cromuellus anno 1649 in Insula ingressus est, creberrimas, ipsa prope morte intolerabiliores. Nunc enim naves Anglicanae Clero populoque Catholico onustae in illas Americae Insulas et alias plagas recenti memoria ab Anglis incoli caeptas, subinde destinabantur ut durissimam ibi nostrates in illorum haereticorum commodum servirent servitutem. Nunc ad merendum sub Rege Catholico, et sub Condaeo in Hispaniam vel Belgium transportabantur. Qui in Americam, venundabantur in servos duriori quam Turcarum jugo premendos. Nec in delectu ulla prope tenellae vel decrepitae aetatis, conditionis, gradus sacerdotalis, status Religiosi aut sexus ratio habebatur, usque-adeo ut immani et barbaro spectaculo uxor a marito, et maritus ab uxore divelleretur.

(7) Denique in omni hujusmodi expeditione nihil erat de-

plorabilius quam adesse conscendentibus. Pater enim a filio,
2406 frater a fratre, soror a sorore, | affines ab affinibus, cognati a
v cognatis, conjuges a conjugibus ita separabantur ut contemptis per inhumanissimos et saevissimos Angliae haereticos strictissimis quibusque ipsius naturae vinculis, universa Insula ob bonorum jacturam, charissimorum mortem, vincula, et custodias et reliquorum varia exilia et transportationes, desperatis Catholicorum ejulatibus resonaret. Ibi nobilium virorum filii, senescentium parentum spes et consolatio, eousque delicate nutriti et liberaliter honesteque educati, non solum omni avitae successionis expectatione destituebantur sed etiam ipsis vestibus pretiosioribus exuti et harum loco laceris amicti centonibus, membra fustibus contusi, et cutem carnemque sugillati, instar pecorum ad haec infamia navigia gregatim abigebantur. Ibi honestissimae virgines pie casteque, nedum Catholice, in domo paterna educatae, nobilique magnam partem loco oriundae, cum essent in procinctu ad contrahendas nuptias conditioni congruentes, una hebdomade parentibus arbori suspensis, et florentissimis quibusque necessariis in crucem actis,
2407 atque amplissimis patrimoniis lanionum | haereticorum avaritiae decretis, fere nudae et in caelum ululantes ad naves pertrahebantur. Ibi charissimi conjuges uno filiorum inter bellum perempto, altero datis cervicibus extincto, altero ad mendicationem vel indigam militiam inter exteros redacto, tota denique familia vel deleta, vel in varias regiones miserabiliter dispersa, cum sub haereticorum tributo constituti sperarent fore ut, quamdiu pactos census solverent, domo sua et fundis uti et senectutem una inter lachrymas et communem luctum transigere permitterentur, obtorto collo propriis extrudebantur laribus, et uxore apud Iberniam in carcerem contrusa, vir servituti destinatus in Colonias Anglicanas apud Americam positas transportabatur. Inter quam barbariem Anglicanam nihil apparebat lugubrius conjugum planctu, qui ob longaevum affectionis maritalis vinculum clamabant se reliquas aerumnas aequissimo laturos animo, dum non singuli in plagas diversas sed bini in quamlibet citra separationem exularent, vel in servitutem redigerentur.

(**8**) In quorundam fide dignorum literis Romam scriptis lego vix sextam nationis partem hoc anno 1654 superstitem fuisse,
2407 et hac ipsa sexta | parte quinquaginta nostratium millia hoc
v ipso anno Insula abfuisse transmissorum partim in praefatas Americae Colonias Anglicanas, partim in Belgium, partim in

Hispaniam, sicut superius perstrinximus. Cumque nationum omnium quantumlibet barbararum consuetudo ferat ut bello confecto cum misellis hominum etiam juste debellatorum reliquiis mitius agatur, sub crudelissimis tamen Angliae Parlamentariis licet summa causae iniquitate consceleratis res in Ibernia aliter se habuit, universa Insula, postquam arma posita essent, stridente catenis, variegata carceribus et patibulis, fremente efferatis inquisitoribus et dirissimis rerum capitalium praetoribus, quorum esset in omnia inter hoc bellum ab Iberniae Catholicis gesta inquirere et eam ob rem tot ex utroque sexu centenos morte damnare ea barbarie ac saevitia, ut magna Insulae pars horum innocentium sanguine fuerit cruentata a Cromuellistis, rebellibus et regicidis, omni scelerum macula notatissimis, Insula prope tota suo fisco a Cromuello, qui in Anglia Regiminis clavum usurpaverat, adjudicata, et magnam partem | distributa in hos suos latrones, eosque paulo minus 2408
omnes nec nobiles, nec honesto loco citra generis nobilitatem vel natos vel educatos, sed sutores, sartores, mangones, textores, pelliones, lanios, lanarios, coriarios, tabernarios, et ejusmodi sordidissimos quosque e plebis Anglicanae faece opifices et artifices eorumque filios a Parlamento et Cromuello indutos in milites, Centuriones, Chiliarchos, atque alios militiae duces pedestres equestresque, deindeque urbium atque oppidorum Gubernatores, aliosque magistratus etiam civiles, quod horum novorum hominum atque ex lapide emptorum quam procerum vel nobilium pluris interesse judicarent ut sibi in Regem et partes Regias, proindeque in Catholicos aeternum adhaererent, cum id genus vaenalibus nebulonibus nihil mage solemne sit, quam ut nec famae nec aequitatis, sed lucri, etiam turpis, rationem ducant, ideoque iis, qui se ex infima sorte ad honores et fortunas extulerint, per fas et nefas obsequantur.

(9) Praeterea cum in Ibernia quatuor sint | Provinciae, 2408
Momonia, Lagenia, Ultonia et Conacia, decrevit crudelissimus v
Cromuellus ut in hanc ultimam cum Tomoniae tractu, Seneno flumine, Banna et Oceano circumscriptam quasi in alteram Insulae Insulam Catholicorum reliquiae non omnes sed agrorum illi possessores, proceres, nobiles, aliique, quibus juxta varias crudelissimi statuti mense Augusto 1652 a Parlamento Anglicano conditi et superius positi limitationes ipsi judices hostiles pepercerint, ex aliis Iberniae Provinciis hoc anno mense Maio transplantarentur, assignata ibi illis aliqua terrae portione (fere juxta easdem limitationes) suis patrimoniis supra modum

inferiore, idque haereditaria omnium clientela, nec non alia necessariorum inferioris conditionis multitudine Catholica a tergo in aliis tribus Provinciis jam dictis relicta, cum tamen horum plurimi in procerum ac nobilium bonis, praesertim belli tempore, plusquam latifundia avita haberentur pene instar eorum veteris Galliae *solduriorum*, de quibus Caesar *Belli Gallici* lib. 2. Quorum ea erat conditio ut omnibus in vita
2409 commodis una cum his fruerentur, quorum | se amicitiae addixissent, et siquid eis per vim accidisset aut eundem casum subirent, aut sibi mortem consciscerent. Quare Stanihurstus, etsi in Ibernos, exceptis suae Coloniae Anglicanae Anglo-Ibernis, iniquissimus, eorum homogalactos seu collactaneos tradit tanto amore prosequi alumnos Ibernos matrum suarum
Lib. 1. p. 49. uberibus pastos : " ut (inquit) nihil perfidiosum et insidiosum, nihil fallax in iis inventurus sis. Quinetiam parati sunt offerre capita sua pro lacteorum fratrum (ut appellant) salute periculis omnibus. Cestibus hominem contundas, aequuleo excrucies, ignitis laminis amburas, omnia exquisita supplicia vehemens feroxque tortor in illum expromas. Tamen nunquam de insita mentis fidelitate deduces. Nunquam ut officium prodat, induces." Sic ille. Magna ergo infortunii pars erat Ibernicae nobilitati ab hujusmodi clientela separari. Porro circa praefatam eorum transplantationem in Conaciam, atque alias Ibernorum in Patria Insula residuorum aerumnas ad hunc annum pertinentes, P. Petrus Talbottus, Jesuita Ibernus, Roberti Talbotti toties nominati, Equitis aurati, frater, Antuerpia Romam ad Episcopum Cluanmacnosiensem scripsit hac aestate epistolam Anglicanam hic ex autographo Latinam,
2409 v praeter | ultimas lineas huc nihil spectantes :
" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(**10**) " Illustrissimae Dominationis vestrae humanitas in fratrem meum et memet Madriti demonstrata postulet jure merito saltem ejusdem agnitionem, quam praesto, offerendo tibi ex corde integro ac sincero meum obsequium. Haud dubito quin de illa calamitosissima patria non nihil audire cupias. Nulla historia, nec sacra, nec prophana, ullam ipsi in miseriis similem fuisse tradit. Talis tyrannis nunquam memoriae prodita fuit. Ego ubi a te Madriti discesseram, recta Londinum trajeci cum Regis (Catholici) literis ad suum legatum ut suae Majestatis nomine saltem sacerdotum permissionem obtinere conaretur. Ipsi ob oculos posui quantopere id foret necessarium, et quantam in Aula (Hispanica) expertus essem pietatem ac

propensionem adhibendi remedium. Ille mihi ad prandium urbanissime invitato dixit Parlamento tunc dissoluto nihil praestari posse usque ad novi Parlamenti convocationem post tres menses successuram, addens rem melius peragendam modo *Agentes* ex Ibernia ad res temporales tractandas accederent, quibus ipse in spiritualibus faveret, eorumque conatus secundaret, | subjunxitque et *Hollandum* Centurionem, et Jesuitas 2410
Anglicanos suae sententiae subscripturos, cum tamen et hos et illum in meam ivisse repererim. Itaque Londino in Iberniam transivi et idem, quod alii, periculum subivi. Procuravi quoque ut *Agentes* in Angliam destinandi nominarentur, etc. Novo Parlamento convocato frater meus, Joannes cum *Agentibus* in Angliam trajecit, etc. Ne uno quidem verbo Legatus intercedere voluit. Alii tamen in se receperunt futurum ut modo quingentae librae annuae solverentur, cum sacerdotibus conniveretur; quae summa oblata, sed incassum, proindeque nec pensa nec exacta fuit. Demum usurpata a Protectore (Cromuello) authoritate adeo absoluta et Oratore cum ipso faedus percutiente, ad hunc a meis Praelatis missus fui, tentaturus siquid praestare vellet. Cui persuadere non potui ut rem vel semel proponeret, pollicitus tamen a se proponendam modo Cromuellus in Regem electus fuerit. Hoc est quod circa negotium istud Londini successit ex quo duobus mensibus elapsis ex Ibernia discesseram.

(**11**) " Jam 14^{us} dies agitur, ex quo Londino profectus | 2410
sum; ubi omnium, quas imagineris, confusionum est maxima v
ab ipso Cromuello (sicut plerique conjectant) concitata, quo res novaturos in carcerem conjiciendi occasionem pariat ne suae ipsius menti intercedant. Nunc Papistis et sacerdotibus capiendis operam dat. Ex quorum ultimis quatuor in custodiam dati sunt, et ex primis innumerabiles quorum viginti sunt Iberni, omnes cujusvis conspirationis perinde innocentes atque Illustrissima Dominatio vestra. Creditur futurum ut terribiliorem nasci faciat persecutionem. Talis est cui nemo fidat, et tamen multos deludit. Mihi occurrit sacerdos Anglus in Angliam proficiscens, qui dixit Suam Sanctitatem videri bonam de D. Protectoris prolixa in Catholicos voluntate concipere opinionem. Risi. Qualis sit tempus docebit.

(**12**) " Quod ad Iberniam spectat, in exequenda *transplantatione* proceditur et licet Equiti Roberto atque aliis a Regno, quo ea supersederetur, missis responderint non exequendam, et per sex septimanas suspensa fuerit, nihilominus

2411 cum huc accitus fui, de novo | decreverunt ut omni cum severitate executioni mandaretur. Quod perinde est ac unius anni spatio universam Iberniae nobilitatem et populum fame enecare. Per tribunum *Axtellum* eam conditionem haeretici obtulerunt, ut ii, qui Papismo et Missae renunciarent, eximerentur. Sed ne unus quidem illorum conditionem admisit. Praescripsimus ut universa natio tribus Sabbathis in pane et aqua jejunarent, paenitentiae sacramento peccata expiarent, et sacram Eucharistiam sumerent. Quod ab omnibus toto Regno ita praestitum, ut ipsi infantuli tres vel quatuor annos nati magno rigore jejunium observaverint, haereticis eapropter valde indignatis. In Conacia conditio haec erit, nempe ut ipsis ibi latifundia, sicut eorum armenta exigunt, assignentur, quae portio erit parva nimis. Exempli causa, Dunboinniae Baroni triginta jugera decreverunt, et sic de caeteris. In hoc etiam statu oportebit ut in Conacia inter se septuaginta praesidia Anglicana sustentent, cumque omnes eorum facultates absumptae fuerint,
2411 viri et faeminae, viginti | solidis singulis in Americae insulas
v transportandi venalitiariis venumdabuntur, quo modo jam tractati fuere non nulli bono loco nati, viri nobiles, et agrorum avitorum possessores. Praeterea ex vulgo milleni nomina dare coguntur, et singuli viginti solidis venduntur. In illo Regno nihil videre est nisi lamentationes, ululationes, palmarum complosiones, imprecationes, etc. Maledicunt Ormonio, maledicunt Regi, maledicunt Papae ejusque Nuncio et Clero, et denique sibi ipsis quod unquam nati fuerint. Deus ipsos consoletur. Quod ad me ipsum attinet, licet mandata ad me praehendendum exierint, nihilominus mihi decretum est cum ipsis illic mori, mox atque superiores mihi fecerint redeundi potestatem. Quod nunc possumus, haud aliud est quam ut eos et a peccatis absolvamus et ad alteram vitam praeparemus. In Ibernia haud extant decem familiae quibus suppetat, unde sex mensibus pane et lacte victitent ; quod in tractibus, quos ipse frequentaveram, experientia comperi, et a primariis viris
2412 nobilibus ex omni illius | infaelicis Regni parte oriundis certo didici." Haec ille, Antuerpia 3° Julii 1654.

(13) Multas haeretici vi et violentiae addiderunt artes, quibus Catholicorum Iberniae substantiam, succum, et sanguinem absorberent. Quarum ultima non fuit spes ipsis facta suspendendi hanc eorum *transplantationem* in Conaciam. Inde enim factum ut Catholici se, uxores, liberosque pene fame necarint, subtrahentes naturae sustentationi, quod in emporiis

et rerum vaenalium foris venderent, ut expressis exinde rei pecuniariae summis illam vexationem redimerent, et domi, quisque suae, sub gravissimis tributis permanendi licentiam obtinerent. Verum crumenis demum exhaustis, Angli etiam in hoc fidem fallentes inaudita crudelitate omnes pene agrorum possessores Catholicos, alios prius, posterius alios, modo jam dicto in Conaciam vel Tomoniam transplantarunt, idque ita ut ipsos Conacienses et Tomonienses avitis sedibus extirparint, compulsos ex una eorundem tractuum parte in alteram transmigrare. Sola pene villicorum atque inquilinorum Iberniae, | quibus nulla esset fundorum proprietas, multitudo hanc trans- 2412
migrationem declinavit non Anglorum misericordia sed v.
crudelitate, (qua illi a suis Patronis divellebantur, et tanquam ascriptitii glebae ad excolendos in eorundem haereticorum usum agros a tergo relinquebantur) suaque ipsorum inopia praestante patrocinium, adeo ut horum statu conditio procerum, nobilium et aliorum, qui avita successione agros possederant, plerumque extiterit infaelicior, praesertim cum fuerit rusticis laborandi consuetudo et comparata ante usu industria, qua alii jam dicti ad incitas redacti carebant, quorum tamen plurimis tunc laborandum erat vel pereundum. Porro omnibus ab immanissimo tyranno, Cromuello, sua suaeque colluvionis militaris fraude et violentia in trium Regnorum Protectorem et Gubernatorem absolutum authoritate plusquam Regia munitum ascito immensa fuere imperata tributa, eaque tanto furore exacta atque extorta, ut nemo non stuperet, qui homo in homines extremam illam tyrannidem exerceret, vel | quo 2413
pacto Iberniae Catholici etiam laborando, sudando, aestuando, atque omnem, quam dura necessitas docere solet, et excogitare jubet, exerendo industriam, tam insanae magnitudinis et multitudinis vectigalia nedum continuata sed etiam in dies aucta numerare valerent. Specialem autem meretur mentionem crudelitati annexa fidei publicae barbara temeratio, cujus aliquot exempla memoriae prodit Joannes Lynchaeus, sacerdos Galviensis, eo in hoc majore dignus fide quod tempore ac loco praesens ab hujus belli initio usque ad Galviae suae deditionem et ultra in Ibernia perstiterit, nec nisi hanc extremam Anglorum rabiem declinaturus, demum exularit.

(14) " Parum (inquit) abest quin quicquid in urbem Romam Nero et Attila crudelitatis exeruerunt ; quicquid saevitiae in Troiam Graeci, in Hispaniam Mauri, in Hierosolymam Vespasianus effuderunt, id universum in Iberniam Puritani Cambr. Evrs. p. 277.

evomuerint. Ut in eam flebilis illa Jeremiae lamentatio appositissime quadrare videatur. Nam *omnis terra desolatione desolata est, facti sunt hostes nostri in capite nostro, inimici*
2413 *nostri locupletati sunt. Manum* | *suam misit hostis ad omnia*
v *desiderabilia nostra. Facti sunt Principes nostri velut arietes non invenientes pascua. Abierunt absque fortitudine ante faciem persequentis. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Lassis non dabatur requies, civitates nostrae captae, portae destructae, sacerdotes gementes, virgines squalidae. Egressus est* ab Ibernia *omnis decor ejus, qui vescebantur voluptuose interierunt in viis. Qui nutriebantur in croceis amplexi sunt stercora. Cum caderet populus non erat auxiliator.*

(**15**) " Quicquid enim saevissima tyrannorum ingenia, aut ad contumeliam ignominiamque inauditum, aut ad supplicium corporum asperum ac vehemens, aut ad terrorem validissimum excogitare potuerunt, id omne in Ibernos Parlamentarii exeruerunt. Urbes enim nostras hostes diripuerunt, templa demoliti, agros populati sunt. Cives propriis maenibus, optimates sedibus, incolas aedibus ejecerunt ; imo infinitos mortales, nec Patriae conspectu aut aura illa, quam in lucem editi primam
2414 hauserunt, frui permiserunt. Multos enim | senum ac juvenum greges, magnam virginum ac matronarum multitudinem, ut hi dura servitute, hae vel sui prostitutione vitam tolerent, ad ultimos Indiarum recessus amandarunt. Ut Aelio se Adriano immaniores exhibuerint, qui quod Jerosolymae cives natalis soli maenia vel eminus prospicere capitis paena vetuerit, crudelitatis infamiam retulit. Quae atrocitatis nota ipsorum famae inuretur, qui non ab unius duntaxat urbis prospectu indigenas arcuerunt, sed ab universae patriae finibus eliminarunt ? Praeterea sacerdotes alios vinculis et carcere, tanquam paena benigniori, alios cyppis et catastis torserunt. His glande plumbea corpus transfoderunt. Illis laquaeo gulam fregerunt. Ab his in res sacras et loca cultui divino consecrata saevitiam transtulerunt, quae prius miserabiliter direpta, tabularum imaginibus laceratis, statuis bipenni frustatim conscissis, ignique pro pabulo traditis, vel in stabula vel in prostibula converterunt, ita ut templa, in quibus sacerdotes sacris operabantur, astantium aures sacro cantu mulcebant, sacrique praecones assiduis hortationibus multitudinem ad pietatem attrahebant, populus precationes ad Deum frequenter effunde-
2414 bant, ministeria | omnia et mysteria divina religiose obibantur,
v

nunc ebriorum clamoribus, equorum hinnitibus, canum latratibus, rixantium militum jurgiis, muliercularum ejulatibus personare, et pro aris popinas, pro supplicationibus blasphemias, pro piis et Orthodoxis concionibus haereticas execrationes, pro castis colloquiis obscaenitates et impudicitias sinu suo complecti videamus.

(16) " In Danielem Delanum, parrochum Arcloensem, hostis ex improviso impetum fecit, et famulum ejus, Welsheum nomine, saluti suae et sacrae supellectilis sarcinae fuga consulentem, sub viri venerabilis os crudeliter mactavit. Sacerdos vero vir manu strenuus educto gladio hostium a se petitiones tam perite avertit, ut se gladiumque non ante hosti tradiderit, quam ab eo suam indemnitatem extorserit. Fidem vero datam tantum abest ut hostis praestiterit, ut potius venerabilem virum, veste illi protinus extracta, equi caudae nudum alligaverit, qui ad cursum quam incitatissimum a sessore provocatus, per vias non magis sentibus ac dumis quam nive geluque asperas ac rigentes miserandum ad Gourae municipium rapuit. Ubi cursorum istorum inhumanissimus Praefectus illum vestigiis cruentatum, | lateribus laceratum, toto corpore fatiscentem, 2415
neci contra fidem datam addixit, coegitque in militum custodia per vices excubantium nudum, insomnem, frigore algentem, vibicibus lividum, pernoctare, excubatoribus interim promissae barbae inguinisque pilos bacillo per ludibrium evellentibus, et latera ejus fuste contundentibus intolerabiliter excruciatum et nihil aliud reponentem quam eas evulsiones eo se moderatius ferre, quo majori ipsis voluptati fuerunt. Postridie illum in obviae arboris ramum ter sustulerunt, quo toties in terram corruens, magis lento supplicio torqueretur. Tandem laqueo suffocatus, patiendi et vivendi finem, et in caelis triumphandi initium fecit. Sed inter tormenta, quibus nos excruciant, nullum quibusdam acerbius videtur, quam eorum in nos perfidia, quae tam aperta est ut nemo eam non videat, tam luculenta ut authores ipsi diffiteri non possint. Nempe Divina Fides pridem istos, humana nuper defecit. A majori nimirum scelere ad minus facilis descensus est. Perfidiam non a privatis tantum hominibus, sed etiam authoritate publica, | crebrius usurpatam fuisse 2415
nemo non vidit, qui in ratione, qua transactiones cum dedititiis v
inibant, cogitationem defixit.

(17) " Si aliquando Tribunus aut Centurio instructis copiis urbem aut arcem cingeret, et obsessi aut propugnandi diuturnitate, aut commeatus inopia, aliave de causa, ad honestas

deditionis conditiones descendere cogerentur et libertate ab obsidentium duce pactis impetrata munimentis egrederentur, non in libertatem, sed in interitus sui casses se venisse mox deprehendebant. Nam si a Centurionis optione pacta salutis obsessi retulissent, mox non ille sed Centurio concedendae indemnitatis potestate praeditus fuisse dicebantur. Si Centurione sospitatem impertiente, illius potestati se obsessi permisissent, mox nunciatum est non illi sed Tribuno deditionis in fidem recipiendorum authoritatem collatam fuisse. Quod si hic etiam se dedentibus incolumitatem pollicitus fuisset, non id ei, sed supremo militiae Praefecto licuisse certiores obsessi fiebant. Superiori bello paululum in Ibernia progresso, hostibus arcem Sligoensem adortis, ad sospitatem arce inclusis tradendam expeditionis Praefectus scripto se obstrinxit, statim tamen ac
2416 hostis arcem subiit, praesidiariorum omnium | pudenda strages edita est. Cromuellus ipse quanquam immensas copias expugnando Vadiponto admovit, illam tamen urbem in suam potestatem non ante redegit, quam propugnatores urbis in sua salute cum iis, qui dignitates in exercitu Cromuelli obtinuerunt, transegerint. Nihilominus Cromuello negante quempiam praefecturam in suis castris gerentem ejusmodi authoritate donatum a se fuisse, in propugnatores atrocissima caede illico saevitum est. Imo praesidiarii civesque Castello *de Mote* Vadiponto finitimo inclusi, Cromuello ipso concedente, indemnitatem consecuti, eo tamen postea jubente omnes trucidati sunt. Delegatis Kilkenniensibus apud eum in Anglia jam versantem graviter conquerentibus conditiones ab ipso sibi collatas indies violari, respondisse fertur se jam in Anglia constitutum pactis in Ibernia initis non obstringi. Quae res consilia Rossensium compescuit expostulare cum illo, statuentium quod transactiones, quas ab ipso retulerunt, pessundarentur.

(**18**) " Galvia postrema omnium Iberniae, Angliae, et Scotiae urbium in fide Regi servanda persistens, in hostis ditionem venit. Unde aliquis cecinit :

> ' Inter Juvernas urbes, urbesque Britannas
> Ultima ab hostili Galvia victa dolo est.' |

2416 v (**19**) " Haec urbs novem mensium obsidionem passa, omni spe subsidii vel a Confaederatis jam prostratis, vel a Duce Lotharingo, unde opem expectarunt, referendi destituta, non vulgari cuipiam in militia praefecto, sed ipsi Carolo Coote, qui

Conaciae, Ultoniaeque summo cum imperio praefuit, et cujus arma binas illas Provincias sub Parlamentariorum imperium impulerunt, honorificas conditiones extorsit. Nimirum, ut pristinae urbis immunitates, et positae intra fines urbis jurisdictioni obnoxios civium possessiones integrae illibataeque, cives deinceps manerent, Republica ternionem tantum agrorum extra fines illos sitorum, et civium etiam domicilia ubivis collocata, quae Parlamentarii praesidio munienda esse censerent, referente, fundis in cives pro aedium ablatarum aestimatione conferendis. Praeterea civibus intra et extra urbem arbitratu suo negotiari per pacta licuit. Sed a Parlamento in suprema Iberniae Praefectura constituti haec pacta irrita, alia minoris momenti rata habuerunt. Exinde non ex abrupto, sed lente in civium fortunis emungendis desudatum est. Tamdiu enim in urbe patria haerere permissi sunt, quamdiu eorum opes stipendio gregarii militis | solvendo, et illorum avaritiae, qui praeerant, explendae 2417
sufficiebant. Tum denique ubi quotidianae collationes civium copias paulatim exhauserant, primum triennio pene jam elapso, magistratus urbanus iis ereptus est. Deinde ut quisque civium manipulus rei familiaris jacturam istis impensis fecerat, urbe mox ejectus est, potestate copiosioribus in urbe diutius commorandi facta, dum ad publicos sumptus ferendos aliquot iis numi superessent. Tandem pene omnes manipulatim emissi rusticationi ante ignotae incumbere per agros palati coguntur.

(20) " Nec solum Parlamentarii exitum belli perfidia clauserunt, imo etiam sub ejus initium, et in ejusdem progressu, eorum perfidiae non scintilla sed flamma saepius erupit. Anno partus virginei 1642, Henricus Tichborn, Eques auratus, Moro Vicecomite in opem sibi adscito, copias militares Castello de Rathesker in Comitatu Louthiensi admovit. Quod tandem ea lege deditum est, ut Barnevallus, loci Dominus, ac caeteri, qui se in ejus aedes praesidii causa receperant, indemnitatem et libertatem consequerentur. Non libertate tamen Tichburnus, quam promiserat, ullos, sed carcere, et Plunketum quendam suspendio excepit. Eodem anno aut sequenti ejusdem | 2417
Tichburni equitatus impunitatem Capitaneo Forterell pollicitus, v
eum in crucem mox egit. Eodem anno Capitaneus Bolton, Cancellarii filius, Capitaneum Traversium, Georgium a Sancto Laurentio, et Petrum Delahoid indemnitatem pactos strangulari curavit. Eodem anno Tribunus Crafford, *Baldonganum*, nobilis cujusdam *Fitz-Williams* dicti pagum, incolentibus sospitatem pollicitus, plus quam centum viros, faeminas, et parvulos

interemit. Anno proxime sequenti viri nobilis Ashbolli aedes in Comitatu Kildariae in hostium potestatem deditione pervenerunt, ita tamen ut iis inclusi libertatem nanciscerentur, sed ex iis mox centum ad minus hostis ferro contra fidem datam perierunt ; imo et in teneriorem sexum et aetatem saevitum est. Eodem anno Vicecomiti Moro Baleham, Baronis Slaniae Castrum, aliquandui obsidenti se obsessi dediderunt, incolumitatem suam prius pacti. Verum omnes sine discrimine sexus aut aetatis neci confestim dati sunt, et infantulus e caesa Catharinae Flemingae, Hadsori de Cappog uxoris, alvo extractus ad parietem vivus allisus est. Praesidiariorum Timolingensium |
2418 in Comitatu Kildariensi, ubi se hosti sospitatem pollicito tradiderunt, immanis edita strages est faeminarum etiam et parvulorum caede cruentata. Capitaneus seu Centurio Smithaeus Patricio Conrano de *Wianston* vitam pacto impertitus vestem ademit. Equitatu Ibernico ad Cnoc-Linchiam fuso, peditatus e mille quingentis constans in uliginem palude cinctam se recepit. Unde post magnam hostium caedam editam, transactionibus initis, vita incolumi discedere licuit ; sed exercitus Parlamentarius a Jonio expeditionis istius praefecto in inermes immissus, omnes internecione delevit, ea solummodo de causa (ut milites postea Dublinii gloriabantur) quod ab adeo strenue decertantibus ipsi pugna denuo excipi noluerint, vel potius timuerint. Wicloensem Comitatum et Wexfordiensis partem incolentibus per Tribunum *Cooke*, quae vox perinde est ac Cocus, licuit intra suos fines citra injuriam omnem ac dispendium ad statum diem permanere. Verum idem *Cooke* Centurioni Bolton author postea fuit ut, indicto tempore nondum elapso, equitatu in eosdem fines illato, eosdem primum
2418 diriperet, deinde in omnes utriusque sexus tam | adultos,
v quam non adultos, promiscua caede grassaretur, qua carnificina quatuor animarum millia e corporibus cum tenerae tum provectae aetatis detrusa sunt. Idem Chiliarchus Cooke sub annum 1652 in Comitatu Wexfordiensi trecentos mortales et plurimos infantes iisdem tectis inclusit, quibus face mox subjecta, clausi omnes conflagrarunt. Unus tamen ex Tribuni Centurionibus, dictus Capitaneus *Gooze*, parvulum incendio subductum penes se in equo sedentem sub chlamyde abdidit. Quod ubi Tribunus aliquantulum in itinere progressus rescivit ira excandescens in Centurionem acriter invectus est, ipse deinde ad flagrantes aedes reversus innoxium puerulum in eas injici jussit, ut non mirum sit si supra memoratus Centurio

Bolton sceleris jam ante a Tribuno imperati flagitiosus administer Tribuni disciplina imbutus ac exemplo incitatus, et atrocitatis et perfidiae aliud specimen ediderit.

(21) " Pierius Butlerus de Clearmont, Vicecomitis Galmoiensis haeres, pugna cum Parlamentariis ad *Balilamy* in Wexfordiensi Comitatu congressus, cum victoriam ad hostem inclinare vidisset, incolumitatem pactus in hostis potestatem ultro venit. Bolton autem hostilium agminum praefectus victoriam adeptus in colloquium cum | Pierio veniens, ubi rescivit quis fuerit, 2419
cubitali suo catapulto citra moram exploso sinciput perfodit, crudelitatem perfidiae adjungens. Daniel Axel, militum Tribunus, longa obsidione Castellum *Moine* in Moimeliae finibus cinxit. Quo tandem obsessis salva vita et libertate se dedentibus potitus, apprehenso Leonardi Shortalli, qui Castello praefuerat, baltheo, ipsius illum ense perfodit, nulla datae fidei ratione habita. Caeteri praesidiarii simili facto perierunt praeter eos quibus pedum pernicitas salutem comparavit. Manipulus Ibernorum, qui nondum arma posuit, novem Parlamentarios obvios sibi forte factos interemit. Quae caedes istum Axel in tantam rabiem egit, ut e duabus Comitatus Kilkenniae Baroniis, Gaurana et Ibercana, obsequium ei et immodicas pecuniarum summas pro ipsius arbitratu indictas citra reluctationem deferentibus, octodecim nulli affines crimini trucidandos delegerit. Tanti nimirum novem isti Parlamentarii fuerunt ut singulorum etiam in pugna cadentium caedes non nisi binis insontibus Ibernis laqueo suspensis expiari potuerit, quibus morti addictis omnis purgandi sui facultas erepta est, cum tamen eos arma vel sui propugnandi, vel hostis impugnandi causa nunquam sumpsisse constet.

(22) " Fine nuperi belli jam appetente, triginta tantum Iberni Hogano, qui ordines in bello duxit, adhuc in armis adhaeserunt. Quos ut ad arma ponenda | Garrengubunae 2419
Gubernator alliceret, Hogano dum conventiones utrinque v
transigerentur, ultro citroque meandi potestatem in scripto fecit. Hoganus autem postea pacta re sua non iniri perspiciens, ad suos se recipere constituit, sed Gubernatoris jussu et manus illi moraque mox injecta est, et ipsius commilitones plumbeae glandis procella ex improviso impetiti trajectique sunt. Lucas O Tohel de Castelkevan, Fertoriae Dominus, et suae familiae Phylarchus, vir tam genere quam novem filiis jam adultis et arma ferentibus nobilis, milites in Lagenia contra Parlamentarios primus conscripsit, et primus militum Tribunus fuit. Is

cum pluribus conflictibus Parlamentarios saepius attrivisset, ab iis conditiones pacis amplectendas non mediocri ambitione rogatus, tandem vitam sibi bonaque pollicitis acquievit. Sed cum Parlamentariorum promissis facta non consenserunt. Nam ille quatriduo tantum in eorum potestate constitutus, in patibulum sublatus, et semivivus ex eo demissus, capite plexus est, quod continuo Dublinii in S. Nicolai portae fastigio omnium aspectibus iidem exposuerunt, et filius ejus Christophorus simile supplicium subiit ; quod caeteri ejus filii peregre in militia profecti declinarunt. Cahirus, Faelimei filius, Fiachi nepos, ex
2420 eadem familia, vir opulentus, et a belli | consiliis semper alienus, quietisque cupidissimus, et Morachus de Duno, filius Edmundi *Juvenis* O Brien, plurimique alii similibus Parlamentariorum promissis ad similem vitae exitum pervenerunt.

(**23**) " Quid vero ludificationibus hisce propudiosius aut perfidiosius excogitari potest ? Quid hoc aliud est quam viris
Mach. cap. 1. honestis ac minime fraudulentis in laqueos ab uno *verba pacifica in dolo loquente* attractis, ab alio fauces elidi ? An non hoc perinde est ac si quis una manu caduceum praeferens, alia jugulo hastam infigeret ? Unum hoc tempore facinus non simplici eos sed triplici scelere faedavit. Quod enim non sincere sed ficte cum aliis egerunt, mendaces ; quod rem promissam opere non praestiterunt, perfidi ; quod illis, quibuscum pacti sunt, suum non tribuerunt, injurii fuerunt, e memoria sibi excidere passi quod sacra pagina, cujus observantissimi cultores
Levit. 19. haberi volunt, praecipiat ut '*non mentiemini, nec decipiat unusquisque proximum suum.*'

(**24**) " Non vero satis habuerunt nostrates vita et bonis per fraudem (ut jam audiisti) spoliare, nisi etiam Catholicae religionis professionem fraudi nemini fore polliciti a promissione mox
2420 v resilirent. | Inter paciscendum cum Galviensibus Parlamentum fidei Catholicae abolitionem nullo pacto moliturum, aut cuipiam ejus professione interdicturum scripto affirmarunt. Eandem rem tabulae transactionum, quas cum Catholico Lageniensium exercitu Parlamentarii peregerunt, perspicuam conceptis verbis faciunt. Authoritatem enim ad ea pacta ineunda nacti in hunc modum loquuntur : '*Nos denunciamus eam esse delegatorum Parlamenti voluntatem, ut omnes in Ibernia degentes beneficio gavisuri sint decreti, cujus titulus est de religioso ac tranquillo populo legibus iis exonerando, quas Parlamentum in re religionis antea sancivit. Quod decretum 27 Septembris anno Domini* 1650 *latum est. Insuper etiam denunciamus ministrorum Par-*

lamenti in Ibernia mentem esse, ut nemo e recusantibus (sic Catholicos appellant) hujus Nationis ad cultum ullum aut officium Divinum conscientiae suae contrarium adigendus sit. Datum 18 *Martii* 1651. *Subscripserunt Reynolds, Hieronimus Sanky, Willelmus Allen, Henricus Jones, Joannes Vernon.'*

(25) " Facultatem autem Catholicae religionis impune profitendae his et aliis modis promissam illico sustulerunt, evulgatis edictis imperantibus ut ad statum | diem Mystae omnes 2421
Ibernia excederent, et praecipientibus fore illis capitale, si ultra praestitutam diem in patria moram protrahant ; fore etiam ut qui tecto illos excepturi sint, impensam hospitii charitatem bonorum omnium amissione luant. Nimirum, sicut lupus cum ovibus si canes a se arcerent, amicitiam initurus fuisse dicitur, ut amotis canibus liberiori caede in miseros grassaretur, sic isti pastores a Catholicis abegerunt, ut ad illos Rectorum custodia nudatos fide Catholica exuendos expeditior pateret haereticorum insultus. Mystis patria post indictum tempus non egressis, alii extremo supplicio affecti, non nulli carcerum faetores ac taedia passi animas efflarunt. Plures ergastulorum adhuc claustris damnati, aliqui in remotissimam Innisbofinniae Insulam relegati, ac praesidiariorum custodiae traditi, non modicis aerumnis torquentur. Multi ad Indiarum insulas amandati, ut qui illic hastae subjecti venundentur, et abjectissima quaeque mediastinorum ministeria in tobacco constringendo obirent. Inde quoque magistratus non modicam sibi mansuetudinis laudem aucupantur, quod plurimos sacerdotes suis unguibus in varias Europae Catholicas regiones elabi patiantur.

(26) " Nec contenti mystis exilium aut capitis paenam edicto indicere, nisi etiam decretis in quoscumque Catholicos saevirent. Quorum qui Catholicae fidei ejurationem | detrectaret, 2421
duobus fortunarum omnium trientibus lata lege multandus v
erat. Itaque Catholicorum superiori memoria perpessiones prae his injuriis in aliquo beneficentiae gradu collocari posse videntur. Per ea enim tempora magistratus non modicis quidem acerbitatibus Catholicos exagitarunt, sed fidem datam nunquam fefellerunt, et legum asperitatem indulgentia non raro temperarunt. Hi vero, qui nunc in Ibernia dominantur, aut potius debacchantur, summam atrocitatem intolerabili perfidia cumularunt, qua nihil ad animos hominum exasperandos valentius est, S. Chrisostomo dicente : *' nihil aeque inimicitias parere, ac odia excitare, quam decipere ac fallere.'* *' Infirmatis enim* (ait Aris- Homil. 14 ad Ephesi.

l. Rhetoric. l. Officiorum. toteles) *violatisque pactis tollitur inter homines commerciorum usus.'* Recto Cicero ait : *' Vi aut fraude fieri injuriam, et utrumque ab homine alienissimum esse, sed fraudem odio dignum esse majore.'*

(27) " Complures Iberni nihil persuasius habentes quam sicut posteriores et priores Ibernorum vexatores eandem religionem professi, et ex eadem regione profecti fuerunt, siquam benignitatem et fidem Iberni difficultate aliqua exorta illis praestiterunt, similem benignitatem et fidem eosdem Ibernos ab
2422 his in tam dura rerum conversione relaturos | esse. Non dubitarunt suis authores esse ut horum se potestati quantocyus traderent. Verum tristi postea experimento deprehenderunt se plurimum allucinatos fuisse, ac Puritanos a Protestantibus in hoc discrepare, quod hi humanitatem et fidem datam sanctius colant, illi cum humanitatem omnem exuant, tum promissis non stent, ut de his Rex Jacobus vere dixerit : *' Testor magnum Deum (nec testamentum condenti fas est mentiri) nunquam inter montanos aut limitaneos latrones majorem ingratitudinem aut perfidiam reperiri posse, quam inter hos phanaticos nebulones.'* Nam in conventionum contractu Iberni sibi sic prospexerunt, ut tantum rei familiaris adhuc superesset, quantum ad familiam satis exiliter alendam sufficeret, quo postea contra conventa erepto, res iis ad incitas rediit, ita ut nobiles Dynastas, quorum domus advenis quibuscumque hospitio et ubere mensa excipiendis antea semper patuit, per pristinorum clientium et ambactorum casas sedandae famis gratia evagari, vel nautas epibatasve agere, aut sub alienis signis ad subveniendum paupertati tenue stipendium peregre mereri oportuerit, dominatoribus istis illos deglubere quam tondere malentibus, ne radices quidem ad lanam denuo procreandam salvam esse permittentibus." Haec ille. |

2422 v (28) Hunc persecutionis Anglicanae turbinem hoc anno 1654 sensit P. Matthaeus O Fogorta, Capucinus, qui in agro Tiperariensi apud Momoniam ad 1603 natus et anno 1624 in Capucinorum Ibernorum Conventu Carolopolitano ad Mosam, Galliae fluvium, sito Capucinum professus, studiis philosophicis ac theologicis partim Carolopoli, partim in Germania, partim in Provincia Turonensi, inter Capucinos peractis, in vineam Ibernicam anno 1634 remigravit ; in qua haeresis ac peccatorum aliorum vepribus purganda praeclaram hactenus operam collocavit. In his sanctissimis functionibus dum totam virtutem exereret, Deo tandem in majorem ejus coronam et triumphum

permittente, in haereticorum manus incidit. Quorum manipulus armatus et bene efferus 15° Aprilis 1654 Fearnipontum, emporium Catholicum, Ibernice *Drohad-na-Fearna*, accessere, nobilem quendam virum ex accolis Catholicis acri scrutinio investigantes. Ad quorum inopinatum accessum stabat Matthaeus cum aliquot afflictis oppidanis ab eo salutis et consolationis verba auscultantibus. Qui mox atque viderunt equites haereticos recta accedentes : Pater (inquiunt) abscede quam possis citissime, vel nos etiam tecum perdes, cum Angli | non modo Clerum, sed etiam Cleri fautores vel quocumque 2423
modo adjutores capite damnandos statuerint. At Matthaeus : imo (inquit) si abscessero, reum suspicabuntur, et me persequentur, nec evadam. Si autem una stare permiseritis, me tanquam laicum oppidanum in suspicionem non vocabunt, et sic omnis metus evanescet. Verum oppidani a gravissimis paenis in Cleri fautores et hospites decretis sibi metuentes, Matthaei rationem respuunt. Quare Christi miles fuga arrepta sed lenta, ne suspicionem celeriori augeret, in quasdam arenarias extra emporium positas se abdidit. Sed juxta ac ipse praedixerat, haeretici eum rati nobilem illum virum, quem ipsi venabantur, gressum accelerarunt, eumque inde extraxerunt.

(**29**) Interrogatus ergo Matthaeus quis esset ? Qualem artem profiteretur ? Jam (inquit) video accessisse horam non declinandi ulterius vitae periculum, sed libere profitendi veritatem et amplectendi mortem pro Christo. Quare nihil vos celabo. Et subinde magna animi fortitudine et sinceritate pandit se natu Ibernum, statu Capucinum, et gradu sacerdotem. Totam denique veritatem | citra fucum declaravit, ita tamen ut 2423
nihil recensuerit quod indigenis vel aliis e Clero praejudicare v
posset. Tractus ergo exinde Gortannam, emporium avitum, quod tunc a praesidio haeretico occupabatur, nec longe distabat, stricte iterum examinatur. Et idem persistens veritatem ingenue profitetur. Quo examine peracto, ibidem custodiae mancipatus, in singulas fere horas patibulum expectat. Quare Deum orandi nactus otium, noctes atque dies, excepto tempore brevis somni et modicae refectionis, in genuflexiones, humiliationes, et ferventissimas preces, quibus ad extremam illam pugnam vires ab Altissimo emendicaret, diligentissime impendebat. Verum ibi triduo tantum haesit. Quo finito, vestibus in egressu inhumanissime ab haereticis spoliatus, Clonmelliam, celebre in eo tractu oppidum, stipante satellitio transmissus est.

(**30**) Clonmelliae in carcerem detruditur. Ex quo haud ita diu post in judicium vocatus, eodem semper animi candore et fortitudine planam fidei et veritatis confessionem emisit, ita ut in se senserit constantiam caelitus receptam similem illi,
2424 quam alicubi promittit Dominus his verbis : | " Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam
Ezech. 3. duriorem frontibus eorum. Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam." Fassus enim est se in eo Iberniae tractu natum, semper vixisse Catholicum ; adolescente aetate olim exiisse in Galliam. Ibi Carolopoli Capucinum induisse ; peractis studiis philosophicis et theologicis sacerdotem et concionatoris officio destinatum, in Iberniam rediisse, ibique continuos viginti annos non mundanis nec politicis tricis implicitum sed sine querela conversatum Christo in haeresi extirpanda, in propaganda fide Catholica, et in convertendis ad paenitentiam peccatoribus militasse.

(**31**) Hac intrepida confessione qui sedebat pro tribunali Clonmelliae Gubernator corde tactus et paenam sibi a Deo, si Matthaei nece se conscelerasset, infligendam metuens, cupiebat tanquam alter Pilatus, mundas servare manus a sanguine innocentis. Persequebatur ille foris Matthaeum in corpore, sed illum Matthaeus tremefaciebat intus in anima conscientiae verme et suae innocentiae demonstratione. Fluctuans ergo Toparcha
2424 inter legis Anglicanae crudelitatem et | Capucini innocentiam,
v rogat Matthaeum, utrum duorum malit, agi in patibulum, an exulare ? Sperabat enim Matthaeum institurum ut non morte sed exilio multaretur. Sed Matthaeus : Neutrum (inquit) nolo ; neutrum malo. Sortes meae in manibus Dei sunt sicut et tu,
Jo. 19. qui non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Quare quam tuleris sententiam quantumvis iniquam circa me sive exilio sive vita multandum libentissime amplectar tanquam Dei voluntati et animae meae saluti congruentissimam. Quo audito Gubernator quasi suum infortunium, quod illi judicio praesideret, dolens, calamo, quo Matthaei responsiones enotabat, in adversum parietem projecto, totus excandescens : bene (inquit) tibi erit. In patibulo expirabis.

(**32**) Exinde Matthaeus ad publicum Clonmelliae carcerem raptatus, magnam ibi noctis partem sacris vigiliis, ad Domini januam pulsans, impendit. Postero mane in ergastularii domum translatus, ibidemque honestiori quidem sed non minus arctae
2425 custodiae mancipatus | est cum Waltero O Connuo, Jacobo Hacquetto, Thadaeo Mac-Laghano, et Jacobo Mauclero, sacerdo-

tibus saecularibus nec non P. Guillelmo Tirraeo, Augustiniano, eodem tempore captis et parem passis persecutionem.

(**33**) Triduo apud ergastularium transacto et exilio dictis sacerdotibus decreto, P. Guillelmus Tirraeus, Augustinianus, et P. Matthaeus, Capucinus, una ad judices tracti, fidem Catholicam, gradum sacerdotalem, statum Religiosum, uterque suum, totam denique veritatem ingenue et intrepide profitentur. Quare mox patibuli et seminecum eviscerationis condemnantur.

(**34**) Lata mortis sententia ambo infinitas Supremo Numini contenta voce egerunt gratias, inter quas in ipso repagulo capitali manicis ferreis statim constricti, ad communem urbis carcerem raptati sunt ; ubi noctem illam et posterum mane in ferventissimis precibus et totius vitae, quas sibi mutuo fecerunt, confessionibus generalibus insumpserunt, hortantes alter alterum ad gloriosissimam martyrii palmam, quam postridie reportandam sperabant. Verum ambos die postera carceris Praefectus ad horam nonam in suas aedes transtulit ; ubi vinculis solutos in custodiam non minus arctam sed decentiorem compegit, donec sententia | executioni mandaretur, quem ille favorem non 2425
clementia sed avaritia impulsus praestitit. Nam crebra v
experientia compertum habuerat Catholicis indigenis solemne esse ut ad ecclesiasticos incarceratos, praesertim fidei causa capite damnatos, piae visitationis studio certatim confluerent et in eorum consolationem ac venerationem exercentes charitatem, honestas expensas facerent in suum ipsius emolumentum. Nec eum in hoc casu fefellit opinio, licet bini Religiosi solis delectarentur epulis spiritualibus, nihilque magis in admittendis Catholicorum visitationibus gustarent, quam animarum lucrum, quod in eo carcere et occasione mirifice procurarunt. Accedentibus enim fidei constantiam inculcabant et paenitentiae atque Eucharistiae sacramenta cum magna libertate administrabant. Nam licet ibi Sacrum haud celebrarent, invisebantur tamen haud raro a dictis sacerdotibus saecularibus jam praestita exulandi cautione, urbem in custodiam habentibus, qui hostias a se alibi Missis clam celebratis consecratas transportabant clanculum in illam custodiam, ut duo vincti | se mutuo aliosque ibi caelesti pane reficerent, de die 2426
in diem expectantes martyrium.

(**35**) Interea Matthaeus amictu saeculari ob persecutionem indutus misit, qui Religionis habitum leucas septemdecim inde distantem ac apud quendam ex fidis amicis Catholicis depositum, apportaret. Quem ubi cum sandaliis et chorda recepisset,

induissetque, depositis vestibus saecularibus, maximum in se fortitudinis et consolationis sensit augmentum, quod intus ac foris Capucinus, quasi de haeresi manifestius triumphans, ad suspendium incedere valeret.

(**36**) Post noctes quinas in continua martyrii expectatione apud ergastularium transactas, hic ex Gubernatoris mandato ingressus ambobus recensuit fore ut P. Guillelmus postridie in crucem daretur. Quod autem (inquit) te concernit Matthaee, alia die laqueo vitam finies. Quo nuncio accepto bonus Augustinianus, deposito pallio, flexis genibus, complosis palmis et vultu in caelum erecto erupit in altissimos singultus et uberrimos lachrymarum imbres. Quibus ex primo naturae impetu ex-
1. Tim. 1. oneratus : " Regi (inquit Ibernice) saeculorum immortali et |
2426 invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum, qui
v me ad hunc faelicissimum vitae finem praedestinavit." Quas gratiarum actiones iterum atque iterum et indefesse ubi ex abundantia cordis aliquandiu eructasset, audivit a tergo Matthaeum flexis similiter genibus uberrime flentem et lamentantem. " Et (inquit) tu Matthaee charissime quorsum lamentaris ? Doles acceleratam mihi Martyrii coronam ? Quinimo
Luc. 12. laetare in Domino et tui ipsius lumbi sint praecincti et lucernae ardentes in manibus tuis ut libentissime Martyrium patiaris." At Matthaeus : " Tantum (inquit) abest, ut de tua morte doleam aut meam timeam, ut etiam congratuler et hac ex parte gaudeam. Sed doleo ex corde quod non una triumphum conficiamus." At Guillelmus : " Macte (inquit) animo Matthaee. Dabit Deus Martyrium, vel Martyrii desiderium Martyrii loco habebit."

(**37**) Aderat his altissimarum virtutum exercitiis ergastularius haereticus pene in stuporem actus, ut ipse quoque amborum colloquio fortiter compunctus sit et ad conversionem haud mediocriter provocatus. Erat autem ex illa Anglorum col-
2427 luvie, qui recens in Iberniam | transmigraverant. Quo demum egresso, ambo Religiosi ex communi consilio ad novam confessionem generalem se studiosissime praepararunt, quam uterque apud alterum deposuere. Qua praevia mortis praeparatione rite peracta et ergastulario amborum separationem premente, post mutuas ad constantiam hortationes et dulcissima pacis oscula, Guillelmo ibi relicto, Matthaeus in alteram custodiam paucis inde passibus distantem compactus est ; ad quem mox redibimus, ubi Guillelmi martyrium delineaverimus.

(**38**) Erat Guillelmus in urbe Corcagiensi, sanguinis senatorii,

Guillelmi Tirraei, Episcopi Corcagiensis anno 1646 defuncti ex fratre nepos praeclarissimis quibusque civitatis Corcagiensis familiis agnatione, cognatione vel affinitate conjunctus. Qui ubi in exteris regionibus Catholicis pietati et scientiae hauriendae studio nescio quot annos consumpsisset, demum pauculis annis ante inchoatum Iberniae nuperum bellum in patriam Insulam se recepit, et Corcagiae apud sui Ordinis Religiosos tunc ibi communiter et regulariter viventes ita pedem fixit, ut interea strenuam in animabus Deo lucrandis operam | posuerit. Nec ita diu post Guillelmus Sarsfieldus, Kilmalociae 2427
Vicecomes, ipsi amitinus, ejus vitae probitate, morum elegantia, v
et scientia pellectus, a Religionis praelatis obtinuit ut apud se nunc Corcagiae, nunc in praetoriis haud longe distantibus habitantem permaneret et Capellanum ageret ; ubi eum an. 1640 vidi. Corcagia autem paulo post ab haereticis intercepta, et praefato Vicecomite belli anno 1641 inchoati calamitatibus prope ad incitas redacto, Guillelmum se ad suos Augustinianos recepisse crediderim, quamdiu ipsis in civitatibus Catholicis communiter vivere liceret. Porro in eum plus quam in Capucinum haeretici hoc anno ob duas praesertim rationes suam rabiem acuisse videntur : Primo, quod captus sit in veste sacerdotali et in procinctu ad celebrandum Sacrum Fiardiae feria quarta Cinerum. Deinde, quod in ejus scriniolo, in quod haeretici involaverant, repertus sit tractatus MS., quo ipse novos quosdam haeresis et haereticorum articulos docte enervasset, et suam fidei Catholicae confessionem asservasset. Illa ergo nocte ante martyrium pro arbitrio habuit ad manum quendam ex dictis | sacerdotibus saecularibus exilio ante destinatis. Quo minis- 2428
trante, peccatorum confessionem saepius iteravit et post totum interjectum tempus pro more in humillima ac ferventissima devotione positum, postero diluculo se ad martyrii praelium caelesti pane confortavit.

(**39**) Quo sumpto divino viatico, ad horam 9^{am} matutinam accessit ergastularius, eumque manicis ferreis denuo constrictum, amictu Regulari vestitum, et solita Ordinis sui corona tonsum, stipante peditum equitumque satellitio duxit exultabundum ad patibulum. Erat autem in comitatu vir nobilis, D. Poerius, laicus quidem sed Catholicus pari supplicio afficiendus. Quem devote antea praeparatum martyr Augustinianus suo exemplo mirifice erexit. Comitabantur etiam multae Catholicorum et haereticorum centuriae. Ex quibus Catholici ejulantes ab omni parte praecurrebant, in plateis publicis ponentes

genua et humiliter petentes Guillelmi benedictionem. Quam ille ambabus manibus, quantum per vincula liceret, in crucis formam levatis devotissime et identidem impertiebat. Ipse quoque inter viam creberrime genua flectebat, nunc in caelum
2428 jaculans humillimas | supplicationes, nunc ingeminans cantica
v laudis. Ubi autem in patibuli scalam conscendit, rogavit silentium quod et impetravit. Itaque arrectis omnium tam haereticorum quam Catholicorum auribus, devotissimam habuit ad astantes concionem de fide Christi per Apostolos et Apostolorum Principem, Petrum, propagata, sub Petri successoribus, Pontificibus Romanis, per alios viros Apostolicos continuata, ac nominatim per S. Patricium a Celestino I. missum apud Iberniam disseminata et usque ad illos dies atros per duodena saecula et quod excurrit citra intermissionem ibidem conservata. In quam materiam atque in haereticorum refutationem cum multa solide dixisset, quidam tunc praesens ministellus haereticus instar furibundi vociferans jussit ut inversa scala ejus mors acceleraretur ne haereticos converteret, vel Catholicos in fidei proposito constantiores redderet. Verum tanta Guillelmus etiam apud astantes haereticos suae probitatis opinione valuit, ut plenam ipsi dicendi fecerint potestatem. Quare ministellus alia eum via aggrediens ; ubi (inquit) in
2429 Sacris bibliis ostendas Christum esse realiter sub | speciebus Eucharisticis ? Et huic Guillelmus : id (inquit) in vestris ipsorum bibliis Anglicanis legebatur anno superiori Matt. Cap. 26, et 1^ae Cor. 11. In aliis autem vestris bibliis hoc anno typis mandatis idem legi non affirmaverim, cum adeo vobis sit familiare, ut novas subinde religiones fabricetis et ad earum quadrum vestra biblia adulteretis. De caetero, jam mihi tempus est pretiosius quam ut id alteri exercitio praeterquam devotioni impendam. Tu vero si te disputandi pruritus invaserat, quare me toto tempore, quo in carcere squalui, non convenisti ? Vel si imposterum manus conserere volueris, ad concaptivos meos te conferas, qui opportune ostendent unde obmutescas. Unum tantum in te atque in haereticos omnes argumentum mihi modo per tempus vibrare licet. Nempe quod cum vitam et gratiam si ad vos deficerem, certam haberem, malim tamen pro hac vera religione mori. Haec Guillelmus, qui ad populum conversus maximo spiritus fervore demonstravit unam tantum esse Paradisi portam, fidem Catholicam cum operibus vivis ejusdem Religionis. Catholici ergo Petrae Romanae, columnae veritatis, more majorum, unco morsu adhaererent, haeretici converte-

rentur, et sic utrique parti certam fore salutis viam, secus nullam. Haec | aliaque id genus plura ipsis etiam haereticis 2429
ad animae teneritudinem actis, Catholicis vero ex pietatis zelo v
largiter lachrymantibus, ubi protulisset, iterum ad flagrantissimos divini amoris actus et contritionem reversus : siquis (inquit) in tota astantium corona sub aliena forma est sacerdos, praesertim Ordinis mei alumnus, instantissime et humillime rogo ut me sacramentaliter absolvat nec tamen se haereticis prodat.

(**40**) Deinde martyr sanctus sententiae exequendae praefecto indicavit se paratum. Quare is mox scalam invertendam curavit. Ex naribus autem martyris jam laqueo pendentis magna sacri cruoris copia erupit, ad quem diligentissime colligendum suppositis pretiosissimis quibusque lineis, aliisque bibulis vestibus Catholici certatim accurrerunt. Martyrio etiam absoluto quicquid ad martyrem spectaverat, magna pietatis contentione multitudo Catholica postulabat. Imo ipsum sacrum corpus in reliquiarum frusta fuisset pene discerptum nisi adfuisset Praetor Fiardiensis, homo Catholicus, qui, permittente praefato praefecto haeretico, reverenter depositum et linteaminibus involutum Fiardiam, ubi Martyr in sacerdotalibus captus erat, transportandum curavit. Quo loco in Augustiniani Monasterii ruderibus honorifice conditum est. Martyrium autem | pertulit 2° Maii 1654 stylo Ibernico, pro- 2430
indeque veteri, sed 22° Aprilis stylo Romano.

(**41**) Jam ad Capucinum redeat narratio. Matthaeus siquidem in ergastulo relictus, quotidie a Catholicis ex vicinia catervatim accedentibus, nedum ab Orthodoxis Clonmelliae civibus visitabatur. Quare in carcere infantulos ad se allatos baptizabat. Confessionibus audiendis aurem praebebat. Eucharistiae sacramentum administrabat. Matrimonium inter conjuges celebrabat et omnia Missionarii Apostolici munia longe fere majori ibi cum progressu obibat quam si extra carcerem esset constitutus. Confluebant Catholici impune sub charitatis praetextu et carceris praefectus prae lucro connivebat. Major emergebat difficultas ex infantulorum baptismate adeo innocenter noxiorum ut suis ejulatibus et querulis fletibus se atque alios proderent.

(**42**) In hoc ergastulo delituit Matthaeus menses tres, quibus exactis, dicti sacerdotes saeculares, apud quos peccata sacramentaliter deponere soleret, erant mandandi in exilium. Grave

ergo ipsi videbatur ibi squalere sine copia confessarii. Nam praeter dictos sacerdotes erat tunc Clonmelliae e Clero tunc |
2430 plane nemo, cui peccata deinceps confiteretur. Quam ob
v causam Gubernatori supplicavit, ut cum dictis sacerdotibus solum exilio commutare posset, licet ipsi decretum esset alia deinde via in Iberniam remigrare. Respondit Gubernator penes se non esse mortis sententiam jam latam exilio mitigare, rem enim tantam ad supremos Regni moderatores pertinere. Ad hos tamen se ea de re mature scripturum. Quod et ita praestitit ut obtinuerit. Quare Matthaeus Clonmellia Waterfordiam, urbem maritimam, translatus, novae ibi custodiae mancipatus est in conscendendi occasionem. Quo loco bonum senem, Fr. Joannem Dundalkensem, Capucinum Laicum, superius nominatum in carcere offendit.

(**43**) Joannes enim (ut vidimus) paralysi et lienteria laborans et senio confectus, anno superiori ad mensem Augustum ab haereticis captus, morte damnatus et demum suspensa sententiae in eum latae executione in carcerem Kilkenniensem conjectus fuerat. In quo deinde squaluit menses circiter denos. Quibus in continuo morbo sanctissime transactis, ipso minime gentium procurante, imo plurimum dolente quod in patibulo vel certe in carcere vitam pro Christo non finiret, satellitio stipatus una
2431 cum duodecim sacerdotibus | antea captis atque in exilium mandandis, Kilkennia Waterfordiam hoc anno 1654 transvectus est ; ubi in altero illius civitatis ergastulo latronum et profligatissimorum quorumque malefactorum communi in transfretandi occasionem sex circiter septimanas contabuit. Quo tempore a sua lienteria meliuscule valens ab ergastulario non alia ante reliquos in idem barathrum contrusos gratia donatus est, quam ut interdiu ad carceris januam intus sederet, quo et liberiorem respiraret aerem et per ferreos cancellos a transeuntibus eleemosynam, qua vitam sustentaret, reciperet. Cui demum navem ad exulandum conscensuro Waterfordiae Gubernator, saevus Cromuellista, commeatum dedit, quem hic ex autog apho Anglico Latine legas :

" Waterfordiae Gubernator omnibus officialibus, militibus, navicularis et aliis ad quos spectet.

(**44**) " Cum harum lator, Joannes Verdunus, sit Religiosus per edictum ex hoc Regno proscribendus, per praesentes
2431 rogamus omnes | ad quos pertineat, ut latori, Joanni, per-
v mittant et integrum faciant quamcumque navem Franciam vel

Flandriam transmissuram quiete et pacifice conscendere, ea lege dum primam occasionem arripiat et sicut par est, se gerat. Dabam mea manu. 25 Julii 1654.

Guillelmus Leighus."

(45) Fr. Joannes cum P. Matthaeo ex eodem portu in continentem navigaturus erat. Quorum Matthaeus in sua custodia Waterfordiensi Catholicis sub exhibendae charitatis et humanitatis larva undique concurrentibus sacramenta administrabat. Quo tempore pendente praefatus Waterfordiae Gubernator, Guillelmus Leighus, quadam dierum ad carcerem accessit, Matthaeumque convenit specie quidem conscientiae nodos circa quaedam inter Catholicos et haereticos controversa religionis capita extricaturus, sed re ipsa ut et Matthaeum ipsum a fide ad haeresim seduceret. Ingressus ergo, Matthaeo blande comiterque salutato, dixit nihil sibi unquam fuisse nec fore antiquius, quam ut veram religionem profiteretur, sed in Catholica quosdam reperiri articulos, a quibus singulariter abhorreret, | quorum 2432
explicationem libenter ediscere vellet. Quos ubi proposuisset, ac Matthaeo enucleante ita clare vidisset sacrae paginae authoritate niti ut nihil haberet solidi quod contra allegaret, veritati tamen manus non dedit. Quinimo potius Matthaeo aperuit, nullo eum favore non cumulandum, nedum exilio eximendum, si a fide Catholica deficere vellet. Quam sceleratam conditionem ut Matthaeus constanter rejecerat, abiit ille indignabundus.

(46) Ambo Capucini postquam Matthaeus ex carcere Clonmelliensi Waterfordiam translatus esset, in ergastulo Waterfordiensi tres circiter hebdomadas transegerunt. Quibus exactis, demum conscendendae navis opportunitatem nacti in Galliam navigarunt, 14° Augusti 1654 Rupellam appulsi. Ex quo loco vastum continentis iter interjectum emensi ad praefatum suorum Capucinorum Ibernorum Conventum Carolopolitanum transierunt, nedum Capucinis Gallicanis sed etiam aliis Gallis summa eos in illo itinere humanitate et charitate semper excipientibus, et Fr. Joanne prae morbis ac senii incommodis non valente nisi rheda iter conficere. Ambos in Carolopolitano suorum popularium Conventu reliquis hujus | anni mensibus 2432
religiosissime viventes et ab haereticorum Anglicanorum rabie v
respirantes relinquamus, ulteriorem eorum triumphum ad annum inferiorem relaturi.

(47) Inter hoc universale Catholicorum Iberniae martyrium exules Iberni magna apud Galliam humanitate cumulabantur,

illo undique confluentes ut horum numerus si milites, nobiles, proceres, adolescentes litterarum candidati, diversorum Ordinum Religiosorum alumni, sacerdotes saeculares et Episcopi cum innumeris aliis promiscui gradus extorribus dinumerentur, ad viginti circiter Catholicorum profugorum millia excreverit; quibus gloriosissima ac humanissima natio Francica multifariam eximiae pietatis viscera pandit. Nec minorem Regis Catholici et nationis Hispanicae exules nostrates experti sunt pietatem et humanitatem, sicut ipsi populares mei, qui Galliam et Hispaniam exules lustraverant, mihi tradiderunt, addentes non defuisse Hispano et Hispanis cur Ibernis ob crebras militum nostratium ad suum Angliae Regem in Gallia se tenentem, proindeque ad Gallum transitiones succenserent, nec propterea ab antiqua in
2433 Nationem Ibernicam benevolentia | et studio descivisse. Porro specialem hic merentur mentionem collata hoc tempore in Capucinos Ibernos a Rege Christianissimo beneficia.

(**48**) Hoc siquidem anno dum Illustrissimus Marchio *de Fabert*, copiarum Gallicarum non omnium, sed illarum, quae ad *Stenacum* obsidendum destinatae essent, praefectus, *Stenacum* Sedano vicinum Regis Christianissimi, Ludovici 14[1], mandato impulsus obsidione premeret, ipse Rex cum Regina, matre, Cardinale Mazarino, et universo comitatu apud *Sedanum* aulam tenebat; ubi Capucinis Ibernis in Hospitio Sedanensi constitutis specialem clementiam demonstravit. Frequentabatur illis diebus modicum illud Capucinorum Ibernorum sacellum quotidie a pientissima Regina et universa sequaci utriusque sexus celebritate, in quibus invito Aulae luxu et vanitate tam sinceram et solidam observarunt fratres devotionem ut in Regio apparatu et amplissimo comitatu exterius superbo et magnifico admirarentur delitescentem interius humilitatem, modestiam, precum instantiam, sacramentorum frequentationem, eleemosynarum largitionem, morbidorum
2433 visitationes, aliaque innumera pietatis opera. Viderunt | ibi
v tot tantasque Procerum pias fraudes et excogitatas humilitatis studio caelestes machinationes, quibus pietatis exercitia suos etiam asseclas pro virili celabant. Denique fratres propria experientia compertum habuerunt claudicare in Aula Gallicana illud poeticum:

"... exeat Aula
Qui vult esse pius. Virtus et summa potestas
Non coeunt."

(**49**) Monitos tunc habuerunt Capucinos non pauci in Mis-

sionem illam Ibernicam benevolentissimi ut per interpositas personas apud universam Aulam in circuitu eleemosynam emendicarent ; sed paupertatem Seraphicam et bonum Christi odorem pluris facientes fratres renuerunt. Quem mundi contemptum Rex et Regina cum aulicis suopte nutu animadvertentes, longe majorem Capucinis nostratibus decreverunt eleemosynam quam si fuissent natione Galli, aut stipem illam circularem importune corrogassent. Porro Rex hoc ipso anno 1654 paulo ante Rhemis inunctus et coronatus, gloriosissimi patris, aviaeque paternae, olim Reginae Regentis, in illam Capucinorum Missionem indutus clementiam, diploma tanti | Monarchae pietate dignum concessit ; quod hic ex autographo 2434
Gallico Latine verto :

" *Ludovicus, Dei gratia Franciae et Navarrae Rex, omnibus praesentibus et futuris salutem.*

(50) " Non habemus efficaciora media, quibus mereamur nobis, Regno nostro et subditis Dei benedictionem, quam ut procuremus totis nervis Divinum cultum et honorem, atque ad subditos instruendos invitemus illos, qui per suam vitam exemplarem, paupertatem voluntariam, humilitatem, et morum puritatem ad eum finem possunt conducere, nosque adjuvare per suas praedicationes et colloquia in reducendis ad Ecclesiae gremium iis, qui ex subjecto nobis populo a recti tramite deviarunt. Porro in nostra civitate Sedanensi nobis speciali modo significatum est maximos progressus continuo fieri a Patribus Capucinis Ibernis, qua dictae urbis nostrae municipes Catholicos instruendo, qua conferendo cum civibus heterodoxis, qua destinando Capucinos ad consolationem spiritualem Catholicorum Regni Iberniae et haereticorum conversionem in eadem Patria, apud quam eximios fructus fecerunt, procurantes animarum lucrum | austeritate vitae et conversationis 2434 v
suavitate aeque ac concionibus ad ipsorum vitam quadrantibus, qua non minus quam verbis praedicant in Ecclesiae matris nostrae exaltationem. Quare volentes impertire dictis Patribus Capucinis Ibernis statum firmiorem et permanentiorem eo quem Sedani habuerunt a quindecim annis, illo introducti a charissimo cognato nostro defuncto, Duce Bullioneo, ibidemque virtute literarum ejus 2° Septembris 1641 stabiliti, ad postulata omnium

Catholicorum ejusdem urbis et intercessionem D. Ducissae Bullioneae, uxoris ejus, et consensum Episcopi Diaecesani, per diversa acta, quae ab ipso obtinuerant, ad celebranda ibi sacra, conciones habendas, confessiones excipiendas, Catechesim explicandam, et stationes missionarias faciendas. Quae acta sub nostro sigillo his annexa nobis exhibuerunt, supplicantes ut dignaremur ipsis concedere literas nostras dicta acta confirmantes, et (si opus sit) nostrum stabilimen continentes.

(**51**) " Has ob causas notum facimus quod laudantes et approbantes hoc sanctum institutum, et desiderantes, quantum penes nos est, concurrere ad tam pium opus, et eorum sanctas preces participare, ex nostra gratia speciali, plena potentia,
2435 et | authoritate Regia, per praesens placitum manu nostra signatum confirmavimus et confirmamus, et (quantum necesse est vel esset) permisimus et permittimus stabilimen dictorum Patrum Capucinorum Ibernorum in dicta urbe nostra Sedanensi, ad aedificandam ibi ecclesiam, domum, et Conventum alium ab eo, quem nunc ibidem incolunt, quocumque commodiori loco ipsis imposterum concedendo. In quo non alios ad professionem admittere valeant quam ex Regno Iberniae oriundos, qui suam domum et receptaculum habeant sub moderamine Generalis Capucinorum, profecturi ad missiones, sicut ab ipso ordinatum fuerit, cum eadem independentia ab omnibus aliis Ordinis Provinciis, quam hactenus adepti sunt, et pro qua ipsis concedenda defunctus Rex, honoratissimus Dominus et pater noster, se apud Summum Pontificem intercessorem praebuerat, ipsis permittentes ibi vivere eodem modo, quo hactenus vixerunt et nunc vivunt, nec non uti ac frui iisdem libertatibus, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, quaestibus, functionibus, et aliis exercitiis sui Ordinis (secundum ejusdem |
2435 Religionis statuta) quibus alii quicumque ex eodem Ordine in
v Regno nostro stabiliti subnituntur.

(**52**) " Insuper Consiliariis nostris supremam Curiam nostram apud Sedanum componentibus, et omnibus aliis Justitiariis atque officialibus nostris, ad quos ea res pertineat, praecipimus ut praesens diploma conscribant, et curent ut in eodem contentis dicti Patres Capucini Iberni plene, pacifice, et perpetuo utantur, nullamque patiantur molestiam aut impedimentum in contrarium. Nam sic stat nostra voluntas. Non obstantibus quibuscumque ordinationibus et literis huic placito contrariis, quas per praesentes abrogavimus et abrogamus. Et ut haec res firma sit et stabilis in perpetuum, sigillum nostrum apponendum

curavimus, salvo in aliis rebus jure nostro et alieno in omnibus. Datum Sedani mense Julio anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, et Regni nostri duodecimo.
Locus + sigilli. LUDOVICUS
per Regem
visae De Lomenie." |
Mole.

(53) Hoc Ludovici XIV placitum Sedano tunc Parisios 2436
missum, deindeque Parisiis remissum est Sedanum omni modo juridico examinandum et solemniter recipiendum. Quod et utrobique factum. Quinetiam parum dubitandum est quin ipsum Conventum novum, ecclesiam atque hortum Rex suis sumptibus ibi extruendum curasset, nisi ipsi atque Aulae universae innotuisset Marchionem *de Fabert*, Sedani Gubernatorem, jam area designata totum illud pium opus promovendum suscepisse. In quo toto negotio mira plane in illam Capucinorum Ibernorum Missionem extiterat Supremi Numinis dignatio ac plusquam paterna providentia. Quae ut suis ponderibus melius libretur, revocandum est in memoriam quod alibi diximus, nempe civitate Sedanensi atque annexo Principatu a Duce Bullionaeo, qui Capucinos Ibernos primus introduxerat, in Ludovici 13 imperium et plenum dominium permisso, et Marchione *de Fabert* in Gubernatorem tunc recens destinato, non defuisse duos vel tres exinde defunctos, qui suggesserint Capucinos Ibernos atque universam nationem in Hispanos propendere, ideoque publice | interesse ne apud urbes Gal- 2436
licanas in Regni margine constitutas, et Belgio, Hispani v
principatu, ex quo Rex Catholicus cum Gallo bellum gerebat, conterminas alienigenae ita affecti conventus haberent. Quae suggestiones, Capucinis Ibernis insciis, aulicorum auribus intritae pene nostratium fratrum *moverunt pedes et effuderunt gressus*. Sed sicut Deus Opt. Max. ad illam machinam tunc dissipandam summa Regis Christianissimi clementia et Marchionis de Fabert humanitate usus erat singulari, ita nunc mirabili providentia effecit ut Rex ipse praesens cum Regina, Cardinale Mazarino, et Regio comitatu, Fratrum simplicitatem, humilitatem, vitae austeritatem, bonam conversationem, et fructus missionarios odoratus, se prorsus in illius Missionis induerit benefactorem solito prolixiorem.

(54) Hanc Regis Christianissimi pietatem in Capucinos Ibernos exercitam Deus Opt. Max. mense sequenti haud mercede

vacuam esse voluit. Eodem enim tempore, quo *Stenacum* a Gallo obsidebatur, Archidux Leopoldus Austriacus, Belgii sub Rege Catholico Gubernator, et Princeps Condaeus tunc Hispano associatus, nec non Lotharingus *Stenaco* pene deserto, Attre-
2437 batum, | longe majoris momenti civitatem, tribus exercitibus in unum coalitis obsederunt. Cromuellus etiam partibus Regiis in Anglia, Ibernia, et Scotia jam contritis, Parlamenti quoque Anglicani authoritate calcata, triumque Regnorum populis, etiam haereticis (excepta colluvione militari, sui fautrice) in servitutem redactis, cum antea pecunias speciosis tantum praetextibus aeruscasset, demum totum pene illorum Regnorum aes latrocinio publico extorsit et invasit imperium, cumque ipsi cum Hispano bene, et cum Gallo male conveniret, non nisi obsidionis Attrebatensis exitum expectare credebatur, ut cum veteranorum exercitu in Galliam trajiceret, ibique cum Calvinistis Gallicanis societatem coiturus, in Ecclesiae Gallicanae perniciem, rem una suam et Calvinismum promoveret. Quod vix non praestitisset, si non Hispani, Condaei et Lotharingi sed Galli exercitus ad Attrebatum profligatus fuisset. Eo enim casu prudentiores metuebant, ne Gallia ex una parte Cromuello et Calvinistis Gallicanis, ex altera Hispano, Condaeo, cui potentissima inter Gallos factio erat, et Lotharingo in praedam pateret. Verum *Stenaco* capto, mox Gallus jussit ut Attrebato jam animam agenti succurreretur. Itaque illa minori exercitus Gallicani parte, quae sub Marchione de Fabert *Stena-*
2437 *cum* expugnaverat, ad alteram virium Gallicarum | partem,
v quae sub Turenio copias Attrebatum obsidentes commeatu interea intercludere, et quo posset modo molestiam facessere contendebat, magnis itineribus profecta eique coalita Gallus 25 Augusti in obsidentes impetum fecit, et eorum exercitum cecidit, cepit, fugavit ; quo viso, Cromuellus proficiendi in Gallia jam victoriosa spem abjecit, adeoque non trajecit.

(**55**) In obsidione Stenacensi tres legiones Ibernicae Gallo militarunt. Quarum duae a suae Nationis Chiliarchis, Cormaco Mac-Cartio, Muscriae Vicecomitis filio primogenito, et Richardo *Grace*, quem cum suis cohortibus Ibernicis ex Hispania nuper in Galliam transfugisse diximus, et tertia a quodam Chiliarcho Anglico ducebatur. Ipsum quoque oppidum Stenacense praeter alios Iberni milites sub Condaeo stipendia facientes, donec deserti atque ad deditionem coacti essent, egregie defensaverant. Porro Iberni ibi deditii Muruchum O Brien, Danielis O Brien, Equitis aurati, patre, Tomoniae Comite nati, ex filio nepotem

secuti, post Stenaci deditionem Cormaco in Francia adhaerere, quam in Belgium, quo inviti ex Ibernia accesserant, remeare, quod ipsis ex deditionis articulis integrum erat, maluerunt. Eaedem quoque legiones cum altera Ibernica, cui Dux Eboracensis castra Gallicana, quo disciplinam militarem ediscerent, sequens in Chiliarchum | praeerat, inter pugnam Attrebatensem 2438
praeclare se gesserunt.

(**56**) In obsidione quoque Attrebatensi variae legiones Ibernicae Hispano, Condaeo, et Lotharingo militarunt. Quarum magna pars ad Gallum ante pugnam non uno die manipulatim defecerat, longeque plures ipso pugnae die capti sub suis deinde patriotis in Gallia bellarunt, sperantes futurum ut sub suo Angliae Rege, ejusque fratre, Duce Eboracensi jam dicto, in Gallia exulibus, tandem aliquando in patriam insulam remigrarent, avitasque possessiones Cromuello et Cromuellistis eriperent, quorum astu et tyrannide in Hispaniam et Flandriam potius quam in Franciam transportati fuerant, ne in Francia sub Angli vexillis in unum corpus coalescerent, et cum ipso repatriarent. Rumor etiam suapte natura vero simillimus percrebuit Ducem Eboracensem castra Gallicana sequentem eos ex Hispani exercitu per internuntios clanculum missos ad se invitasse, et secum nec non cum Rege, fratre, in Iberniam propediem redeundi spem fecisse. Notatum fuit Ibernos antea Ormonii in Ibernia studiosos ad Gallum tunc magis quam caeteros transiisse, suum Ormonium Regi Angliae in Gallia semper assistentem etiam extra Iberniam secuturos. Quo factum | ut Condaeus factionis Ormonicae ingenia odoratus, 2438
aliquot ex ea Chiliarchos sub se merentes exauthorarit, eorumque v
superstites legionum reliquias aliis ex eadem natione Tribunis sub se bellantibus, praesertim Moriarto O Brien, Mac-Thomae, et Jacobo O Diomasa concesserit, quorum duos ultimos recens in Chiliarchos induit.

(**57**) Eodem autumno Philippus O Rellius, Tribunus nostras, mille circiter Ibernos, plerosque suos contribules vel devotos sub signis habens ex Hispania, in quam eum cum dictis cohortibus anno superiori ex Ibernia navigasse vidimus, in Belgium appulit, ubi deinde sub Hispano meruit, omnibus legionis illius admirantibus viros lacertosos, ossosos, nervosos, valentissimos, ad bellum natos et jam veteranos milites antiquo Ibernorum ritu strictis braccis et chlamydibus talaribus, iisque plerumque diversicoloribus indutos, quos recens advectos instructa acie cum Condaeus quadam dierum admirabundus

lustraret, et cohortes singulas recognosceret, ubi ad globum primario vexillo astantem penetrasset, excubitor hastam majorem ejus pectori terribiliter intentans jussit lingua Ibernica,
2439 ne | progrederetur. Quo viso Princeps Jacobo O Diomasa, Chiliarcho Iberno, dixit, ut quid vellet, interrogaret, atque interpretaretur. Alter autem a Jacobo interrogatus : Princeps (inquit) bellum tot annos professus non ignoraret haud licere etiam amicis ad primarium vexillum penetrare, nisi petita et obtenta licentia.

(**58**) Haud ita diu post Franciscus de Lotharingia, Caroli, Lotharingiae Ducis, frater natu minor, qui, Lotharingo ad Regis Catholici mandatum in carcerem conjecto, ab Hispano in fratris locum suffectus, ejusque militiae praefectus fuerat, ad Gallum defecit, suamque phalangem in Franciam duxit, ubi caeteris illius belli annis pedem fixit, germano, Lotharingiae Duce, cum quo Ibernos de subsidiis obtinendis egisse vidimus, in Hispaniam transvecto, ibique usque ad belli exitum custodiae mancipato, cui antequam Iberniae opem ferre conaretur, non nullae, postea vero usque ad incarcerationem plures legiones Ibernicae militarunt. Ipso autem capto atque in custodiam dato, illarum una sub suo Chiliarcho Thadaeo O Meara ad Condaeum se recepit, tunc ab hoc Principe cohortibus Ibernicis, quae ab O Drisceolo et Daniele Mac-Cartio ducebantur, aucta, O
2439 Drisceolo in subchiliarchum | cooptato. Porro aliae legiones
v Ibernicae in Lotharingi phalangem insertae cum Principe Francisco de Lotharingia in Franciam transierunt sub Chiliarchis Jacobo O Conoro ex O Conoris Lageniensibus oriundo, Georgio Cusaco, antea Innisbofinniae in Ibernia Gubernatore, et Dudlaeo Costelogho. Quorum primus a tertio Parisiis inter duellum male tractatus, haud ita diu post expiravit. Georgius vero post aliquot menses receptis a Gallo pecuniis in legionem suam distribuendis, relicta a tergo non pecunia, sed legione, in Belgium rediit, causatus inter alia, se inconsulto, Principem Franciscum ad Gallum descivisse, seque legione, quam in Belgium reducere nequiret, multari, quam fidem Hispano sub Lotharingo latam fallere maluisse, nec Gallo, quod pecuniam interverterit, injuriam irrogasse, sed pertulisse, cum ipsi legionem ejusque praefecturam alteri pro arbitratu decernendam et longe pluris faciendam saltem invitus reliquerit. Caeterum Georgium velut in se fidum et optime meritum Hispanus in Belgio Tribunum post reditum nominavit, et alteri legioni Ibernicae praefecit.

(59) Aliae quoque praeter eas, quas sparsim memoravimus, diebus illis legiones Ibernicae sub suae nationis Chiliarchis Insequinnio, Richardo Butlero Ormonii germano, Dermitio O Sullevano O Sullevani Magni filio, et Thadaeo O Flahertio, Galli castra sequebantur, praeter aliam | nostratium legionem, 2440
cui Baro Georgius Digbaeus saepe nominatus in tribunum sub Gallo praeerat. Danielem O Nellum, Eugenii O Nelli ex sorore nepotem, habens subchiliarchum ut Iberni milites ad accedendum magis sollicitarentur.

(60) Interea nostrates etiam exulantes circa censuras anno 1648 a Nuncio in Ibernia fulminatas inter se dissidebant, et partium studia apud Iberniam inchoata provectaque in Belgio et alibi fovebant ; quo factum ut a Clero Ibernico tres, nempe Rapotensis, Cluanfertensis, et Patricius Hugonius in Belgio tunc patria exules, Romam miserint libellum supplicem, quem hic ex autographo Latino legas.

" Ad Eminentissimos Dominos Cardinales, et ad Sacram Congregationem Cardinalium de Propaganda fide.

" Eminentissimi Domini.

(61) " Nos infranominati praesules, aliique ecclesiastici Iberni, qui semper ab ineunte nostro nuper bello Catholico, causae Catholicae, et parti Illustrissimi Domini Nuncii Apostolici faelicis memoriae defuncti fideliter adhaesimus, sentientes nos et confaederatos nostros dictae causae Catholicae adhaerentes per adversam partem Ormonicam excommunicatam et in sua pristina erga | Sedem Apostolicam obstinatia adhuc 2440
perseverantem, et huc quotidie ob malos (ut suspicamur) fines v
se transferentem, post proditam per eos et sucs confaederatos totam nostram patriam et causam ibidem Catholicam, non modice laesos et gravatos fuisse, ac timentes nos in futurum per eos gravius et enormius laedendos et gravandos esse, protestamur primo, secundo, tertio, instanter, instantius, et instantissime in his scriptis contra eos, et praesertim in schedula praesentibus annexa nominatos.

(62) " Quapropter ob bonum rei Catholicae publicum et in praeventionem malorum imminentium ex eorum operationibus sinistris futurorum obnixe petimus eos excommunicatos, seu in excommunicationem alias per praefatum Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum fulminatam de facto incidisse declarari

et decerni authoritate Summi Pontificis, et ita declaratos hic debite denunciari, ut hinc amoveantur et expellantur, antequam exequantur stratagemata politica Ormonica sive Cromuellica in praejudicium Reipublicae Catholicae, et in ulterius scandalum nostrae Patriae. Quod sit valde periculosum et maxime timendum, prout ex chara experientia (proh dolor) dicimus. Nam eorum malitia in hoc apparet, videlicet post coarctatum fidelem nostrum patriotam, D. Moriartum O Brien, per eorum sinistras operationes ad subjiciendum arma nuperrime in Ibernia, in-
2441 cidunt hic in novas | conspirationes contra ipsum et caeteros hic sinceros et zelosos Catholicos ad effectum eos deponendi et ejiciendi, et officiales proditorios Ormonicos vice eorum locandi, quo melius et efficacius possint suos sinistros fines in effectum prosequi, etc. Quoad caetera particularia referimus nos ad transcripta D. Halpini, quibus petimus fidem haberi. Datum Bruxellis 25 Aprilis 1654.

Joannes, Episcopus Rapotensis. Walterus, Cluanfertensis Episcopus. Patricius Hugonius, S. Theologiae Licentiatus, Prothonotarius Apostolicus, Pastor Regii Palatii Bruxellensis."

(**63**) Scripturae quoque a Nicolao Halpino huic acto annexae, cui hos tres fidem astruxisse vides, autographum prae manibus est, continens decem paginas in folio, ad Massarium, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretarium, missas, ut eas una cum praefato acto Sacrae Congregationi communicaret. Illam Halpini scripturam deprecandae prolixitatis studio inserendam non duxi. Eo autem spectabat ut tota factio Ormonica omnium Iberniae infortuniorum, ac praesertim pessumdatae in eo Regno causae Cathclicae rea perageretur, et generaliter
2441 omnes | nostrates Catholici Ormonio addicti, et nominatim
v complures ecclesiastici ac proceres nobilesque in Belgio, Francia, atque Hispania tunc exules denunciarentur excommunicati, nec ulterius controversiam pateretur eos censuras anno 1648 a Nuncio in Ibernia fulminatas contraxisse ; rogatumque ut propterea monerentur exteri Principes et Praelati quatenus suos exercitus, diaeceses, et claustra ejusmodi excommunicatis purgarent, et per omnia in ipsos tanquam Ormonii et Cromuelli instrumenta animadverterent, substitutis in eorum loca iis, qui ex eadem Natione a Nuncio in Ibernia steterant. Ad acti quoque superius positi, cui duos Praelatos et Patricium

Hugonium manus apposuisse vides, calcem Halpinus non nullis intertextis subscripsit, eo praeter alia tendentibus ut ecclesiastici Iberni, quorum catalogus intexitur, et quos praefatum actum *schedula annexa nominatos* fuisse indicat, praeter multos alios in prolixa illa Halpini relatione Massario scripta atque acto illi annexa nuncupatos pro excommunicatis haberentur. Verum nec his nec aliis conatibus effectum est ut libelli supplicis authores sui voti compotes evaderent, usqueadeo ut Massarium nec exequendae eorum postulationi institisse, nec libellum supplicem Cardinalibus praesentasse | credam, cujus utique, 2442
nec non dictae Relationis ad Massarium missae autographa P. Richardo O Ferallo, Capucino Iberno, tunc Romae s: tenenti, ab ipso (credo) tradita in P. Richardi Scriniis mihi apertis asservantur.

(**64**) In aliis Halpini litteris hoc anno Romam missis lego Patricium Crellium, Bernardinum Ibernum, et in Ibernia Abbatem Nurensem haud semel superius nominatum, ab anno 1651 circiter ineunte (nam eousque ibat redibatque) in Anglia haerentem, Cromuello fuisse exploratorem, et ad multa mala patranda perniciosissimum instrumentum, adhibitis in continente aliis aliquot nescio quibus catascopis, queis sub fidei Catholicae propagandae, quam nefarius tenebrio suae nequitiae inter Catholicos praetendebat, pallio fucum fecerit, ut eorum opera ad aliorum arcana expiscanda et Cromuello Londini communicanda uteretur. Haec Halpinus partium Ibernicarum a Nuncio olim stantium, quibus Crellius ab initio foverat, alias (ut videtur) studiosissimus, haud semel hoc anno Romam literis annunciavit, magno zelo detestans sceleratissimi Crellii machinationes, et monens ut Aula Romana sibi ab ejus imposturis caveret. An autem Crellius ab anno 1648, quo | 2442
eum Antrimiae Marchioni ex Ibernia in Galliam navigaturo v
velut Consiliarium Nuncius associavit, an posterius tantum in negotiorum gerendorum progressu occulte lapsus sit, me latet? Haud ignoro eum ipso anno 1648 Parisios ex Ibernia recens appulsum in faedus cum Angliae Independentibus potius quam cum Praesbyterianis percutiendum propendisse, exindeque in tricas politicas eo spectantes se immersisse, sicut suis locis retuli. Verum mente clanculum ab Independentibus constuprata, an bona fide velut causae Catholicae, quantum rerum circumstantiae tunc permitterent, sincere profuturus in faedus illud propenderit, non dixerim? Eum tamen ab initio sincere processisse, sed ab Independentibus et Cromuello, eorum

coryphaeo, postea sollicitatum, illorum pollicitationibus et pecuniae in progressu potius succubuisse crediderim, licet ante legationem illam anno 1648 susceptam in Patria insula, praesertim in sua Ultoniae Provincia, velut castitatis Deo solemniter votae trangressor male audierit, proindeque haud pro certo tenendum sit hominem ante faedo illo stigmate notatum etiam ipso anno 1648 suam Independentibus voluntatem occulte non
2443 vendidisse, praesertim cum eventus docuerit eum | saltem postea fidem in se positam prodidisse. Mihi quoque a viro fide digno traditum est Crellium eo demum malae frugis progressum fuisse, ut annis posterioribus pro Cromuelli nutu haereticum professus, nefarium cum quadam ejusdem fermenti muliercula Anglicana matrimonium contraxerit, et ex ea liberos susceperit, sed postea in mortis articulo (nam ibidem circa annum 1658 expiravit) haeresim abjurasse, et egisse paenitentiam.

(65) Suo loco ad annum 1651 Cromuellum cum exercitu victorioso in Scotiam penetrasse, et Regnum illud facili negotio expugnasse retuli. A quo tempore non nullae Iberno-Scotorum, qui quod partem Scotiae montosam incolant, a non nullis *Scoti montani* vocantur, vires in Scotiae montes se receperunt, indeque in Anglos, quoties occasio se offerebat, identidem erumpebant. Cum autem horum ut origo, sic et lingua Ibernica sit, non nulli sacerdotes Iberni pietate ac bonis literis per aliquot annos in Gallia imbuti, ex Francia in Scotiam trajecerunt, ut horum pauciores Catholicos in fide confirmarent, et alios longe plures ab haeresi ad Ecclesiae gremium reducerent, unaque aliis Scotorum, qui non Ibernica sed Anglica lingua utuntur, quique
2443 ad fidem | Catholicam minus propendere dicuntur, verbum
v vitae (nam ecclesiastici nostrates utramque linguam plerumque callent) praedicarent. Hi missionarii magnum in Scotia rei Catholicae progressum fecerunt, quorum haec per transennam mentio efficit ut praesentem tunc Scotiae statum tangam, inserendo hic Relationem Latinam, quam Joannes Valcherus, Scotiae Missionarius, ipseque (credo) natione Scotus, exinde (ut videtur) revocatus, et eodem redire cupiens, ad suum Missionis Praelatum misit hunc in modum.

" *Ex Relatione Missionis Scoticae Mense Aprili* 1654.

Res Civiles.

(66) " Magnae imminent miseriae et turbae ab Scotis

Montanis, qui non contemnendos indies progressus faciunt. Magna enim vis aliorum Scotorum, qui plana incolunt, sese illis quotidie adjungit, non modo ut patriam ex servitute in pristinam libertatem vindicent, verum multo magis Anglorum odio, qui erepta libertate non contenti, bona etiam et vitam conantur auferre, nec aliud spectare videntur quam ut Scotos primum | miseros, deinde nullos reddant. Quare, siqui excutere jugum 2444
aut profitentur aut suspecti sunt, hos ad insulas, si deprae-
henduntur, Americanas damnant, illos confictis criminibus,
seu alia specie, aut eodem amandant, aut alia certe ratione
perdunt. Quinimo (quod pessimum est) augeri delinquentium
numerum non aegre ferunt, quin et nituntur et curant. Nam
tantum tributorum, vectigalium aliorumque invisorum no-
minum miseris et caeteroqui quieturis imponunt, ut aut ad
extrema redacti mendicitatem infamem subire necesse sit, aut
certe, ne turpiter vivant, ad reliquos Scotos, qui in armis sunt,
sese adjungere fortiter saltem morituros, si pereundum sit.
Hinc magna nobilium pars ad montanos secessere. Montani et
suo numero et reliquorum in se Scotorum propensa voluntate
confisi, magna et faelicia animo concepere, promittuntque
sibi, modo uno praelio victores evadant, caetera prona et facilia
rati, animos partium indies confirmandos et Anglos tam adversis
dejectos quam prosperis audaces, a se superandos. Unum
malorum fontem, nec immerito verentur, domesticam di-
visionem, quibusdam pacem, aliis bellum suadentibus, partim
Anglis impunitatem promittentibus, partim pace inter hos et
Batavos confecta et desperatis inde auxiliis, quae non pauca |
promiserant ut una rerum omnium desperatio detinere unitos 2444
possit. v

" Status Haereseos.

(67) " Tanta est mentium, sententiarumque indies mutatio ut plerique hypocrisim, crudelia consilia, et inconstantiam pseudo-Ministrorum exosi, alio mentem avertant. Quidam vero ex prioribus erroribus Puritanismi et Praesbyterianismi in Acephalismum seu Independentiam, quidam in Anabaptismum, quidam demum (quod maxime deplorandum est) in Atheismum praecipites dilabuntur. Pauci Anglicanos errores et Henricum 8^{um} loquuntur, et ii etiam tam frigide ut parum sua interesse videatur quae secta praevaleat, quae deprimatur? Nec magis de his rebus solliciti sunt, quam esse solemus de iis, quae inter

sermocinandum ad fallendum tempus interseruntur. At vero Anabaptistae, Catari seu Puritani, qui supersunt et praesbyterium jactant, item Acephali sive Independentes, ii (inquam) omnes et sua praefervide tuentur et nostra impugnant acerrime. Ecclesiae Catholicae tam ritus quam doctrinam summopere aversantur, et convellere nituntur summo animi ardore, totisque
2445 studiis eo | obversis. Cum his omnibus caute agendum. Nam frigidos illos homines ad animae curandam salutem impellimus et incendimus, sed aegre charitatis ullam flammam concipiunt. Contra fervidos vi rationum agimus, et quamquam non difficulter eos revincamus, tamen pertinaces sunt conceptarum opinionum, nec facile manus dant.

(**68**) " Maximum negotium est cum Atheistis, quippe qui ut omnium maxime destituti a Divina gratia videntur, ita minime omnium de salute animae solliciti. Multi hi numero. Nam in Anglia ad quadraginta hominum millia numerantur, qui hanc nec obscure impietatem sequuntur, cujus etiam in Scotia non desunt sectatores quamplurimi, maxime ex iis, qui publicis curis destinentur. Hanc amant non tam qui praestant ingenii laude (quae enim major stultitia esse potest, quam impietatem consectari) quam qui praestare aut volunt existimari. Porro misera nostrorum conditio, quo facilius dignoscatur, operae pretium facturum me arbitror, si paulo diligentius exposuero, et horum hominum in agendo modum rationemque, et nefandae sectae secreta in apertum protulero. Ii ergo, quibus se non totos credunt, Christianismum obtendunt, et Sossinii placita, qui id duntaxat credendum esse voluit, quod ingenita homini
2445 a natura ratio assequi potest. Sacras | scripturas verbo
v quidem non rejiciunt, sed re ipsa tamen nequaquam admittunt, nec in iis infallibile Dei verbum contineri fatentur, easdem palam negaturi nisi speciosa earundem confessione popello imponerent, et sibi quoque eadem ratione consulerent in lapidationis alioqui futuris periculo. Quis enim ferat homines tam aperte nefandos ? Aut quis in justas iras non extemplo assurgat ? Itaque religionem se eam profiteri dicunt, quae in sacris bibliis continetur, hoc est autem praecepta legis moralia et quaedam hujusmodi, quae a Christo Judaeos explicatius edocta fuere. Caeterum omnia fidei mysteria denegant, et in Sanctissimam Trinitatem impiissime blasphemant, Athanosii duntaxat figmentum esse clamitantes nullum in scripturis nedum in ratione fundamentum habens. Quod si Christum in scripturis Deum vocitatum dixeris, appellationem illam Domino

convenire ex officio non ex natura respondent et tandem Regnum Patri tradidisse. Controversiarum regulam Sacram Scripturam non inficiantur, nec tamen in ea divinam authoritatem agnoscentes, sed perfectiorem normam (ut dictitant) non invenientes, ei sese submittere tanquam homines, earum regionum incolas, in quibus leges non optimae vigent sed receptissimae. Si | urgeantur de statuenda fidei regula, 2446
rectam hominis rationem optimam normam et credendi et morum dicunt esse. Multi horum immortalitatem animae negant. Daemonum existentiam rident. Gratiam humani commentum ingenii appellant et irremeabilem, quo se mens inclusit, labyrinthum. Haec et multa his similia absurda sequuntur, et palam quidem, quando citra noxam aut damnum licet. Quin vero cum tuto permissum est ineptire, tum religionem omnem derident, eamque in res humanas invectam dicunt Principum solum et legislatorum fraude non nisi ad continendos hominum animos in officio. Deum siqui fatentur aut mundi animam aut ens necessarium appellant. Quid multa si ullam de fide mentionem ingeras, tum demum credituros se aiunt cum montes per fidem e loco motos viderint et qui venena innoxie bibant. Sin vero, nec se credere nec alios volunt.

(**69**) " Sed horum omnium una et constans sententia est, aut nullam aut solam Catholicam in se religionem veritatis quidpiam habere et se non nisi complexuros Catholicam si ullam profiteri vellent. Sed si convertuntur, parum fidimus, nisi fideles se multis magnisque adversitatibus comprobent.

" *Status Religionis Catholicae.*

(**70**) " Inter has tenebras magna lux veritatis oborta | est, 2446
quamplurimis miserias tandem suas deflentibus, et ad agni- v
tionem veritatis venire cupientibus. Quare fit ut in gremium Ecclesiae multi quotidie recipiantur non e plebe modo, cujus magnus numerus convertitur, sed e nobilibus quoque et paulo ditioribus. Inter caeteros N.N. &c.

(**71**) " Maximus autem est numerus eorum, qui in ipso mortis agone et in extremis constituti, sacerdotum ministerium implorant, et sacramenta sibi dari poscunt, ut nunc palam inversum sit, Ministris ipsis fatentibus et indignantibus, tritum olim apud haereticos dicterium, quod vel de ipso Bellarmino impudentissime jactabant, Catholicos videlicet vivere in re-

ligione Romana, sed in Protestantium fide animam exhalare, nunc e contra neminem tuto e vita excedere, quin Catholicae prius Ecclesiae communicet. Magni haec res momenti est, et magnae mutationis animorum, omnium testimonio clarissimum indicium.

(72) "Et plane nulla Missionariis requies ab opere, et nunquam tanta messis tam paucis operariis sese obtulit in Scotia. Nam vix Catholici hominis domum ingrediuntur, cum undequaque literis evocantur aut ad opem aegrotis ferendam, aut ad Sacramenta sanis administranda, aut ad colloquium
2447 cum haereticis de rebus religionem | spectantibus habendum, et nunc non immerito dici possit : Messis multa, operarii pauci." Hactenus illa Relatio. Porro quam justissimo Dei judicio redacti sunt ab Angliae rebellibus ad has rerum angustias Scoti, qui funestum hoc bellum exorsi eosdem sectarios in Catholicos, ipsumque Regem, et in haereticos ipsi adhaerentes concitarint, et sicut initio, ita et in belli progressu turpissime se gesserint.
Sap. 11. *Per quae peccat quis, per haec et torquetur.* Notatuque dignum est eosdem Scotos, licet tanta insolentia in Catholicos insurrexerint, et non solum Scotiam, sed etiam magnam Ultoniae in Ibernia partem possederint, numerosissimamque in Anglia et Ibernia Puritanorum Anglicorum factionem secum secta Calvinistica conjunctam habuerint, et denique exercitus Scoticus, ad aliquot hujus belli annos Parlamento Anglicano stipendiarius, rapinis et aeruscationibus illos sicarios eorumque Regnum ingenti re pecuniaria emunxerint, ita tamen Deo eorum superbiam puniente animis demum cecidisse, ut Cromuellus et Cromuellistae ipsos in Scotia et Ultonia longe facilius quam Catholicos vel in unius Momoniae, quae Iberniae Pro-
2447 vincia est, parte debellarint, etiam inter se partium | studiis
v adeo divisis, ut non tam haereticorum virtute bellica, quam suis discordiis devicti fuerint.

(73) Hoc anno Dominica Resurrectionis Edmundus O Duir, Episcopus Limericensis, Bruxellis paulo ante horam meridianam 5° Aprilis expiravit. De quo Doctor Encs, tunc in Belgio se
Just. cap. 28. num. 12. tenens, "talem (inquit) se moriens, qualem in vita se gesserat, exhibuit, acceptamque intra fauces sacram synaxim exerta lingua expuit, serium suis in defectione sociis tempestive paenitentiae relinquens monitum." Haec ille. In illa prolixa Nicolai Halpini relatione Latina ad Massarium ex Belgio in Urbem hoc anno mense Aprili scripta, cui duos Episcopos Ibernos, Rapotensem et Cluanfertensem, nec non Patricium Hugonium per

actum hoc ipso anno 1654 25° Aprilis Bruxellis datum et superius positum fidem astruxisse vidimus, idem Halpinus adducere conatus est Aulam Romanam ad illos ex Iberniae Catholicis, qui Nuncio adversati fuerant, etiam exules agitandos, multa, quae ibi suggesserat, faciendo et inter alia " mandando (inquit) Mecliniensi ejicere corpus Episcopi excommunicati Limericensis ex sacra sepultura, et dictum corpus sepelire in loco communis | supplicii in terrorem omnium suorum confratrum, Ormoni- 2448
corum Episcoporum perseveraturorum in sua obstinatia usque ad mortem, uti ipse perseveravit, et in articulo mortis suam culpam agnoscere negavit, justificando suum errorem et allegando censuras ecclesiasticas Illustrissimi Domini Nuncii fuisse invalidas, et de jure nullas, et a quadam Academia Catholica condemnatas, etc.

(**74**) " Est mirandum et terribile quid quomodo nihilominus fuit hic receptus et quasi adoratus a suis discipulis, Clero hic Ormonico, et quomodo post ejus mortem in sua (ut praemittitur) obstinatia sollicitarunt ipsum solemniter sepeliri modo Pontificali, quasi esset Sanctus, vel de Ecclesia Dei bene meritus et expulsus pro religione, et quomodo fecerunt istum bonum et pium senem, zelosum patriotam nostrum, Episcopum Rapotensem et zelosum Catholicum, P. Patricium Hugonium, Protonotarium Apostolicum, Licentiatum Theologum, cum ipsis sollicitare praemissa, false suggerendo ipsis ipsum fuisse absolutum, ante captum Limericum, ab Episcopo Immolacensi faelicis memoriae pro religione supplicio affecto. Quo maxime praevaluissent, nisi ego praevenissem, informando eosdem Rapotensem et P. Hugonium de veritate rei, et inde suadendo eis ut revocarent | quae fecerant, et accederent ad D. Inter- 2448
nuncium et procurarent mandatum ad sepeliendum ipsum de v
nocte privatim, donec ulterius reciperent Roma mandatum. Quod operabitur multum boni in terrificando malignos et animando sinceros, et multo magis si ejiciatur ex sacra sepultura." Haec ille, quae in Urbe ad ejus votum ponderata fuisse non video, cum peracta non sint, imo Massarium operam adhibuisse non inveniam ut in Episcopi Limericensis tanquam excommunicati cadaver animadverteretur, et ex sacra sepultura effoderetur. Porro ab hoc Episcopo vivo quidem vegetoque magnam, sed a moriente et jam mortuo majorem superstites Ormonistae se authoritatem derivasse jactabant in suae causae defensionem, allegantes eum totius controversiae fundamenta, initium, et progressum optime novisse, eumque solum (nam

alii quidam Praelati non nisi in aliorum absentium supplementum et ad tempus anno 1648 Consiliarios egerunt) fuisse, qui inter illas contestationes ambarum partium, nempe Concilii Supremi tanquam Consiliarius, et Cleri velut Episcopus, rationibus discutiendis plus interfuerit, nec tamen etiam in mortis articulo constitutus inducias eodem anno 1648 cum
2449 Insequinnio contractas sed censuras velut invalidas | et ipso jure nullas improbarit. Verum inducias illas iniquissimas fuisse, proindeque Episcopum illum, si non in suae conscientiae dictamen, quod forsan bona fide erroneum fuerit, certe in alias millenas aequitatis regulas peccasse, alibi fusissime demonstravimus. Quibus addo Deum forsan in justissimam peccatorum paenam permisisse illam ejus impaenitentiam.

(**75**) Hoc pariter anno in Hispania diem obiit Archiepiscopus Cassiliensis, Thomas Walshaeus, vel (ut alii levigant) Valesius, cujus elogium authore P. Guillelmo Salingero, vel (ut alii scribunt) a Sancto Leodegario, Compostellani Ibernorum Collegii Rectore, ejusdem nationis Jesuita, Latine contextum, et Illustrissimo D. Alonso Perez de Guzman Indiarum Patriarchae dedicatum, ex libello Antuerpiae ad annum 1655 typis mandato hic sequitur :

" *De vita et morte Illustrissimi Reverendissimique Domini D. Thomae Valesii, Cassiliensis in Ibernia Archiepiscopi, Momoniae Metropolitani et Primatis, defuncti Compostellae die* 5ª *Maii* 1654.

(**76**) " 1. Non sine speciali Divini numinis providentia factum arbitror quod cum ineunte Februario anni salutis 1653 ex Ibernia exul, ad S. Sebastiani portum in Guipuscoana Hispaniae
2449 Provincia | appulerim, superiorum, quos Deus dirigit, ductu
v et eximia charitate Compostellam missus, illuc venerim mense ejusdem anni Septembri, quo ipso tempore Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Thomas Valesius Cassiliensis in Ibernia Archiepiscopus, Momoniae Metropolitanus ac Primas, post varias aerumnas, pericula plurima terra marique exantlata, incommoda, bonorum jacturam, longum ac molestum carcerem, et ipse fidei causa ab haereticis exul proscriptus, Corunnae in Hispania appulit. Id ubi utrinque intelleximus, illico literis ad me datis rogavit ille ut sibi a Patribus Societatis hospitium in Compostellano Ibernorum Collegio tantisper impetrarem

dum a febri, qua laborabat, convalesceret, et Madritum se reciperet. Annuerunt ultro et prolixe Patres. Venit ille Compostellam, ibique praeter spem octo circiter menses in gravibus ac molestis haesit morbis. Quibus tandem confectus, omnibus Ecclesiae sacramentis rite munitus, et ad mortem quam optime comparatus, animam Deo reddidit. Dubitare non possum de faelici ejus morte et faeliciori jam in caelis sorte. Transiit enim per meas manus beata illa anima, et vel ex hoc fortunatum me judico, quod apud me mortuus sit ille, qui intus et in cute mihi notus, constanti necessitudine charus fuit et familiaris. | Unde 2450
licet non omnia (non enim omnia scire possum), tamen quae mihi de illo perspecta sunt pauca aliqua ad Dei gloriam, proximorum utilitatem, et faelicem tanti praesulis memoriam visum est referre.

(77) " 2. Natus fuit Thomas generosis et summe Catholicis parentibus in Waterfordiensi civitate Iberniae. Civitatem hanc semper Catholicam primum Jacobus, Magnae Britanniae Rex, dein ejus exemplo alii passim haeretici parvam Romam appellabant, in majoris Romae, cujus haec filia, ac Romanae fidei cujus est tenacissima, odium apud illos et contemptum. Ex illa prodierunt nostra aetate viri eruditione, pietate, prudentia, rebus domi forisque praeclare gestis, honoribus et titulis illustres et conspicui. Illustrissimus Petrus Lombardus, Archiepiscopus Ardmachanus, totius Iberniae Primas, Reverendissimus Thomas *Stronge*, Ossoriensis, Patricius Comerfordus Waterfordiensis, et ipse noster Thomas, Episcopi. Prodierunt alii viri ecclesiastici tam saeculares quam Regulares innumeri, ex quibus in nostra Societate fuerunt quinque germani fratres Waddingi, Walterus, Petrus, Thomas, Michael, Lucas. Fuit et Richardus Valesius, Thomae nostri frater, in Hispania et | Ibernia celebris Divini 2450
verbi praedicator. Fuerunt Whiti, Sherloci, Lombardi, Clari, v
Comerfordi, Morgani, Murtaei, Vallaei, Lenardi, Carvaei, Madanni, Briverii, aliique Societatis filii, strenui et industrii vineae dominicae operarii, partim defuncti, partim superstites. Nam dum haec scribo, ex ipsa civitate Waterfordiensi in Societate superstites numerantur decem ; nimirum faecunda Societatis mater semper extitit ac etiamnum extat Waterfordia. Ex illa prodierunt alumni plurimi aliorum sacrorum Ordinum Sancti Augustini, Dominici, Francisci, Bernardi, Benedicti, pietate et eruditione clari, Valesii, Waddingi, Strongi, aliique. Prodiit denique Illustrissimus Andreas Wise ex Melitensi Ordine S. Joannis, magnus Angliae Prior, Catholico Regi a belli

consiliis. Prodiere alii Equites et militiae ductores sub Catholico Rege terra marique fortes et fortunati.Et his omnibus sanguine et cognatione junctissimus fuit noster Thomas : ' *Ex fructibus*
Matt. 7. *eorum cognoscetis eos. Non potest arbor bona malos fructus facere.*' Illius parens in gravi, quae sub Elizabetha, Angliae Regina, fuit, Ecclesiae persecutione, non semel passus est bonorum omnium jacturam, et diuturnum ac molestum carcerem ob sinceram fidei Catholicae professionem et defensionem.
2451 In carcere dum | detinentur parentes conceptus fuit noster Thomas, et pater aliquando maestam uxorem consolans: ' Eia (inquit) magno esto animo. Paries mihi filium ac Ecclesiae Dei Praelatum et Episcopum.' Praedictionem probavit eventus. Ipso illo partu natus est Thomas. Erant illius parentes justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus. Fuerunt illi omni virtute, imprimis pietate, probitate, liberalitate, et hospitalitate conspicui. Patre mortuo mater vidua totam se pietatis et charitatis exercitiis impendens, sacerdotes et Religiosos cum evidenti vitae et perdendorum bonorum periculo excipiebat, fovebat, celabat, illis pedes lavabat, hospitium, victum, vestitum praestabat. Sacerdotes ob persecutionis aestum et pericula Ibernia abire et discedere volentes, importuna ac profusa charitate detinebat. Ex aliis Regnis adventantes in domum suam admittebat et fovebat. Miseris et egenis mensam et domum apertam tenebat, et omnia ample administrabat. Alteram Tabitham crederes et diceres. Pauca ex multis, quae de illis dici possent, haec sufficiant, ut (quod de parentibus Sancti Joannis Baptistae notat Ambrosius) transmissa immaculatae puritatis haereditas in filiis praecellere, et a majoribus ipsoque jure naturae infusa Christi fides in liberis dignoscatur elucere. Talis fuit Thomas noster, bonorum parentum ipse melior filius et proles. |
2451 v (**78**) " 3. Ab infantia crevit et cum illo adulta est pietas et praeclara ad omnem virtutem, urbanitatem, et nobilitatem indoles. Puer duodennis in Hispaniam missus, Compostellae cum avunculo suo, Reverendissimo Thoma Stronge, Ossoriensi Episcopo, viro vitae sanctitate et eruditione conspicuo, fidei causa exule (qui Cathedralis Apostolicae ibidem Ecclesiae Decanus obiit, et in eadem est sepultus) humanioribus literis operam dedit. Postea in Salmanticensi Ibernorum Collegio philosophicis ac theologicis imbutus in sacerdotem rite est consecratus. Absolutis studiis Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, pie, prudenter, gene-

rose peragravit, ac mores hominum multorum vidit et urbes. In Iberniam sacerdos venit, ibique sacerdotalia aliquandiu rite obivit munia, sacramenta ministrando, haereticos ad Ecclesiae gremium revocando, Catholicos ad pietatem et constantiam verbo et exemplo animando. Ex Ibernia in Hispaniam et Italiam rediens, Cassiliensis Archiepiscopus ab Urbano VIII, Pontifice Maximo, Romae est electus et consecratus. Summo affectu Hispaniam colebat, et gratus memorque beneficiorum ac suae in illa educationis, semper de illa bene sentire | et 2452
loqui, ubique illam efferre et magni facere, Catholicum Regem eximio honore et reverentia prosequi, singulares Hispanorum procerum, in primis Illustrissimi ac Reverendissimi Indiarum Patriarchae, D. Alonsi Perez de Gusman, in se favores et beneficia agnoscere.

(79) " 4. Archiepiscopus renunciatus in Iberniam redux diaecesim et Provinciam suam non languide, segniter, oscitanter, sed laboriose, vigilanter, prudenter obibat, adhibitis in sui subsidium et vicem viris, quos de Clero sciebat eruditione, prudentia, zelo, pietate eximie conspicuos, Clerum populumque in officio strenue continebat. Subsidia, auxilia omnia adhibebat ad revocandos haereticos, ad pravos mores, vitia, et publica peccata tollenda, ad bonos mores, disciplinam, litteras, doctrinam Christianam, Sacramentorum frequentem usum introducendum et promovendum. Religiosos Ordines amabat omnes et observabat ; nostram imprimis Societatem, cujus se filium et alumnum ubique agnoscebat, et praestabat, nobis semper familiaris, nostra utebatur opera, seque nobis credebat, dicere solitus ibi omnia recte processura, ubi Societas Jesu sua libere obiret munia. Nihil cupiebat magis quam ut Societas in Ibernia, in sua maxime diaecesi, | sedes haberet ac domicilia. Id ut 2452
effectum daret, nihil quod potuit non fecit, totum se et sua v
ad hoc contulit. Waterfordiae, ubi natus est, Collegii fundationem promovit, et nisi bellorum injuriae et calamitates obstitissent, majora praestaret, utiliora meditabatur. Fuit a morum suavitate, urbanitate, educatione, omnibus nobilibus et primariis maxime viris summe gratus. Nihil illo mitius, tranquillius, modestius ; nihil in dubiis, arduis, adversis rebus cautius, ac prudentius ; nihil in Dei honore et obsequio promovendo sanctius, fortius. Ecclesiae et fidei Catholicae rem pro virili, constanter, ope, opera, consilio, promovit. Nullum illius causa laborem, molestiam, periculum subterfugit.

(80) " 5. Illustrissimum D. Petrum Franciscum Scarampum

ex Congregatione Oratorii, a Sede Apostolica in Iberniam tanquam Angelum e caelo missum, pro eximia viri pietate, prudentia, animi magnitudine, zelo, laboribus, generosa comitate omnibus summe charum, aeternaque apud nos memoria dignum suspexit, coluit, amplexus est. Illustrissimum Excellentissimumque D. Joannem Baptistam Rinuccini, Archiepiscopum
2453 et Principem | Firmanum, extraordinarium in Ibernia Nuncium Apostolicum, summo ubique honore et observantia prosecutus, splendido excepit hospitio, et praeter specialia munera pecuniarium ad rem Ecclesiae promovendam et sustentandam liberaliter contulit subsidium.

(**81**) " 6. Inter non nulla fidei et religionis causa ab illo tolerata, dum convocato Clero anniversariam pro ecclesiastica reformatione et Divino cultu promovendo Synodum de more celebrat, ecce tibi prodeunt regii satellites et lictores cum authoritate et mandato ut ipsum capiant, et captum ac vinctum Dublinium, quae Regni metropolis est, ducant, ac Proregi et Concilio haeretico sistant. Synodum hanc non in oppido ullo aut domo, sed in nemore aut saltu ab hominum consortio et accessu remoto, celebrabat, tum ut quietius et tutius Ecclesiae rem ageret, tum ut nulli Catholico hac occasione periculum crearet aut damnum. Sciebat enim vitae et bonorum perdendorum periculo obnoxium illum, in cujus domo ejusmodi ageretur congregatio. Non latuit haereticos satellites negotium et locus. Adsunt illi ex improviso. Mandatum exponunt.
2453 Archiepiscopum poscunt. Sibi tradi | mandant. Audit hoc
v pastor bonus, et lictoribus indubitanter ad se admissis, quid velint, quem quaerant, rogat ? Respondent illi regia authoritate et mandato se instructos venire ut in illum manus injiciant, Dublinium ducant, ac Proregi sistant. Urget ille numquid aliud in mandatis habeant ? Referunt illi aliud sibi nihil esse commissum. Ergo (ait ille) satis vobis factum. Ecce ego vobiscum sum ; et ad Clerum conversus : sinite hos abire. Abite, carissimi, vestrum pastorem Deo commendate. Jam captus, ad ipsum Cassiliensem pseudo-Archiepiscopum ductus, postea Dublinium missus est. Dublinii a Prorege in variis examinatus, Archiepiscopum se esse, Cleri et gregis sibi crediti curam habere et exercere agnoscit (et hoc ipsum fateri et agnoscere crimen fuit capitale), et ad objecta prudenter, sincere, fortiter respondit. Praecipuum scilicet crimen fuit quod esset Catholicae Majestatis, Hispaniarum Regis, observantissimus servus ac cliens ; quod a Catholico Rege stipendium aut pensionem acciperet, pro illo

in Ibernia staret, ac ageret. Nam haec et similia Catholicis, maxime ecclesiasticis personis falso affingunt | et objiciunt 2454
haeretici. Ad haec intrepide respondit Praesul: Fateor enim-vero me Catholicae Majestatis observantissimum servum ac clientem esse, et nisi is sim, profecto ingratus ac impius haberi ac censeri merito debeam. Agnosco eximia Catholici Regis in me, ac Ibernos de Clero populares meos, beneficia ac regiam munificentiam. Sub illo in Hispania et Belgio tenemus collegia, Regiis ab illo stipendiis ac liberalitate pie fundata et dotata. In illis vivimus, fovemur, ad literas et pietatem informamur, et educamur. Ex hoc numero me esse fateor. Quo nomine, si quid obsequii Catholicae Majestati praestare possem, id utique libenter facerem. Accessit specialis Catholicae Majestatis in me beneficentia, stipendium mihi assignatum, ut cum Sedis meae bona, proventus, et redditus mihi a vobis negentur, possim honeste, sine Catholicorum, inter quos versor, gravamine pro dignitate utcunque vivere, et aliis subvenire potius quam oneri esse. Hoc gratus agnosco ac depraedico. Verum quod ad fidelitatem Regi ac Principi debitam attinet, nego me unquam in illam peccasse, aut alteri ulli rei nisi pastorali meae curae immiscuisse, et cum hac mea | cura et officio fidelitatem non 2454
tantum stare, sed et melius et sanctius praestari posse affirmo. v
Prorex rebus omnibus acriter examinatis, cum nihil nisi probum et innocens in illo deprehenderet, vadimonio et trium generosorum virorum fidejussione de comparendo intra dierum decem monitionem pro illo data et praestita, illum postea ad libitum revocandum dimisit. Prorex porro fuit is, qui paulo post Parlamenti decreto Londini capite est plexus, magni animi, ingenii majoris vir, Thomas Wentworth. *Nolite tangere Christos meos.* Neque praetereundum in hac sui comprehensione ab pseudo-Episcopo ejusque familia humaniter et urbane fuisse exceptum Praesulem nostrum, et dum captus Dublinium duceretur, inter alia humanitatis officia filium suum custodem ac socium illi ab pseudo-Episcopo fuisse appositum. Porro adolescens haereticus, pseudo-Episcopi filius, Praelati nostri conversatione, cohortatione, ac sancto exemplo (uti credibile est) commotus, non ita multo post patria et parentibus relictis, Romano itineri se dedit, et abjurata haeresi ac erroribus, Catholicam fidem publice amplexus est et professus, ac illam hodieque constanter profitetur. |

(82) "7. Lucido ecclesiasticae, quae non ita pridem in 2455
Ibernia fuit, libertatis intervallo, Catholicis Praelatis templa et

ecclesias suas recipientibus, Cathedralem suam Cassiliensem bene instruxit, eleganter Praesul noster ornavit, et in ea ad Dei cultum omnia rite servari fecit. Ecclesias et templa per diaecesim ab haeresi destructa refecit, et parochis, sacerdotibus, altaribus decenter instruxit. Splendorem et morem, quem in Hispania et Italia in ecclesiarum Praelatis vidit et notavit, in se, familia, palatio, curia decenter eleganterque expressit. In domo et familia servabat modestiam, elegantiam, nitorem, copiam. Nullam ferebat petulantiam, licentiam, aut dissolutionem. Religiosam domum putares ac crederes. In pauperes ac egenos munificus fuit ac liberalis. Nuper in Hispania viro generoso, exuli, inopi, pannoso, male vestito, alteram, qua ipse induebatur, tunicam seu penulam sibi detractam dedit. Non decet (inquiens) me duplicibus et generosum virum simplici veste male vestiri. Et adjecit quibus calcei et tibialia emerentur nummos. Ab illo tempore adversus brumae frigus pallium seu chlamydem gestare illi necesse fuit. Ad hunc modum uni galerum, collaria alteri, huic indusia, illi calceos, isti chlamydem, variis varias suas vestes dispersit, dedit pauperibus; nihil necessarium, nedum superfluum, sibi
2455 reservans, | ut jam moriens quo tegeretur vix haberet. Unde
v facile est conjicere quid superiore vita rebus omnibus affluens hoc in genere egerit. Ferebatur speciali pietatis et misericordiae sensu in illos, qui aliquando opulenti rerum copia affluentes hospitales ipsi et misericordes ad miseriam et inopiam belli injuriis aliisque infortuniis sunt redacti, quales in Ibernia nupero bello erant plurimi. Hos domo et hospitio prolixe excipiebat, illis occulte et clam magis subveniebat, benignum se ac facilem praestabat. Non nullis mutuos nummos petentibus, exigua aut nulla recuperandi spe suppeditabat; quod dum ab amicis, ut minus prudenter factum objiceretur, respondebat illos si ad pinguiorem fortunam redierint, cum gratia mutuum reddituros; si minus redierint, animo ad solutionem, quod satis est, fore paratos. Utrobique charitatem et misericordiam, quae magnam apud Deum habet remunerationem, exerceri. Et ex his non nulla constant debita, quorum solvendorum nulla spes, de quibus in morbo nihil auditus est dicere aut statuere. Unde illis pie datum et condonatum interpretamur. Religiosis et Monialibus sororibus in patria primum, dein exulibus exul ipse compatiebatur et benefice subveniebat. Sacerdotes et
2456 viros | Religiosos, aliosque quantumvis tenuiter et quiete stabili et certo in loco victitantes, tanquam sui officii et status

memores, ac Divini cultus observantes laudabat, commendabat, amabat. Errones, vagabundos, et varia loca otiose circumcursantes nequaquam ferebat, illosque ad certam stationem, officium, et laborem hortabatur et excitabat.

(83) " 8. Re Catholica per bellum in Ibernia inclinante et occidente, Cassiliam ejus civitatem, et Cathedralem in ea ecclesiam, quo Clerus et cives tanquam in asylum et munitionem se receperunt, invadunt, ac vi armorum occupant haeretici hostes, et altaribus, imaginibus, rebus sacris laceratis ac violatis, omnes in ore gladii trucidant. Sacerdotum, Religiosorum, civium sanguine et caede templum polluunt, funestant, profanant. Archiepiscopi, quae vicina erat, domum et castrum non semel spoliant et expilant, supellectili copiosa sacra et profana sublata, domo et castro misere destructo et violato. Hic ipse domicilio spoliatus, vitae consulens, et hostium furorem ac rabiem declinans, de loco alio in alium se recipit. In sylvis et montibus nonnunquam pernoctat, hospitio et tecto vel exclusus, vel quod in illis esse tutum non putaret. Limerici longam obsidionem et ex obsidionis miseriis gravem et pene laethalem morbum est passus. Tandem ab haereticis | hoc 2456
solo nomine, quod Praelatus et sacerdos esset, captus, in V
carcerem conjicitur, ubi humana omni ope et solatio destitutus, novem amplius mensium spatio cum morbis et miseriis continuo colluctans, nihil quod potuit de pastorali cura et sollicitudine remisit. Sacerdotes, qui partim cum illo in vinculis erant, partim foris proximorum saluti prospiciebant, ad patientiam, prudentiam, et zelum animarum excitans et animans. Catholicos, qui illum frequentes adibant et invisebant, consiliis et monitis ad pietatem et in fide constantiam hortabatur. Ad fidei in periculis et persecutionibus conservationem efficacia media variis varia suggerebat. Ex illis adolescentulos duos bonorum ac Catholicorum, quos belli injuriae fortunis everterant, parentum liberos haereticis mercatoribus ad servitium et mercatoriam artem traditos, et inde in fidei naufragio versantes, lytro pecuniario pro illis soluto clam redemit, ac in Hispanias secum duxit, in Catholica fide conservandos et educandos.

(84) "9. Notabant ipsi haeretici indignam tanti viri in carcere conditionem, et indulgere ac gratiam facere volentes, offerunt jam infirmo seni, podagra aliisque morbis laboranti, seque movere | non valenti, liberam in Ibernia et privatam 2457
inter amicos residentiam ac habitationem, ea tamen lege et cautione, ut promittat ac in se recipiat functiones episcopales

et sacerdotales se non obiturum ; Missam, Confirmationem, sacros ordines, aliaque sacramenta non ministraturum. Indignam hanc conditionem generose et fortiter repudians Praesul : ' ad hoc (inquit) vocatus, ad hoc consecratus et in Iberniam missus sum, ut Deo ejusque Ecclesiae pro munere et virili serviam. Citius : Ah ! citius mortem quam conditionem illam subibo. Prius vita quam exercendorum munerum libertate privabor.' Ita ille. Quare exilio damnatus, haeretici gubernatoris imperio militum manibus et humeris a carcere in cymbam, e cymba in onerariam navim funibus et trochleis (quod ipse se movere non posset) sublatus est et repositus. Dum ad navem ducitur, dum in anchoris stans navis solutionem praestolatur, ecce Catholici ex Waterfordiensi, nativa sua civitate, plerique sanguine et cognatione illi juncti, ex ipsius diaecesi locisque vicinis ad portum accurrunt, in genua pro-
Act. 20. voluti benedictionem rogant, sacras deosculantur manus, flentes ac ejulantes quod illius faciem non essent amplius visuri, quod
2457 pastore | spoliati lupis relinquerentur, et periculum, quod ab
v haereticis ob haec pia obsequia et officia illis certum imminebat, contemnentes, affatim omnia toto navigationis cursu necessaria illi suppeditant, hic culcitram, ille lodices et stragula, iste vestes, varii varia, carnes, pisces, vinum, panes, cervisiam, tanta copia ut cum ob vectorum numerum et longam navigandi moram ac tempus cibaria postea deficerent, ille de suo profuse suppleret ac praestaret, et peracto navigationis cursu superesset quod in Hispania appellens in egenos et pauperes erogaret. In navi militibus referta et graveolenti dierum quindecim spatio tempestatibus jactatus, maris incommodis et periculis fractus Corunnae in Hispania appellit. Ibi rogante id per literas Excellentissimo Principe Archiepiscopo Compostellano, quamdiu per vires et valetudinem potuit, Confirmationis sacramentum ministravit. Inde Compostellam infirmus lectica vectus, ineunte mense Octobri anni 1653 in Collegium Ibernorum divertit. Hic febri ad tempus, continua vero et inveterata plurium annorum podagra afflictus, octo circiter insumpsit menses, donec tandem morbo praevalente, viribus naturae deficientibus, inter |
2458 alumnorum circumstantium preces et lacrymas placidissimam suo Creatori animam tradidit. Summa illum charitate amplexus est Excellentissimus Princeps Archiepiscopus Compostellanus, Ferdinandus de Andrade et Soto maior et inter varia beneficia suum apposuit medicum, qui illi in morbo et infirmitate prospiceret, et ad sanitatem spectantia (quod ample factum)

suppeditaret. Adfuit eximia charitate et sollicitudine perillustris et admodum venerandus D. Christophorus de Aguirre, Apostolicae Compostellanae Ecclesiae Canonicus meritissimus, et saepe saepius visitans ac consolans nihil illi deesse sinebat. Omnia ultro, prolixe, clam, palam, subministrabat ac procurabat, qua in parte vir notissimae in pauperes ac miseros misericordiae et pietatis me hic recenter advenam, ignotum, vulgaris linguae ac loci ignarum juvabat, et quae a me fieri et procurari debebant, praestando, molestias et sumptus ipse subibat, illis me levabat.

(85) " 10. Porro in morbo ac morte, quae et quanta patientiae, pietatis, aliarumque virtutum dederit noster Praesul documenta, longum, sed pium ac utile esset recitare. Collegae nostri Compostellani Illustrissimum Praesulem exulem tot | periculis 2458
et incommodis ereptum, jam hospitem suum, qua par erat, v
observantiae et laetitiae significatione excipere volentes, poemata varia et orationem in ejus adventu gratulabundi apparabant, jamque erant recitaturi, cum ille modeste et graviter : mittite (ait) charissimi, omittite ista minus necessaria tempori ac conditioni huic meae non congrua honoris officia. Vestra pietas et benevolentia satis perspecta abunde illa supplet ac superat. Agamus pariter Deo gratias ; illi honorem omnem et laudem tribuamus. Et hisce dictis silentium imposuit. Quod collegae, ne illi offensam crearent aut displicentiam, sunt amplexi ; et ex illa humilitate et honoris, quem in illo notarunt, contemptu ad majorem illius honorem, reverentiam, et observantiam excitati.

(86) " Compostellae in ejus adventum speciali Patrum cura et charitate, apparatum fuit cubiculum, sedilibus, tapetibus decenter instructum, adhibitis ad lectum sericis, pretiosis peristromatis, aliisque ornamentis. Id ad breve tempus tulit Praesul, dum urbanae ordinariae (ut fit) salutationes et visitationes transirent, quibus peractis, status ac conditionis suae memor, rogavit illa deponi et seponi, et ad ordinariam Collegii normam cubiculum redigi. Restiti | ego primum, et opposui 2459
quod id ejus dignitate et persona minus dignum judicarem. Sed ille : me (inquit) Praesulem et exulem esse nemo ignorat. Scio cum Apostolo humiliari, scio et abundare ; ubique et in Philip. 4.
omnibus institutus sum et satiari et esurire et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Expertus satis haec didici. Fuit cum foris in exteris Regnis. Fuit cum in palatio et domo mea suppeteret rerum abundantia et splendor.

Transierunt ista. In carceribus, latebris, montibus, sylvis, penuriam, incommoda, aerumnas passus sum. Exulem me jam et proscriptum tempori aptari decet, et Divinae quae de me est dispositioni ac voluntati conformari. Non est in exilio quaerendus splendor aut luxus. Non nescio dignitatem et personam meam ista ferre. Sed non ferunt census, media, et exulis conditio. Nam illa ferre et adhibere quid aliud esset quam in exilio splendorem et luxum non amittere et perdere, sed mutare et quaerere? Non faciam. Non feram. Et constanter urgens tandem evicit. Nec cessavit donec ornamenta amoverentur, et cubiculum modeste relinqueretur compositum. Hanc ob causam in cibo, potu, rebus ad vitae sustentationem
2459 spectantibus tenuitatem sectabatur | et parsimoniam, super-
v flua et exquisita respuebat; necessaria ipsa et congrua vix admittebat ac aegre ferebat in pharmacis adversus morbos e medicorum consilio praescriptis sumptus fieri, quod vitam cujus eum taedebat, tanti non aestimaret. Videbat ille indies magis magisque invalescente morbo sibi apud nos hyemem et ultimum fore diem agendum. Caeterum in periculis, angustiis, rerum omnium quam passus est jactura, ordinarias Episcopi vestes, hypoditem (Rochetam vocant), utramque togam, Pallium sacrum, pectoralem crucem, et annulum sibi auferri non est passus. Illa semper servavit. Illis in Hispania vivens moriensque est usus.

(87) "Neque haec afflicta conditio aut inopia quidquam minuit de animi illius magnitudine, authoritate, et gravitate, quam ita constanter adhibuit ut humile aut indignum sibi proponi ferret aut rogari. Nihil nisi aequum et justum statueret et concederet. Acres et molestos in variis, quibus afflictabatur, morbis habuit dolores. Duos integros menses in lecto movere se vix valens, nihil pene cibi sumpsit aut edulii, ut medicis, illum tandiu sine cibo vivere potuisse, ad instar miraculi sit visum. Agnoscebat specialem Dei erga se vel in hoc pro-
2460 videntiam, quod ex haeretica Iberniae | Babylone in Catholicam Hispaniam fuerit ductus, ubi sacras campanas audire, Missae et sacramentorum beneficio frui; ubi Patribus Societatis, quos unice amabat et colebat, adesse; sacerdotes et Religiosos viros videre, sacra Catholicae religicnis exercitia et ritus libere exercere liceret. Ubi haeresis non audet caput attollere, et sacra Inquisitione punitur et premitur, non minus quam Catholica fides nunc in Ibernia ab haeresi opprimitur et vexatur. Haec ille laeto ore depraedicare et speciales hoc nomine Deo gratias agere.

(88) " In Deiparae Virginis et Angelorum cultu et honore singularis fuit. Rosarium unum et precarios globulos manibus constanter tenebat et percurrebat. Aliud cum sacris variarum indulgentiarum numismatis e collo pendulum gestabat. Mariam semper in corde, in ore saepe saepius habebat. Illius honorem et cultum ubique promovebat. Rogavit et voluit ut Collegii pro Societate Cassiliae a se fundati templum Deiparae Virgini Annunciatae esset sacrum, et ad hoc quod potuit subsidii contulit. Gaudebat Compostellae, ubi primum pietatis et doctrinae spiritum hausit, se expiraturum. Et licet de itinere Madritensi interdum ageret ac meditaretur, saepius tamen dicebat se Compostella | nunquam decessurum ; sub D. Jacobi, 2460
magni Hispaniarum Apostoli, protectione et patrocinio mori- v
turum.

(89) " Quoad potuit Divinum officium, etiam renitente saepius Patre Confessario recitabat. Cum recitare non posset, aliis piis precibus et Rosariis abunde compensabat. Dolebat colloquiis et amicorum visitationibus perdi tempus quod unioni cum Deo et piae meditationi sacrum voluit. Respuebat negotia quantumvis bona, et aegre ferebat in morbo quidquam sibi offerri aut suggeri, quod ad animae salutem et mortis praeparationem non spectaret. Totus et assiduus fuit in sacra Domini Passione cogitanda et ruminanda, illam specialibus precibus pie eleganterque compositis, lente et otio dies noctesque percurrebat. Cum ad altare ipse stare aut sacrificium Deo offerre non posset, in dies Missam audiebat. Sacram Synaxim tertio quoque die et Dominicis ac festis diebus accipiebat, praemissa accurata peccatorum confessione. In ore, in corde semper illi fuerunt haec sacra verba : '*Jesus. Maria. Deo gratias. Alabado sea el Sanctissimo Sacramento y la purissima Conceptione de nostra Señora. Auge dolorem Jesu. Simul auge patientiam,*' et similia. Desiderabat solus esse, ut cum Deo et Sanctis (ita aiebat) liberius | esse et agere posset. In morbo 2461
ab admodum Reverendo D. Christophoro de Aguirre rogatus ubi sepeliri vellet ? O me (inquit) sterquilinio indignissimum. Rogo tamen sacra terra sepeliri, idque Excellentissimo Principi Archiepiscopo Compostellano et Dominationi vestrae committo. Animam Deo, Beatae Virgini, et Sanctis do et commendo. Alias non semel me monuit ac rogavit ut nihil ad funeris, quo se indignum putabat, honorem conferretur. Si quid in morte illi superesset, id totum pauperibus sacerdotibus, qui pro suae animae refrigerio sacrificarent, extemplo tribuendum. Tandem

petito et rogato Sacro Viatico et Extrema Unctione, pro desiderio suo nostraque satisfactione, praemissa exacta et accurata generali totius vitae (quod ante saepius fecit) confessione, viatico et Extrema Unctione munitus, e mari ad portum, e carcere, periculis, incommodis, angustiis, fidei, Deique causa toleratis, ad quietem et securitatem ; ab inopia ad opes et copiam ; e morbis et doloribus ad aeternam salutem ; e lucta et certaminibus ad praemia et coronam ; e morte ad vitam, ab exilio in patriam, e terra in caelum (uti confidimus) faeliciter transiit 3° Nonas Maii anno salutis 1654, et Compostellae in
2461 alma Apostolica Metropolitana Cathedrali S. Jacobi, | gloriosi
v Hispaniarum Apostoli, ecclesia conspicuo et honorifico loco est sepultus. Funus summo splendore et religione celebrarunt, et justa tanto Praesuli congrua funerisque expensas praestiterunt Excellentissimus Princeps Archiepiscopus et Illustrissimi Reverendissimique de venerando Capitulo Domini Canonici. Adfuit funeri ipse Excellentissimus Princeps. Adfuerunt Illustrissimi Domini Canonici, adfuerunt Religiosae, quae in civitate sunt, familiae, et cives pene universi, Clerus populusque Compostellanus. Tanta porro de ejus sanctitate ac virtute fuit omnium opinio et veneratio, ut certarent defuncti corpus videre ac tangere, manus, pedes, vestes osculari, praecarios globulos et suadaria illi admovere ; et palam dicebant ac inclamabant faelicem civitatem et Ecclesiam, quae tanti Praesulis, exulis, ac Dei confessoris corpus haberet depositum.

(**90**) " A funere, dum Excellentissimo Principi Archiepiscopo pro suo, quem in exequiis subiit, labore et molestia, pro honore piis defuncti manibus exhibito gratias ago. Fecimus (refert ille) quod potuimus. Meretur amplius gloriosus Christi exul et confessor, et gratias agimus Deo quod thesaurum hunc nostrae
2462 concesserit | ecclesiae ; ideoque ad perpetuam memoriam illius corpus prope sacrarium, in quo divorum Lypsana et Reliquiae servantur, reposuimus. Idipsum mihi pariter gratias agenti, suo et totius Capituli nomine Illustrissimus Dominus Decanus iisdem pene verbis fuse et honorifice respondit. Rependet Deus, et honorem sibi in servo suo praestitum copiose compensabit." Hactenus illud Elogium.

(**91**) In eodem libello continetur compendiosius elogium, Epitaphium sepulchrale, aliaque metrica epitaphia, epicedium, Ode funebris, elegiae binae, Anagrammata totidem cum suis epigrammatibus, aliaque poetica, quibus defuncto author et

Collegii Ibernorum Compostellani alumni parentarunt. Quae brevitatis causa in medium non produco, excepto hoc solo epitaphio :

" *Epitaphium.*

(92) " Exilium, latebras, incommoda, damna, pericla.
Vinclaque pro vera Religione tuli.
Illa tulisse, mei sunt ornamenta sepulchri ;
Nobilior titulis omnibus ille mihi est.
Caetera nil faciunt. Sunt nomina vana. Legatur
Hoc unum in tumuli marmore : *Multa tuli.*
Sed mihi nil opus est tumulo, nil marmore. Carcer
Ipse mihi tumulus, vincula marmor erunt." |

(93) Idem etiam P. Guillelmus de eodem Praelato in compendioso ejus Elogio : " Archiepiscopus (inquit) creatus muneris et officii partes abunde explevit omnes, prudentia, pietate, vigilantia, fortitudine, munificentia, Divini honoris zelo, aliisque, quae Praelatos decent et ornant, virtutibus conspicuus et illustris. In se uno expressit quidquid in aliis Ecclesiarum Praelatis sanctum notavit et eximium, vitiorum, scelerum, errorum acerrimus hostis et profligator, scientiae, religionis, virtutum studiosus fautor et alumnus, Doctrinae Christianae ardens propagator, Religiosorum Ordinum, imprimis Societatis Jesu, parens amantissimus." Haec ille. 2462 v Ibid. p. 25.

(94) In magnam etiam hujus Praelati laudem vergit, quod in induciarum ab Ormonistis cum Insequinnio anno 1648 iniquissime contractarum, nec non censurarum eapropter fulminatarum controversia ab initio, in progressu, et usque in finem a Nuncio steterit, sicut ex actis variis huc spectantibus, praesertim ex binis Congregationis Ecclesiasticae actis Kilkenniae 27° Aprilis et 2° Maii 1648, et ex Congregationis Cluanmacnosiensis actis mense Decembri 1649 datis constat. Quae ejus laus eo major habenda est, quod Jesuitis Ibernis adeo fuerit addictus, et tamen nec hic P. Guillelmus Salingerus, nec alii Anglo-Ibernici | Jesuitae, Ormonio et Ormonistis in eadem controversia turpiter patrocinantes, ejus constantiam expugnare valuerint. Accedit eundem Praelatum in Hispanias transvectum scripsisse in Urbem ad Episcopum Cluanmacnosiensem litteras, ex quibus colligere est quantopere anxius 2463

fuerit et sollicitus de procuranda ab illis censuris absolutione, ne Deus Regno ulterius succenseret :

(**95**) " Illustrissimam (inquit) Dominationem vestram etiam atque etiam rogo ut, cum eo te teneas loco, quo et Deo et Patriae inservire valeas, Suae Sanctitati quam possis humillime supplices quatenus suam aliquibus Praelatis atque aliis personis deleget authoritatem absolvendi eos, qui timent ne censuras ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo Firmano, Nuncio Apostolico, fulminatas contraxerint ; alii enim timoratae, alii laxioris sunt conscientiae. Poterit Dominatio vestra Illustrissima in mentem revocare quid Praelati omnes in sua ipsius ecclesia domoque Cluanmacnosiensi congregati in hunc finem generaliter decreverint. Quod autem ad me attinet, humillime imploro mihi et gregi meo Suae Sanctitatis benedictionem et absolu-
2463 tionem, ejusque authoritatem mihi ipsi aut alteri | con-
v cedendam, qua generaliter absolvantur. Nam ego et ipsis et mihi hoc humiliter et serio exopto. Dominationem vestram Reverendissimam in gregis sui satisfactionem et spiritualem incolumitatem pro ea, qua in suos populares fertur, charitate adeo hac in re spero laboraturam, ut successurus sit effectus, quem tantopere in votis habet

Vester humillimus et obsequentissimus servus
Thomas Cassiliensis."

Compostellae ultimo
Novembris 1653.

(**96**) Ex hac epistola liquet quam timoratae conscientiae fuerit hic Praelatus. Qui licet a Nuncio (sicut dixi) in hac controversia steterit, tamen non solum aliis, sed etiam sibi Suae Sanctitatis benedictionem et absolutionem postularit, nolens se justificare, sed se usque ad finem humiliare ; malens et forsan metuens ne suo officio in illis controversiis aliqua ex parte defuerit, vel ne aliorum forsan excommunicatorum consortio, colloquiis, commercio, et mutuis usibus Jure Pontificio prohibitis eodem se laqueo irretierit. Porro sicut haec in Cassiliensis encomium redundant, ita Nuncii fautorumque omnium causam jam dictam haud mediocriter suffulcit, quod
2464 tantus dignitate et meritis | Antistes in ea tuenda ab initio, in progressu, et usque ad mortem perstiterit, et tamen in Compostellano Ibernorum Collegio cum extremo morbo conflictans metuerit ne suas in ea re partes haud satis egerit, usqueadeo ut hoc metu perculsus sibi etiam absolutionem postularit. Unde non immerito Nuncius sua charta in Fernensem

et Plunkettum ex Normandiae maritimis mense Martio 1649 Cardinali Panzirolo in Urbem missa, et suo loco inserta, hunc Archiepiscopum iis Regni Praelatis, qui magis timorata conscientia essent, accensuit. Quas laudis Archiepiscopo Cassiliensi debitae appendices P. Guillelmus Salingerus in suo Antistitis elogio non solum altissimo silentio praeterivit, sed etiam numero 5°, recensens quo pacto Cassiliensis erga Scarampum et Nuncium se in Ibernia gesserit, Scarampum quidem summis laudibus cumulat, sed Nuncium nullatenus nec ibi, nec in suo libello alibi laudat, usqueadeo ut totus ille numerus distincto charactere typis mandatus sit tanquam a lectore specialiter notandus. Quo artificio P. Guillelmus ad id profecit ut suam in Nuncium malignitatem lectori et toti posteritati stupidissime proderet, suo tamen gladio | se jugulans, cum Archiepiscopum Cas- 2464
siliensem Nuncio ejusque partibus in dicta induciarum ac v
censurarum controversia constanter astipulatum, proindeque sibi, aliisque Anglo-Ibernicis Jesuitis, suis apud Iberniam in eadem causa complicibus, generose adversatum in Sanctorum pene numerum referat, insigni ignavia hunc Archiepiscopi in sustinenda causa Catholica zelum silens, ne suam suorumque complicum defectionem horrendam fuisse agnosceret, licet alii Jesuitae Anglo-Ibernici ejus complices anno 1649 ab ipsorum Visitatore generali, Reverendo P. Mercurio Verdier, absolutionem petierint et obtinuerint, ipseque P. Guillelmus in Hispania post scriptam illam Cassiliensis vitam demum resipuerit, ibi ab Episcopo Laghliniensi, cui illam potestatem anno 1655 ab Alexandro VII factam fuisse videbimus, absolutus, alias dignissimus qui sua sancta Societate Jesu ejiceretur vel eo nomine quod perniciosissimum libellum Anglicanum Kilkenniae in Nuncium ejusque partes anno 1648 editum approbarit ; homo adeo animo duplex ut, licet Nuncii et partium ejus notorius atque infensissimus esset adversarius, Philippum O Rellium cum sua legione Ibernica ex patria insula in Hispaniam anno superiori transvectum ibi convenerit, et in amborum colloquio in Ormonium et suos Ormonistas invectus sit, quod | Philippum 2465
Clero, Ecclesiae, et causae Catholicae semper in Ibernia constantissime militasse non ignoraret. Quas verniles Guillelmi blanditias mihi postea in Gallia retulit ejus tunc ipsum in Philippo visitando socius, praefati Ibernorum Collegii Compostellani alumnus, nunc ab aliquot annis Capucinus, P. Michael O Kiffus, egregius (dum haec scribo) in Ibernia Missionarius Apostolicus. Qui etiam addidit se valde admiratum

qua fronte P. Guillelmus, se praesertim praesente, tam turpi animi duplicitate et assentatione viro nobilissimo fucum fecerit, licet intra privatos Collegii parietes coram se aliisque collegis in quotidianis colloquiis Nuncium ejusque partes impotenti passionis impetu proscindere, et Ormonium atque Ormonistas tueri soleret, ibidemque in horum defensionem nescio quod opusculum composuerit, nunquam (credo) a tam sancta Societate Jesu in lucem edendum, cum dubitandum non sit quin suum authorem spiret, adeoque multis erroribus et absurditatibus scateat. Hujusmodi tamen artificiis et aliorum Ormonistarum ope adeo P. Guillelmus causam suam meliorem reddidit, ut posthabitis aliis suae nationis Jesuitis millies dignioribus, in dicti Collegii Compostellani Rectorem cooptatus sit, et pernicioso
2465 Ecclesiae Ibernicae turbini, P. Malonio, | in suae Jesuitarum
v nostratium Missionis Praefectura successerit, licet eo solo nomine aliis optimis suae nationis Jesuitis praestiterit, quod litteras humaniores, quas tot annis in Ibernia professus erat, meliuscule calleret.

(**97**) Vidimus Joannem Mac-Ceallachanum sub ementito Philopatri Irenaei nomine libellum famosum in Nuncium ejusque in Ibernia partes anno 1650 Lutetiae Parisiorum in lucem edidisse. Joannes non ex O Ceallachanorum familia hodieque praeclara (cujus princeps Donatus O Ceallachanus, vir etiam sensatus, anno 1646 Concilii Supremi albo ascriptus, deindeque splendido et tot saeculis avito patrimonio in occiduis Comitatus Corcagiensis partibus posito a Cromuello et Cromuellistis excussus, ac demum anno 1660 a Rege in integrum restitutus fuit) sed ex Mac-Ceallachanorum tribu longe inferiori ad *Rupem pontis* vel Pontirupem in Muscria originem traxit. Qui parentibus haud opulentis natus, in Galliam puerulus, ut bonis litteris operam daret, navigavit ; ubi ingenium ad proficiendum suapte natura aptum adeo utiliter excoluit, ut demum in sacerdotem, et facultatis Parisiensis Doctorem, etiam vitae probitate in ea Universitate nominatum, evaserit. Exinde in Iberniam ad annum 1645 rediit, eumque Muscrio, cui Mac-Ceallachani clientes essent, procurante, Concilium Supremum |
2466 anno 1646 Suae Sanctitati in Episcopum Corcagiensem commendare decrevit, Nuncio inconsulto, sed machinam odorato, qui propterea per schedulam Limerico notis arcanis Cardinali Pamphilio scriptam, et suo loco superius in medium productam, prudenter suggessit non expedire ut Joannes, Muscrii et Ormonii fautor, Roberto Barrio, in causam Catholicam

optime affecto, infulas illas praeriperet. Quo factum ut, Joanne posthabito, Robertus in Episcopum Corcagiensem cooptatus fuerit. Nec Nuncium in hoc nisi prudentissime se gessisse ipsa deinde experientia demonstravit. Joannes autem spe sua frustratus Parisios remigravit, ubi praeter alia obsequia Ormonio et Ormonistis inter varias occasiones praestita, demum transmissis ex Ibernia a sua illa factione monumentis et scribendi segete, libellum illum famosum anno 1650 in lucem edidit, quo suam in Nuncium ejusque partes omnes malignitatem et animi plane vindicis aestum exeruit. Libello autem venditioni Parisiis exposito, mox ne Lutetiae ab Ibernis Nuncii et ejus in Ibernia partium fautoribus fuste vapularet, vel alio modo male tractaretur, parochiam in vicinia Blesensi sitam petiit, cujus ita pastorem egit ut mox in ea nec non in tota vicinitate Jansenistarum, quibus tanquam Sancti Augustini discipulis | coaluerat, placita disseminare caeperit. Quare Brisacierus, 2466
Collegii Jesuitarum Blesensis tunc Rector, ita eum aggressus v
est, ut libris Gallicis utrinque in lucem editis inter se dimicarint, et P. Brisacierus anno 1651 Parisios venerit, ibique inter Ibernos et Gallos in Joannis natales, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ac totius vitae instituta acri scrutinio inquisierit, quo eum omnibus machinis exagitaret. Porro Joannem libellis illis denigravit exprobrans inter alia eum, olim puerum ita Jesuitarum scholas frequentasse ut in illis Corrector:s (sic eum, qui suam Jesuitis in scholaribus flagellandis manum et operam accommodat, vocare solent) officium exercuerit, et ea arte aliquandiu vitam sustentarit. Quinetiam P. Joannes Poncius, strictioris observantiae Franciscanus, natione Ibernus, quem ille suarum *Vindiciarum* lib 2, pag. 129 et 192 atro carbone insolenter notaverat, suo libello in Bellingum anno 1653 Parisiis edito operam dedit ut conquisitis studiose actis et testimoniis id ipsum magis probaret, licet alter atque ejus fautores calumniam esse sustinuerint, et probationes probationibus objecerint. Sed non ita praevaluerunt quin rumor Galliam et Iberniam pervagatus Joannem Mac-Ceallachanum insigni confusione obruerit, illo ejus | calumnias in Nuncium 2467
fautoresque editas vindicante de quo scriptum est : *Humiliabit calumniatorem.* Nec dubitemus quin haec confusio, exindeque Ps. 71.
nata animae amaritudo Joannis Mac-Ceallachani mortem accelerarit. De quo tanquam recens mortuo literae mense Aprili anno 1654 Bruxellis Romam scriptae mentionem faciunt. Praefatum autem ejus libellum famosum in Nuncium partesque

anno 1650 editum video Romae pauculis mensibus post ipsius mortem fuisse prohibitum decreto 10° Junii 1654 subscripto, et 16° ejusdem mensis affixo, atque ibidem typographia Reverendae Camerae Apostolicae excuso, nulla tamen prohibitionis causa specialiter assignata saltem in Decreto. Cujus verba sunt haec: "Sacrae Indicis Congregationis decreto damnati, prohibiti, et respective suspensi fuerunt infrascripti omnes libri, ubicumque quocumque idiomate impressi, imprimendive. Nemo cujuscumque gradus et conditionis eos imposterum imprimat, vel legat, vel retineat. Siquis interim habuerit, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis a praesentis decreti notitia tradat sub paenis in Indice librorum prohibitorum." Hactenus verba decreti. |

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN V.

PARS. IV.

Ann. 1655–1666.

In Nomine Sanctissimae Trinitatis incipit Annus 1655 et aliorum annorum posteriorum fragmenta subnectuntur. 2467 v

(1) Exordiendus est hic annus ab Innocentii Decimi, Pontificis Maximi, de Confaederatis Iberniae Catholicis optime meriti morte, qui annos octoginta et menses octo natus, transactis in Pontificatu annis decem, mensibus tribus, et diebus viginti tribus, 7° Januarii 1655 Romae expiravit, Alexandro septimo ad tertium postea mensem 7° Aprilis in novum Christi Vicarium electo, et 18° ejusdem mensis coronato. A quo nostrates subsidia ad Iberniam a tyrannidis jugo vindicandam sperabant, nata (ut videbatur) mox occasione congruentissima quod in Cromuellum, tyrannorum omnium atrocissimum, plurimis, etiam suis, insurgentibus, Anglia et Scotia domesticis conjurationibus flagrarent, idemque tyrannus magna classe instructa et militibus repleta Regem Catholicum, cum quo ipsi hactenus bene convenerat, ex improviso in Indiis aggressus, maximam et jacturam et confusionem passus sit, Hispano propterea ei succensente, et ad eum aggrediendum | pro- 2468
pendente. Verum tyrannus has Angliae insurrectiones astutia, qua pollebat, summa, et virium praevalentium imperio dissipavit, captis, in custodiam datis, et magnam partem vita multatis nobilibus et copiarum sibi adversantium ducibus citra numerum. Quinetiam Rex Catholicus, bello in Gallum implicitus, haud Cromuellum juxta atque vellet adoriri poterat. Et sic illa nostratium spes hoc anno 1655 nata ad nihilum recidit. Ad Ibernorum autem domi statum eodem anno spectant epistolae binae a duobus Capucinis nostratibus, P. Antonio Mediensi et P. Gregorio Dungarvanensi, ex illa Insula Anglice scriptae et in Capucinorum Ibernorum Conventum Carolopolitanum in Gallia situm directae, quarum prima a P. Antonio exarata hic Latine versa sequitur.

" *Reverendo P. Christophoro O Kearneo, Capucino Iberno et Capucinorum Ibernorum Commissario Generali ad Capucinos Carolopolim.*

" Reverende Pater.

(2) " Scripsi ad Reverentiam vestram hoc triennio superiori
2468 varias epistolas de iis, quae circa me agebantur. | Qui de-
v clinandae persecutionis ergo haud paucas egi personas, multasque artes simulavi, idque inter innumeras vitae aerumnas, praesertim ex quo proditus fueram apud urbem, Waterfordiam, ubi haeretici Gubernatoris hortulanum et civitatis bajulum gesseram, quo sub ea larva ad sacramenta Catholicis ministranda et ad haereticos fide imbuendos in illa civitate liberius haerere valerem. Ex custodia ergo, in quam tunc conjectus eram, speciali Dei providentia me proripui et apud urbem, Galviam, in quam post varios casus me recepi, pedem fixi; ubi exinde mercatorem Scoticum prae me fero, circumforaneum aginatorem. Inter eas rerum mutationes quid tribulationis et molestiae non pertuli? Etenim (ut caetera, quae epistolae cancellis contineri nequeunt, silentio praeteream) hoc ultimo biennio ab exploratoribus ter proditus fui. Quo non obstante, per specialem Supremi Numinis tutelam ante carcerem et vincula semper evasi inter proficiscendum ad sistendum me judici, facta cum custodibus transactione. Impraesentiarum autem vix diffiniam, quid mihi agendum sit. Tantopere rerum
2469 etiam, quae ad vitam | sustentandam necessariae sunt, inopia premor. Nam et plerumque P. Bernardus, quem biennio elapso huc istinc destinastis, quique in hac vicinia mecum laborat, me onerat. Porro is, nisi me fallit opinio, haud diu in hoc Regno vivere poterit, sed dubio procul vitam in patibulo concludet. Neque enim potest dissuaderi quin periculosissima quaeque loca Evangelii propagandi studio frequentet. Quare multa indagine ab haereticis conquiritur. Sed eum Deus ab illorum manibus hucusque praeservavit. Jam plane ignoramus qua ratione vitam foveamus, benefactoribus scilicet et amicis Catholicis vel persecutione deletis vel in partes ultramarinas proscriptis. Quod siqui adhuc hic permaneant superstites, ipsi pene perinde atque nos aliena nunc misericordia indigent, nec inveniunt. P. Gregorius apud agrum Corcagiensem evangelizat, quem nos convenire non audemus: tantis iter interpositum periculis et catascoporum excubiis scatet. P. Barnabas apud Turviam haeret. P. Gabriel decessit. Caeteri fratrum Insulam clancularíis sparsim functionis Missionariae ministeriis peragrant. Habemus hic messem multam, nam praecipui Catholici
2469 ex tribus aliis Iberniae Provinciis in hanc | unam Conaciae
v Provinciam relegati sunt. Restant etiam, non obstante in-

tolerabili persecutionis carnificina, aliquot operarii, quibus omnibus aliqua suppetit humanae providentiae via ad subsistendum, exceptis solis Capucinis. Deus (spero) tecum opem feret. Certe vix poterimus semper lacte et herbis vitam sustentare, quibus plerumque hactenus vescimur. Si liceret post haustam lactis refectionem, abstergere jecur vino Gallicano, possemus diutius vivere, nisi vitam amputaret suspendium, quod nulla die nobis non imminet. In summa, nunquam mente fuimus adeo hilari atque hisce diebus malis, quibus, sicut olim Nabuchodonosor, corpora pascimus more bestiarum. In hac navi, cum qua epistolam transmitto, mandantur in exilium in Galliam ex portu Galviensi triginta ecclesiastici. Limerico quoque octo et Corcagia alii transportantur. Reverentia vestra mittat alios, qui eorum locum suppleant. Fieri enim non potest quin indigeat Insula operariis Apostolicis, cum ex ipsa Natione plures habeamus Judae imitatores, qui quotidie e Clero aliquem prodant, | et capiant. Adjuvet nos Deus, quia cum Apostolo 2470
habemus periculum in falsis fratribus Ibernis. Aveant omnes Fratres nostri istic, quorum emendico preces et vestram benedictionem.

Galviae in Ibernia,
18 Julii, 1655.

Reverentiae vestrae
Obsequentissimus servus
Fr. Antonius, Capucinus indignus."

(3) Jam P. Gregorii epistolam Latine versam subdo :

"*Reverendo P. Guardiano PP. Capucinorum Conventus Carolopolitani Carolopolim.*

"Reverende Pater.

"Licet nullam, quae se offerat, occasionem negligere soleam, quin ad P. Commissarium, vel ad P. Andream vel ad P. Jacobum vel ad istius familiae Guardianum epistolas transmittam ; nihilominus nullas toto hoc sexennio, et quod excurrit, litteras a vobis recepi. Quod temporum calamitati et conditioni meae, qui utique pro virili, nisi quando animarum lucrum aliter suadet, in latebras me abdo, imputandum duco potius quam vestrae negligentiae, cum ignoretis, quo aut qui litteras ad tale individuum vagum et militem errabundum, | qualis ego 2470
sum, dirigere valeatis. Imposterum autem si dirigatis epistolas v
ad D. Richardum Trant mercatorem Ibernum Rupellae com-

morantem vel ad D. Matthaeum Porter S. Maclovii se tenentem, eosque rogatos habeatis ut eas inter suos litterarum fasciculos transmittant ad D. J. C. mercatorem D. ; eas ego faeliciter recipere potero. Quod fratres nostros in hoc Regno Evangelium disseminantes concernit, licet a longo tempore illorum viderim plane neminem, per litteras tamen audio, eos bene se habere, cooperantes fideliter Deo in salutem animarum. Tantum P. Gabriel et Fr. Eustacius hyeme superiori ad meliorem (credo) vitam transmigrarunt, ille quidem ab ordinario residendi loco, hic autem a P. Michaelis latere, cui adhaeserat ex quo ex urbe Limericensi discesserat. Quod ad communem Patriae et reliquorum patriotarum spectat conditionem, ad tristissimum et miserabilissimum statum redacti sunt, quem haud absque integro volumine describere valerem, si singula recensere vellem. Suppono Generalia Capucinorum Comitia recens fuisse celebrata. Quod si successit, me (quaeso) certiorem facias siquid fuerit | 2471 innovatum circa Missionem nostram. Vellem quoque ediscere quid agatur isto in conventu circa vosmetipsos quatenus non Psal. 68. sim usquequaque *extraneus fratribus meis et peregrinus filiis matris meae.* His finem impono, omnem vobis omnibus apprecans faelicitatem in Domino, ac nominatim RR.PP. Christophoro, Andreae, Jacobo, Josepho, et Lucae, quorum et caeterorum emendico participationem precum et sacrificiorum.

Ex Ibernia de sub dio
10° Octobris 1655.

Reverentiae vestrae servus in Christo Jesu.
Fr. Gregorius, Capucinus indignus."

(4) Ex his binis epistolis et millenis aliis veritatis notoriae testimoniis constat quam lugubris illis diebus fuerit Catholicorum, ac praeter alios Cleri in Ibernia conditio. Toti enim Nationi justo et sancto Dei judicio contigit illud Joelis Pro- Joel. 1. phetae : " *Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.*" Nam bello, fame, peste deletus Clerus populusque quadruplo minorem Nationis partem reliquerunt superstitem quidem, sed victam plane et haereticorum Anglicorum plenae atque inauditae mancipatam crudelitati, sub qua inhumanissimam serviebant 2471 servitutem, usqueadeo ut quicquid | sub Diocletianis, Neroni- v bus, et retro Principibus atque Imperatoribus, sive haereticis sive infidelibus, tam antiqui quam novi Testamenti toleraverat

Ecclesia, id totum persecutionis nomen non mereatur, si cum illa Cromuelliana Catholicorum Iberniae laniena comparetur. Quod si residuis ulla data fuisset requies, aliquo modo minus esset dolendum, quicquid eatenus contigerat. Tantum autem abest ut id factum fuerit, ut etiam novae semper excogitatae sint saeviendi occasiones, juxta illud impiorum dictum apud Salomonem : *abscondamus tendiculas contra insontem.* Denique Prov. 1.
tota insula Catholicorum sanguine rudebat, madebat lachrymis et continuis resonabat planctibus atque ejulatibus. Unde liquet verum extitisse prophetam Archiepiscopum illum Cassiliensem, qui quingentis pene annis jam elapsis a Silvestro Giraldo ad primam tunc Anglorum irruptionem interrogatus cur Ibernia tam magna confessorum, non item martyrum floreret multitudine : " *Verum est* (inquit), *quia licet gens nostra aliis vitiis haud caruerit, viris tamen ecclesiasticis honorem magnum et reverentiam semper exhibere solebat, et in Sanctos Dei nulla occasione manum extendere. Sed nunc in Regnum gens advenit, quae* | *martyres et facere novit et consuevit. Amodo Ibernia sicut et aliae regiones martyres habebit.*" Sic Archiepiscopus. Idem Silvester Girald. *Topogr. Iberniae.* cap. 32. 2472

(5) Invenio hoc anno 1655 Episcopum Rapotensem Iberniae Viceprimatem vocitari. Ex quo consectaneum est Iberniae Primatem ad hunc annum vel paulo ante decessisse. Is fuit Hugo O Rellius, ex antiquissima nobilissimaque O Relliorum familia oriundus, ad annum 1626 in Primatem, Hugone Cavello, Franciscano, ejus decessore, tunc recens defuncto, cooptatus, quem virum bonum ac vere pium extitisse ac magno causae Catholicae zelo flagrasse reperio. Nec alibi quam in ipsa Ibernia decessisse, proindeque persecutionis quamvis immanissimae metu non exulasse ex eo colligo, quod nullibi mihi occurrat contrarium.

(6) Ad annum superiorem duorum Capucinorum nostratium, P. Matthaei Tiperariensis et Fr. Joannis Dundalkensis, Laici, vincula, incarcerationem, mortis sententiam ab haereticis in eos latam, et ex Ibernia in Gallias exilium tetigi. Qui ambo in Capucinorum Ibernorum Conventum Carolopolitanum se receperunt, ubi Fr. Joannes post aliquot menses pro more piissime transactos, hoc anno 1655 15° Martii vitam sanctam sancte | finivit, quam in Missionis Ibernicae Capucinorum historia 2472 v
delineatam legas, ex qua etiam constat quanto zelo (sicut superius praelibaveram) ac constantia a Nuncii partibus in Ibernia steterit. Ad P. Matthaeum quod attinet, is novem

circiter mensibus inter nostrates Capucinos partim Carolopoli, partim Sedani pie consumptis, ad haereticorum praelium se denuo accinxit, in Iberniam regressurus. Verum dum Nannetis ad Galliae Armoricae maritima conscendendi occasionem expectaret, ibi in Capucinorum Britonum Conventu acutissima febri correptus, post generalem totius vitae confessionem pridie quam moreretur devotissime factam et sumptum sanctissimi Corporis Domini Viaticum, sacro oleo delibutus inter fratrum manus pie expiravit 9° Octobris hoc eodem anno 1655.

(7) Dum P. Matthaeus in illo Conventu Nannetensi navigandi opportunitatem expectaret, Angli sub Cromuello Iberniam moderantes, pro consueta tyrannide plures ex vicinia praesertim Waterfordiensi Ibernos, quorum non pauci loco nobili nati erant, invitos et reluctantes in navim importarunt in eas
2473 Americae Insulas, | quas Angli incolunt, deportandos et ibi in eorundem Cromuellistarum usus ad tobaccam excolendam damnandos. Qui mediastinorum, imo brutorum instar in navi nutriti, nocte quidem vinculis ligabantur sed quotidie mane solvebantur. Quare post aliquot dies in navigando consumptos, lingua Ibernica Anglos latente inter se convenerunt ut bini Anglos prehenderent mox atque is, cujus inter ipsos esset, pronunciasset has voces Ibernicas *Dia agus Patruic linn*, l. Deus et S. Patricius nos adjuvet. Itaque quodam mane Anglis recens expergefactis et super navis foros liberiorem aerem spirantibus, omniaque circumspicientibus atque Ibernis eodem tempore vinculis pro more solutis, stratagematis praefectus clam suos Ibernos jussit ut inter Anglos, sicut ad eos mox capiendos expediret, furtim dispergerentur. Qua omnium commixtione congrue absoluta, praefatam Dei ac Sancti Patricii invocationem Ibernice protulit, eademque a popularibus vernacule ingeminata, atque Anglis omnibus momento interceptis, deindeque in vincula, quibus nostrates ligari soliti erant, datis, Iberni navim, unaque merces in Galliam detorserunt ; ubi in
2473 sinu Nannetensi | a P. Matthaeo, paulo ante supremum ejus
v morbum visitati largam Capucinis ibi Britannicis eleemosynam ex Anglorum penu impertierunt, quam, mercesque et navim in suos usus converterunt.

(8) Omnibus Iberniae portubus ab hoste captis, fregatae Ibernicae facto velut agmine in Galliam Cromuello et Cromuellistis non hostem sed occulte inimicam deflexerunt ; ubi sub Regis Angliae et Ducis Eboracensis, proindeque Galli in hos bene affecti alis Brestam, maritimum Galliae Armoricae

oppidum, ejusque portum velut asylum delegerunt, Angliam indies navibus et mercibus spoliantes tam crebro ut confluentibus undique Ibernis et captis ac comparatis aliis navibus, non modo se suosque, sed etiam illud emporium et viciniam manubiis Anglicanis summopere ditarint et municipium effecerint magna ex parte Ibernicum, accitis illo uxoribus et liberis nec non multiplicatis inter Ibernos Ibernasque matrimoniis ac denique propagata Brestae haud ignobili nostratium colonia.

(**9**) Ad annos superiores, praesertim 1651, 1652, et 1653, crebram Antonii Mageoghegani, Prioris Conalliae, fecimus mentionem, resque ab eo et ad ejus | suggestionem ab aliis 2474
multis in Ibernia gestas fuse tradidimus. Restat ut quid ei exinde successerit, perstringamus. Is ergo rebus Iberniae jam depositis, mense Junio anni 1653 ex Ibernia navigavit. De quo Nicolaus Halpennius epistola 19 Februarii hoc anno 1655 ad P. Richardum O Ferrallum, Capucinum nostratem, ex Lovaniensi Ibernorum Collegio in Urbem scripta : " Est (inquit) hic sincerus iste noster amicus, P. Antonius Geoghegan, in miserrimo statu laborans tertiana febri. Fuit hic in Collegio septem septimanis expensis nostri piissimi Praesidis et tandem non valens Praeses supportare ipsum diutius, misit ipsum ad zenodochium. Ego sum oculatus testis quod maxime obligavit istam curiam, quamvis nihil pro ipso jam faciunt. Factiosi illi praesbyteri Ormonici Bruxellis conspirarunt contra ipsum, ut antea fecerunt contra me. Finxerunt ipsum esse insanum, et fecerunt ipsum detineri in carcere insanorum, donec fere moriebatur miseria, et jam publicant de ipso quod laborat insania." Sunt Halpini verba. Verum de eodem Antonio praefatus Collegii Ibernorum Praeses, Doctor Enos (cui demum Antonium Lovanii iratum fuisse invenio) eidem P. Richardo Romam Lovanio 22° Aprilis 1655 scribens : " quod (inquit Anglice) P. Antonio Mageoghegano nihil procurare valeas, justum est Dei judicium. Nam | Deus permittit ut nullum 2474
procuretur bonum ingratis, detractoribus, superbis, et stultis, v
qualem eum esse comperies, si istuc pervenerit. Hinc enim discessit Parisios, exindeque Romam profecturus. Cum quo, ubi diu sermonem protraxeris, reperies eum (nisi Deo aspirante resipuerit) haud esse aptum qui ad ullam dignitatem promoveatur." Sic ille. Antonius autem Romam progressus, illam rerum a se atque ab aliis (ipso suggerente) in Ibernia gestarum relationem Latinam Massario (credo), a quo eum

missum fuisse diximus, ita tradidit, ut P. Richardus jam dictus Massario charissimus ejus exemplar transcripserit, ex quo multa superius in medium produxi. Porro Antonius, suo contribuli Episcopo Cluanmacnosiensi, aliquandiu Romae associatus, haud ita diu post ibi recidivus decessit, spei irritus, quam forsan de aliquo praemio Romae assequendo conceperat.

(**10**) Alexandro VII in Christi Vicarium recens cooptato, nostratium non pauci in varias abierunt sententias circa modum, quo cum novo Pontifice agendum esset de censuris anno 1648 a Nuncio in Ibernia fulminatis. Alii enim generalem vel conditionatam absolutionem postulandam censebant. Alii nullam
2475 nisi paenitentibus et peccata | agnoscentibus concedendam arbitrabantur ne generalis aut conditionata absolutio in Nuncii, etsi jam mortui, atque eorum, qui ab ipso in hac controversia steterant, injuriam redundaret, cum consectaneum esset quod censuras ab initio validas vel justas fuisse dubitaretur. Sane ipse Episcopus Laghleniensis Nuncium atque ejus in Ibernia partes constantissime secutus, epistola ante Innocentii X^mi^ mortem Madrito 28° Octobris 1653 ad praefatum P. Richardum in Urbem scripta : " Velim (inquit) etiam atque etiam sollicitet Reverentia vestra Reverendissimum, ut procuret excommunicationum omnium Ibernicarum generalem absolutionem." Sic ille. Reverendissimus autem, de quo loquitur, erat Episcopus Cluanmacnosiensis, et ipse Nuncii partes constanter secutus. Qui tunc Laghleniensi probe conscio ex Hispania in Urbem concedebat. Ad quem etiam Archiepiscopus Cassiliensis, qui Nuncii partibus in hac controversia similiter adhaeserat, eodem spectantem scripsit epistolam Compostella ultimo Novembris 1653 datam et superius collocatam. Quinetiam Episcopus Ardaghadensis eidem Cluanmacnosiensi scripsit similes litteras, quas, sicut ad meas manus pervenerunt, hic habe. |

2475 " Illustrissime Praesul.

v (**11**) " Vestrum zelum erga bonum commune patriae omnes patriotae vestri abunde noverunt, bonumque illud non auro aut argento ita promovendum prout absolutione Sanctissimi Domini Papae a tot excommunicationibus, in quas infelix Ibernia a longo tempore incidit, ut ab excommunicatione contra obedientes Reginae Elizabethae ; ab excommunicatione contra non adhaerentes Comiti de Desmond O Ruark et contra non adhaerentes Comiti de Tirone etc. ; a nuperrima excommunicatione per Nuncium Apostolicum contra non obedientes mandatis ipsius ; quae quidem excommunicatio videtur rati-

ficata per Deum fame, bello, peste, et exilio. Ab his omnibus excommunicationibus absolutionem generalem a Sanctissimo Domino procuret Reverendissima Dominatio vestra et certe meliora tempora nobis omnibus (meliora dico) arridebunt, quia liberabit talis absolutio nos ab omnibus malis futuris in statera Divinae Majestatis pendentibus super nos et generationem nostram. Hoc agite, et vivetis in memoria aeterna apud nos et patriotas vestros. Vale et vive.

Vestrae Illustrissimae Dominationis
Addictissimus,
Fr. Patricius Ardachadensis Episcopus."

(**12**) " Illa absolutio danda non tantum | petentibus, sed 2476
omnibus generali absolutione Sanctissimi Domini. Quia multi sunt innocentes et ignorantes, et multi cauteriatam conscientiam habent, qui lethale et mortale vulnus non sentiunt." Hactenus Ardachadensis.

(**13**) Praefatus etiam Doctor Walterus Enos P. Richardo O Ferrallo, Capucino Iberno, in Urbem Lovanio 22 Aprilis hoc anno 1655 scribens : " cave (inquit Anglice) quid facturus sis ad instantiam Rapotensis circa Breve absolutionis. Nam praecipui malorum omnium authores adeo sunt obstinati, ut damnari quam absolutionem petere malint. Quae si ne semel quidem postulata aut paenitentia non injuncta concederetur, insultandi occasionem ipsis praeberet." Haec ille. Ex quibus colligendum videtur Episcopum Rapotensem, etsi Nuncii et partium ejus semper studiosissimum, tunc in Belgio exulem, per litteras Romam missas institisse ut eadem absolutio generalis concederetur, illamque ejus mentem Doctori Enos, cui in Belgio vicinus et charissimus esset, innotuisse. Denique : " ipse Episcopus Cluanmacnosiensis (sic alicubi a praefato P. Richardo scriptum lego) aliquorum etiam dignitariorum et nobilium precibus et litteris pluribus quodammodo fatigatus, sincere et absolute | rogavit Sanctissimum Dominum nostrum 2476
ut levando immediate sacram manum absolutionem generalem v
impertire dignaretur ab omnibus praeteritis excommunicationibus." Sic ibi. Verum eodem P. Richardo apud Pontificem instante ne ob rationes jam dictas absolutio nisi paenitentibus et culpas agnoscentibus concederetur : " hanc Cluanmacnosiensis (sicut ibidem lego) petitionem nec concessit nec approbavit sapientissimus Pontifex. Animadvertens enim et a Deo edoctus nullam fuisse factam aut faciendam esse hoc modo satisfactionem Ecclesiae et Sanctae Sedi post tot horrenda et

sacrilega acta et decreta, et contumaces sub hoc generalitatis velo per similem absolutionem latituros, ludibrio habituros Sedem Apostolicam, insultaturos Clero, et pejora forte postea machinaturos, noluit a Sacrorum Canonum et praedecessoris sui dispositione optima recedere." Haec ibi. Porro praefatus Pater Richardus demum id effecit ut a Pontifice Alexandro septimo non generalis, sicut petebatur, absolutio, nec generaliter absolvendi facultas, sed hoc Breve exierit :

> *" Venerabilibus Fratribus, Rapotensi, Laghleniensi, Cluanfertensi, et Corcagiensi Episcopis, et eorum cuilibet.* |

2477 ALEXANDER PAPA VII.

(**14**) " Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam benedictionem. Sedes Apostolica pia mater recurrentibus ad eam post excessus cum humilitate filiis propitiam se exhibere consuevit et benignam. Cum itaque bonae memoriae Joannes Baptista, dum viveret, Archiepiscopus Firmanus, tunc temporis Apostolicae Sedis in Regno Iberniae Nuncius extraordinarius cum delegatis Archiepiscoporum et Episcoporum Regni praedicti, varias ob causas multos tam ecclesiasticos et Regulares quam saeculares excommunicaverint et aliquot civitates ecclesiastico subjecerint Interdicto. Sicut autem accepimus, plures ex personis (ut praedicitur) excommunicatis sibi absolutionis beneficium ab excommunicatione hujusmodi, a qua fuerat alias ad faelicis recordationis Innocentium Papam, praedecessorem nostrum, appellatum, et ab eo Appellatio hujusmodi tanquam frivola rejecta, authoritate nostra concedi, Interdictumque praedictum, ubi adhuc viget et servatur, amoveri summopere desiderent, Nos earundem personarum animarum saluti pro paterna nostra charitate, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ipsarum singulas a quibusvis
2477 excommunicationis, suspensionis, | et Interdicti, aliisque
v ecclesiasticis sententiis, censuris, et paenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatae existunt, praeterquam ratione praemissorum absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitatibus vestris, et vestrum cuilibet, quoscumque ex praedictis etiam quacumque ecclesiastica dignitate et praeeminentia

praeditis (ut praedicitur), excommunicatis, qui hoc a vobis seu vestrum aliquo humiliter petierint, imposita singulis aliqua arbitrio vestro paenitentia salutari, ab excommunicationis hujusmodi sententia, aliisque Censuris contra eos per dictum Joannes Baptistam, Archiepiscopum, et dictos delegatos vel eorum subdelegatos fulminatis auctoritate nostra Apostolica in forma Ecclesiae consueta, defunctos autem per modum suffragii absolvendi, et ab illis locis, in quibus adhuc viget Interdictum, si eorum nomine id a vobis humiliter postulatum fuerit, Interdictum praedictum amovendi, nec non cum illis ecclesiasticis saecularibus et Regularibus, qui ob contemptum seu violationem Excommunicationis, aliarumque censurarum | praedictarum, ac Interdicti hujusmodi irregularitatis notam 2478 sive maculam contraxerunt, super eadem irregularitate dispensandi, eosque ad quaevis alia rehabilitandi plenam et amplam facultatem auctoritate praedicta, tenore praesentium concedimus et impertimur, non obstantibus praemissis, ac Apostolicis et in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel spécialibus constitutionibus et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27 Augusti 1655, Pontificatus nostri anno primo.

G. Gualterius."

(**15**) Hoc Brevi Pontificio ad Rapotensem in Flandriam, ad Laghleniensem in Hispaniam, ad Cluanfertensem in Germaniam, et ad Corcagiensem in Galliam Armoricam (quorum primus Ultoniensis, 2^us^ Lageniensis, 3^us^ Conaciensis, et 4^us^ Momoniensis juxta quatuor Regni Provincias erat) transmisso, murmur magnum factum est inter Ibernos patria exules, iis, qui a Nuncii censuris anno 1648 appellaverant, conquerentibus Bullam illam surreptitie et fraudulenter fuisse per Nuncii partiumque ejus fautores in Urbe procuratam, in gravissimam | Ormonistarum 2478 omnium injuriam, et artificiosam Nuncii, nec non partium ejus v apud novum Pontificem defensionem. Romae etiam D. Joannes Creaghus, Ibernus, Limericensis, quem anno 1649 ex Ibernia Romam concessisse vidimus, Alexandro VII, antea Cardinali et tunc Pontifici Maximo, a sacello, ubi Breve illud obtentum fuisse rescivisset, P. Richardum convenit, inque eum excanduit, quod, se inconsulto, Breve illud obtinuerit. Verum licet Joannes anno 1648 Limerici Vicarius Generalis, Nuncii censuras recens latas absente Episcopo executioni mandare caeperit, deindeque

in Ibernia et Romae Nuncii partes secutus sit, Nuncio tamen ad annum 1653, et Innocentio Decimo, ejusdem causae protectore speciali, ad annum hunc 1655 ineuntem defuncto, in tantam venit suspicionem, ut P. Richardus, aliique praefatae causae Catholicae fautores eum ad Ormonistas corde et opere per occultas molitiones defecisse non dubitarint. Porro Breve illud eodem anno in Belgio typis mandatum fuit cum hoc praeludio.

"*Illustrissimorum ac Reverendissimorum Episcoporum Ibernorum, Joannis Rapotensis, Iberniae Vice-Primatis, Edmundi Laghliniensis, Walteri Cluanfertensis, Roberti Corcagiensis, a*
2479 *Sua* | *Sanctitate delegatorum pro absolutione paenitentibus conferenda in causa excommunicationis in Ibernia fulminatae, ad suos populares excommunicatos paterna et seria admonitio Indulto Pontificio praeludens.*

Hebr. 10. (**16**) "*Horrendum est incidere in manus Dei viventis* docuit
1 Cor. 5 et 2. Cor. 2, 5, 10. magnus ille gentium Doctor, qui olim *incestuosum excommunicationis* fulmine percussum *Satanae tradidit.* Liceat nobis eadem popularibus nostris et excommunicationis fulmine percussis Apostolica inculcare verba: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Horrendum* prorsus et nimis quam tre-
Act. 5. mendum senserunt *Ananias et Saphira*, qui ob peccatum furti et sacrilegii *excommunicationis* sententia *Satanae traditi*,[1] subitanea, violenta, et horrenda morte mulctati sunt. *Horrendum* esse et nimis quam tremendum expertus est *Judas* ob
Act. 1, proditum Servatorem *Satanae* pariter *traditus*, qui *suspensus crepuit medius. Horrendum* probarunt *Hymenaeus et Alexander*[2], qui anathematizati et *traditi Satanae*, lupis extra Christi ovile grassantibus in praedam dati sunt. *Horrendum* sua formidabili
Num. 16. morte futuris saeculis tradiderunt exemplum *Core, Dathan et*
2479 *Abiron*, qui, quod Moysi obedientiam detrectarunt, | *excom-*
v Ibid. *municationis* jugo fatiscentes, *et Satanae traditi, vivi a terra*
Num. 16. *absorpti in Infernum descenderunt. Horrendum* rursus mani-
Num. 16. festarunt 14700 contra eundem murmurantes, qui igne caelitus immisso consumpti sunt. Vivum praeter caetera popularibus nostris propinatum exemplum, qui longe majori contumacia et pertinacia Moysi nostro, Supremo in terris Christi Vicario,

(1) Tert. lib. I de Pudic. c. 21.

(2) Aug. tract. 62 in Joan. Chrisost. Hom. 5 super I. Tim. I, 2 apud Estium I. Cor. 5. 5.

ejus in Ibernia Legato Apostolico, Regnique Praelatis obedientiam detrectarunt. Peccatum inobedientiae et ambitionis admiserunt *Core, Dathan, et Abiron.* Eapropter infanda illa et exitiosa plectuntur morte. Utinam non plura admisissent peccata populares nostri, qui (proh dolor) in omnes pene excommunicationes Bullae Caenae impingentes, triplicem pestis, famis, et belli populo Catholico accersiverunt paenam. Una ex illis tribus expiando *Davidis* delicto suffecerat paena. Omnes tres expiandis popularium nostrorum delictis non suffecerant. Binas luctuosissimas adjecit alias offensum Numen ; integrae nimirum gentis exterminium, atque Orthodoxae fidei armis Faederatorum Catholicorum olim restauratae extirpationem deplorabilem. *Signa nostra,* religionis symbola, *jam non vidimus, et jam non est propheta* (sacerdos) nec sacrificium. 2. Reg. ult. 12. Psal. 73. 9.

(**17**) " Haec ex intimo animi dolore repetimus, ut populares nostri ad meliorem conversi frugem cum | paenitente David dicant, *peccavimus Domino.* Quo fiet, annuente Numine, ut mereantur salutaria illa audire verba : *Dominus transtulit peccatum* vestrum. Quamvis enim *horrendum* sit *peccanti* et non paenitenti *incidere in manus Dei punientis,* bonum tamen, optabile et salubre est paenitenti ac Dei misericordiam speranti *incidere in manus Domini* quam benignissime condonantis. *Benignus quippe est, et praestabilis super malitia.* Quamdiu *Achan* peccato adhaesit anathematis, totus populus Israeliticus Divina ope destitutus, irati Numinis indignationem sensit. Statim vero ac ipsum Achan peccati paenituerat et paenas dederat, pacato Numine, totus populus in pristinam restitutus gratiam, Divinam contra hostes expertus est opem. Fit enim subinde ut gens integra inscrutabili Numinis judicio pro peccato paucorum plectatur ; quod innocentibus in meritum, nocentibus in paenam cedere voluit. Restituendos vicissim Iberno-Catholicos in pristinam Numinis gratiam, divinaque suffulciendos ope minime ambigimus, si, excusso per veram paenitentiam excommunicationis aliarumque Censurarum jugo, ad Deum *toto convertantur corde,* et inter se unitis reconcilientur *animis.* | 2480 2. Reg. ult. 2. Reg. 12. Joel. 2. Josue. 7. 18.

(**18**) " Placuit Sanctissimo Domino Nostro Alexandro VII Pontifici Optimo, Maximo, vestri misericordia moto per subjectum Breve Apostolicum illa modo repetere, quae saepe [1] antea vobis significata fuerunt. 1.° *Appellationem interpositam* 2480 v

(1) Lit. Pont. significat. 15 Novembris 1648 ; Card. Panzirol. litt. 30 Maii, etc., 1649 ; Card. Albitii lit. 4 Decemb. 1649, etc.

tanquam *frivolam fuisse* a suo praedecessore, Innocentio X beatae memoriae, *rejectam*. Et vero quantumvis legitima fuisset, effectum tamen excommunicationis prius contractum quam fuerat Appellatio interposita, tollere non poterat, ut docent[1] Theologi et Jurisconsulti ex sacris Canonibus. 2.° *Excommunicationem* fuisse fulminatam non tantum a Nuncio Apostolico, sed etiam a delegatis et subdelegatis Regni Episcopis, quod et ipsa excommunicatio a vobis ipsis impressa, Appellatio vestra et libri contra eundem Reverendissimum Dominum Nuncium perperam scripti testantur, licet vos ut Ministro Apostolico odium conflaretis, ei soli censurarum fulminationem attribueritis. 3.° In eodem Brevi ex ipsa excommunicatione repetitur *ecclesiasticos tam Regulares quam saeculares in quacumque dignitate et praeeminentia constitutos* fuisse eisdem censuris subjectos. Unde nobis non constat quo privilegio non nulli ex nostris fratribus in Ibernia Episcopis a censurarum vinculis eximere se moliuntur, maxime cum ipsimet suo decreto in Sancta Congregatione Ecclesiastica 2 Maii 1648 dato in ejusmodi censuras ferendas expresse consenserint. Et vero
2481 constat Patriarchas et Cardinales hujusmodi | censuris quandoque fuisse legitime innodatos, quanto magis Episcopos. 4°. Denique (ut alia omittam) in eodem Brevi habetur paenitentes debere absolvi *in forma Ecclesiae consueta*, ut scilicet denudatis scapulis virgas excipiant, pro offensa admissa satisfaciant, aliasque subeant paenas, quae in Rituali Romano exprimuntur.

(**19**) " Haec a Sanctissimo Patre inculcantur, ut affectatam hactenus quorundam tollat ignorantiam, seriamque agentes paenitentiam a nobis absolvantur. Hos proinde benignissimi
2. Tim. 4. 2. Patris nomine *opportune et importune obsecramus*, ut ad Sacramentum reconciliationis accedentes ab iisdem vinculis se eximant, et a faucibus *Satanae* se extricent, illud veritatis oraculum identidem repetentes, *horrendum est incidere in manus*
Trid. Sess. 25, cap. 3. *Dei* viventis. Ecclesiae Dei decretum est : *excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de haeresi suspectum, procedi possit.* Caveant populares nostri excommunicati, qui jam a septennio in Censuris insorduerunt,

---

(1) Suarez. tom. 3 in 3 part. disp. 7. l.2.1.

ne decreto hoc executioni mandato, a Sacramentis, et fidelium communione | cum infamia arceantur, qui hactenus sine dis- 2481
crimine et conscientiae aculeo Sacramenta et fidelium com- V
munionem frequentare praesumpserunt. Caveant porro, ne contra eos tanquam de haeresi suspectos procedatur. Paucos esse novimus ad reliquos Faederatos Catholicos collatos, qui in hos censurarum casses se conjecerunt, qui tamen ut in malis socios sibi adsciscerent, civitates aliquot, Comitatus et Provincias pene integras vel dolo malo, vel armata neutrorum, schismaticorum et haereticorum manu in eosdem secum pertraxerunt casses, quod *nefas* haud facile condonabile docent Trid. ubi sacri Canones. Hos si quam mox non resipuerint nominatim sup. cum excommunicentur, necesse est, ut nimirum *tollantur e medio* Can. in *nostrum* qui hoc opus perniciosum fecerunt et ab omni munere in Christiana Republica apud Principes Catholicos amoveantur, quia *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Gal. 5. 9.

(**20**) " Demum contra paucos illos desciscentes vindicanda est integritas gentis maxime Catholicae, et Sedis Apostolicae decretis usque obsequentis, ne quod paucorum crimen est, integrae genti temere imputetur. Haec si obstinatos ad paenitentiam non flectant, flectant (obtestamur) propria animarum suarum salus, desolatae patriae singultus, exulum | Catholi- 2482
corum squalores, Orthodoxae fidei proscriptio. *Quis scit* an non seria vestra paenitentia *convertatur Deus a furore irae* Joa. 3. *suae et non pereat* cum fide Catholica gens tota ? Ah populares longe charissimi, per viscera misericordiae Dei nostri vos deprecamur, ne contumacia vestra, heu, nimis diu protracta committatis ut in vos lamentabilis illa fulminetur sententia : *dilexerunt maledictionem et veniet eis. Et noluerunt benedictionem et elongabitur ab eis.* Neque ab hac maledictione eximuntur illi, qui ab iisdem censuris per quosdam ecclesiasticos, sive Regulares sive saeculares, privilegium sive potestatem aliunde habentes, se absolutos affirmant. Nemo quippe ab excommunicatione ab homine [1] sic lata absolvere potest, nisi *qui eam tulit, aut ejus superior vel successor, aut quibus id ipse specialiter committit* ut docent Theologi ex cap. nuper de sent. excom. Sed et potestas ab hujusmodi excommunicatione absolvendi ab Illustrissimo D. Nuncio quibusdam delegatis in Ibernia data, sic limitata est : *Excipimus*[2] *tamen et exceptos*

(1) Vide suppl. S. Tho. q. 24, a.1. Tann. de paen. disp. 6, q. 10, art. b.n. 117.

(2) Facultas data Cluanfertensi 19 Feb. 1649.

omnino esse volumus illos, sive de Supremo Concilio, sive in quacumque alia praefectura ecclesiastica, aut civili, aut militari
2482 *constitutos, qui causam | principalem, vel favorem principaliter*
v *quomodocumque Cessationi praedictae dederunt, aut principaliter armis eam promoverunt.* Sed nec ab eadem maledictione eximuntur, qui indulgentias et charismatum dona ultimi Jubilaei participarunt. Haec enim, quae ad *forum contentiosum* deducuntur, in eodem indulto excipiuntur. Qua ergo exorsi sumus Apostoli sententia peroramus : *Horrendum* est *incidere in manus Dei viventis.*" Hactenus illa admonitio.

(**21**) 1°. Quatuor illi Praelati, qui hic loquentes introducuntur, adeo longe gentium a se invicem distabant, ut non illi saltem omnes hoc praeludium in lucem ediderint, cujus potius praefatum D. Walterum Enos authorem fuisse crediderim. Porro quod Bulla plures tunc absolutionis beneficium petiisse indicat, de absolutione generali, quae sola (quod sciam) tunc petebatur, intelligendum videtur, idque in Brevi explicandum fuisset. Quod reipsa perinde primà fronte sonat ac si absolutionem tunc petentes culpam agnovissent, et Pontifex nisi injuncta paenitentia salutari haud absolvendos duxisset. Quod Ormonistas illos, qui semper se in illa controversia non deliquisse sustinebant, aegre tulisse non miror, licet ipsos in eadem |
2483 gravissime deliquisse demonstraverim. Breve tamen ex industria eo fine et verborum formula fuisse procuratum ut illa sagacitate Ormonistarum causae praejudicaretur, non crediderim. Imo fide optima processum fuisse suppono cum Brevis verba haud adeo sint ambigua, quin sensum veritati consonum gignant, nempe absolutionem generalem fuisse postulatam.

(**22**) 2°. Quod in Breve dicitur, nempe Appellationem ab Innocentio X° fuisse *rejectam tanquam frivolam*, non Alexandri VII novam decisionem esse constat, sed facti relationem a Brevium Secretario insertam, et sano modo intelligendam, cum Innocentius X ita Appellationem illam non admiserit ut tamen frivolam fuisse nunquam per sententiam diffinitivam deciderit, imo nullam unquam super ea sententiàm diffinitivam tulerit. Unde litterae in praeludii superius positi margine citatae non probant ex sententia diffinitiva rejectam fuisse tanquam frivolam, sed non admissam, et ad ipsum Nuncium fuisse remissam modo ad annum 1648 dicto.

(**23**) 3°. In praeludio jam dicto habetur, quod in Alexandri VII Brevi ex ipsa excommunicationis sententia repetitur,

ecclesiasticos tam Regulares quam saeculares in quacumque dignitate et praeeminentia constitutos eisdem censuris fuisse subjectos. Verum Pontifex hos omnes eisdem censuris obnoxios fuisse non diffinit, sed modo excommunicationem contraxerint, et paenitentes absolutionem | postulaverint, quatuor Episcopis 2483
eos absolvendi facit potestatem. Reque ipsa Brevium Secre- v
tarius Nuncium quosdam Iberniae Episcopos sibi adversatos nullatenus excommunicasse ob rationes statui Episcopali peculiares adeo constanter sibi persuaserat ut (cum de ipsis in censurarum sententia specialis mentio non habeatur) secus sentientes diu riserit et audire noluerit. Qui tamen demum allatis a P. Richardo O Ferallo, Capucino Iberno, illorum Doctorum, qui Episcopos generali Censurarum sententia excommunicari affirmant, rationibus, mediam viam tenendam duxit, qua in Brevi controversiam illam non tetigit, sed ipsis verbis, quibus in Censurarum sententia etiam Episcopi illi generali nomine comprehendi dicebantur, Brevi insertis, voluit ut pari passu eorum absolvendorum, modo censuras contraxerint, potestas fieret, suo decessore in hoc indulgentior, cum ille in simili Innocentii X Brevi 13° Januarii 1652 ad Ardmachanum misso, omni loquendi formula, qua Episcopi vel a Nuncio fuisse excommunicati, vel ab Ardmachano absolvendi esse censerentur, abstinuerit.

(**24**) 4°. In praeludio illis, qui ad hanc Alexandri septimi Bullam paenitentiam agere noluerint, terribiliter incutitur metus, ne secus nominatim | excommunicentur, denuncientur, 2484
et, juxta Concilii Tridentini textum sess. 25, cap. 3, ibi citatum, veluti de haeresi suspecti cum publica infamia multentur. Quod tamen ut fieret, antea ab Halpino sed incassum (sicut vidimus) institum fuit. Idque praeludii (credo) author probe scivit, sed forsan sperans futurum ut demum ejus postulationi acquiesceretur.

(**25**) Ex iis, qui universalem toti Nationi absolutionem postulaverant, Archiepiscopus Cassiliensis ante obtentum hoc *Breve* in Hispania decesserat. Mihi tamen P. Richardus jam dictus retulit, eum multis mensibus post mortem fuisse ab Episcopo Laghliniensi in Hispania (recepto illo Alexandri septimi Brevi) a Censuris absolutum per modum suffragii. Verum Cassiliensem a Nuncio in Censurarum controversia stetisse vidimus. Quam non nisi ex conscientia nimis timorata (credo), metuens ne suis in illa controversia partibus aliquatenus defuerit, absolutionem sibi vivus postulaverat.

(**26**) Inter has exulum nostratium aerumnas haud pauci ex natione Ibernica in Gallia Armorica pedem fixerunt. Quorum non nullis Praelatis, proceribus, et nobilibus inclyti Britanniae Gallicanae ordines competentem pensionem decreverunt, et alios longe plures Clerus populusque Britannicus omni humani-
2484 tatis officio | cumularunt. Ex proceribus illis et nobilibus
v fuisse invenio O Sullevanum Bearrensem et Nicolaum Plunkettum, Equitem, ad quorum primum se recepit O Sullevanus *Magnus* ibi paulo post in exilio fatis functus. Praelati autem fuere Archiepiscopus Tuamensis et quatuor Episcopi, nempe Aladensis, Fernensis, Ardachadensis, et Corcagiensis, praeter Waterfordiensem, quem ibi decessisse vidimus. Horum antistitum quatuor anno 1655, antequam Breve illud ab Alexandro VII missum fuisse audirent, P. Oliverum Walshaeum, Carmelitam discalceatum, Ibernum, saepius nominatum, qui in suo Ordine Cirillus a Sancto Josepho vocabatur, in Procuratorem Romam destinandum cooptaverant, ut generalem a novo Pontifice (quem Innocentio X° ejus decessore rerum notitia melius imbuto, indulgentiorem fore sperabant) toti Ormonistarum factioni absolutionem procuraret. Ille est quem antea haud semel Romae et alibi saepius in procurando sibi Episcopatu operam lusisse vidimus, qui ex Urbe in Belgium regressus, Bruxellis 11° Augusti 1651 ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam scribens : " Appuli (inquit) jam ab aliquibus septimanis Bruxellas cum bona salute (laus Deo) ibidemque hactenus permansi, tractans saepius cum Serenissimo Duce Lotharingiae
2485 pro obtinendo succursu in | favorem Catholicorum nostrorum Iberniae, ad quod praestandum, licet parum inclinatus, moram tamen aliquam trahit. Spero nihilominus infra paucos dies hinc me discessurum cum una navi bellica 20 circiter tormentorum bellicorum, alioque militari succursu, cui ego a sua Celsitudine praefectus constitutus, et ordines meos (mandata) de hora in horam ab eo expecto, maneboque semper humillimus ac fidelissimus filius tam Sedis Apostolicae, quam Illustrissimae Dominationis vestrae, pro quorum authoritate tuenda, et fide Catholica propaganda ac defendenda contra quosvis haereticos vel schismaticos laetus semper non solum vitam exponam, sed etiam cum sanguine meo profundam." Sunt ejus verba. Qui tamen Romam illo ipso anno 1651 reversus, et Lotharingi nec non Commissariorum Ibernorum mandato munitus, operam dedit ut absolutionem generalem a Censuris toties nominatis Ormonistis, et sibi Episcopatum obtineret. Sed utraque spe

frustratus, in Galliam Armoricam concessit, et ibi Brestae fregatis Ibernicis in haereticos Anglicanos bellantibus adeo operam accommodavit, ut non nullae Ibernorum litterae in Urbem deinde scriptae habeant eum cum aliquot ex illis navibus mari se commisisse ut aliquem in Ibernia portum vel ex minoribus Insulis non nullam interciperet, in Galli, cui cum Cromuello et | Parlamentariis Anglicanis male conveniret, obsequium. 2485 v
Verum Archiepiscopo Firmano, deindeque Innocentio X, in quibus operam luserat, defunctis, aliam agendi normam inivit, adeo ut ipsum quatuor ex praefatis Praelatis ad obtinendam ab Alexandro VII toti Nationi absolutionem generalem in Urbem destinarint. Qui etiam ad Episcopum Cluanmacnosiensem, ut ejus conatus in Urbe secundaret, litteras Anglice dederunt, quas hic ex autographo Latine reddo :

" Optime Domine noster.

(27) " Obsecramus ut harum latori, Patri Walshaeo, nostro ad Suam Sanctitatem Procuratori, totis viribus adesse coneris. Cum fonti vicinus sis, tuae partes sunt tuo ipsius et nostris gregibus, nec non iis, qui in illius Regni (Iberniae), quod sacerdotum et Christi servorum cruore sudoreque irrigatum est, vinea laborant, subsidium procurare et solatium. Tuas sacras manus deosculamur et finem facimus.

Illustrissimae Reverendissimaeque Dominationis vestrae Fratres et servi

Nannetis 12 Sept, 1655. Joannes, Archiepiscopus Tuamensis, Franciscus Episcopus Aladensis. Nicolaus, Episcopus Fernensis. Fr. Patricius, Episcopus Ardaghadensis." |

(28) Walshaeus Romam reversus causam illam strenue 2486
tractavit. Circa quam libellum supplicem tunc Romae Cardinali Iberniae Protectori Ormonistarum nomine porrectum habe, a vero haud mediocriter aberrantem.

" Eminentissime Domine.

(29) " Si Eminentia vestra non nisi inconcussae et faelicis Iberniae se protectorem agnosceret, nos Ibernorum reliquiae exules et ex hostis sanguinolenti faucibus ereptae, malorum, quo premimur, ultimo taciti ingemisceremus. At cum magni animi, quo te praeditum orbis terrarum celebrat, proprium sit derelictos fovere et oppressos tegere, eo Eminentiam vestram diligentius nostrae protectionis muneri incubituram speramus, quo depressior est nostra conditio. Ut vero quid hoc esse queat,

quod aerumnarum nostrarum cumulo superaddi possit, clarius innotescat, paulo altius rei seriem repetentes benigne audire dignabitur.

(**30**) " Annus jam agitur octavus, ex quo Faederatorum Catholicorum viribus justa acie profligatis, integra fere Momoniae Provincia Illustrissimo D. de Insequin in illa pugna victori tributum solvere coacta fuit. Nec ejus exercitus successu elatus intra illius Provinciae limites sese continuit. Capto Calleno, sexto a Kilkennia lapide, ad ipsius urbis maenia, quae
2486 toto belli tempore Supremi Concilii | sedes extitit, minabundus
v accessit. Ab altera parte Provinciae Lageniae et Dublinii, Regni metropolis Gubernator, nomine Jones, vigesimo a Kilkennia lapide late dominabatur. In Ultonia vero et Conacia, quae reliquae sunt Provinciae, hostiles copiae et ipsae validae, et ex vicina Scotia indies crescentes terrorem undique incutiebant.

(**31**) " Dum Faederatorum res in his angustiis extremum ducerent spiritum, antedictus Dominus de Insequin exercitum Parlamentariis stipendiis alens, qui communi militabat hosti, et parta dudum victoria devenerat formidabilis, in partes Regias transire constituit, quoque illae firmius sustentari possent, armorum cessationem cum Faederatis Catholicis, qui partes eas una cum religione Catholica defendenda susceperant, et solemni juramento ad id se adstrinxerant, inire decrevit. Quapropter Supremum Concilium, penes quod summa rerum in Ibernia stetit, et cujus contraire decretis, non nisi eodem violato Juramento, Faederatorum quispiam poterat, oblatas inducias tanquam subsidium caelitus missum et afflictis rebus summopere opportunum amplecti haud dubitavit, easque, proceribus et Provinciarum Lageniae et Momoniae nunciis, qui eas enixe implorarunt, consultis, ratas habuerunt.

(**32**) " Hoc tamen non obstante, Illustrissimus Dominus
2487 Joannes | Baptista Rinuccini, Archiepiscopus Firmanus, ad Faederatos Catholicos Nuncius extraordinarius missus, suggerentibus nostratium (ut credimus) aliquibus, fatalem illam 27 Maii anno 1648 in forma excommunicationis schedulam a se et a quatuor Episcopis, ac si reliquorum delegatis, signatam, pronunciari fecit contra omnes fautores, defensores, et promotores dictae cessationis.

(**33**) " Cum vero nostri multum intersit Eminentiam vestram neutiquam ignorare, quo ex fonte haec supposita delegatorum et subdelegatorum authoritas emanaverit, et quam injuste illi

se fulminandis praedictis censuris immiscuerint, haud abs re fore visum est ipsius delegationis exemplar hic inserere, ex quo, quae fuerat illorum quatuordecim Praelatorum, quos Kilkenniam vocaverat Illustrissimus D. Nuncius, animi sententia perspicuum fiet.

(**34**) " '*Nos Archiepiscopi et Episcopi infrascripti praesentes visuris salutem in Domino sempiternam precamur. Variis intenti et distracti negotiis tum gregum nobis commissorum, tum propriis, aliisque de causis, non valentes continuo in uno loco residere, committendum duximus Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis, Nuncio Apostolico, Archiepiscopo Dubliniensi, Clogherensi, Aladensi, et Limericensi Episcopis, et tenore praesentium committimus et delegamus nostram authoritatem* | 2487 *omnimodam ad prosequendum et faciendum quicquid nos ageremus* v *et agere* licite *possemus in publicis negotiis et occasionibus in* Vox *licite* in originale nou est. *ordine ad fidem Catholicam conservandam et propagandam, et specialiter in declaratione nuperrime facta contra cessationem cum D. Barone de Insequin prosequenda et firmanda (si opus fuerit) censuris ecclesiasticis. Et pariter decernimus ut quicquid praefati Domini, Nuncius, Archiepiscopus Dubliniensis, Episcopi Clogherensis, Aladensis, et Limericensis, declaraverint* decreverint. *aut fecerint, aeque nostra authoritate factum sit et reputetur, ac si nos ipsi personaliter istud decerneremus aut faceremus, et nos ejusmodi eorum acta quaecumque rata habituri sumus et grata. Insuper delegamus Illustrissimo ac Reverendissimo D. Archiepiscopo Firmano et Nuncio Apostolico authoritatem adsciscendi unum aut plures, prout ipsi visum fuerit, in casu absentiae alicujus praedictorum Dominorum delegatorum. In quorum fidem etc. Datum Kilkenniae 2° die Maii* 1648.

Hugo Ardmachanus. Thomas Cassiliensis. Joannes Tuamensis. Gualterus Cluanfertensis. Boetius | *Rossensis. Fr. Antonius* 2488 *Cluanmacnosiensis. Fr. Arturus Dunensis et Connerensis. Robertus Corcagiensis. Fr. Oliverus Dromorensis.*'

(**35**) " Ex hoc instrumento manifestum est quo ordine processerunt Praelati? Quos in eorum absentia constituerunt? Quibusve suam authoritatem delegavere, Dubliniensi scilicet, Clogherensi, Aladensi, et Limericensi? Quo ergo jure introducti sunt Corcagiensis, Rossensis, et Dunensis, tanquam subdelegati, plane nescimus? Hoc solum conjectura assequi possumus, ipsos forsan lubentius in divisionem vel saltem in causam

divisionis propendentes aliis ab Illustrissimis ac Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis delegatis, omni juris omissa formula, praelatos fuisse. Etenim potestas subdelegandi Illustrissimo Domino Nuncio nullatenus data fuit, nisi in absentia supradictorum delegatorum, qui omnes, excepto Aladensi, Kilkenniae manebant. Quaerendum ergo an per ostium subdelegati isti subintroierunt? Aut si non, mirum non est ipsos postea praepostere processisse. Quia parvus error in principio, magnus in fine probatur. Quod ab initio non subsistit, tractu temporis non firmatur.

(**36**) "Quam igitur minus aeque Illustrissimus Dominus
2488 Nuncius, | quam non conformiter ad mentem Delegatorum
v processere ita asserti subdelegati isti, ferendo talem censuram, facile judicari poterit, cum ipse D. Nuncius virtute suae Commissionis in tanta necessitate et periculo Regni nullam potestatem ferendi censuram contra summum Regni magistratum et defensores habuit (Ecclesia enim non destruit, sed aedificat), nec virtute delegationis Praelatorum, cum delegatio
adulterationis consequentia et scopus. extendat se tantum ad *licite* facienda, ut in corpore istius instrumenti videre est. Nec subdelegati ullum jus praetendere poterant ferendi censuras, cum ex se nullum habuerint extra suas diaeceses (maxime in Episcopos, quorum delegatos se autumant), eo quod contra jus introducti sunt. Nec virtute instrumenti delegationis aliquid acquisierunt, ut volens quisque cernere potest in ipso instrumenti calce, et ut adhuc perspectius videre est in attestatione Illustrissimi Archiepiscopi Tuamensis, Aladensis et Limericensis, Episcoporum, super hac re data de mente et intentione Praelatorum delegantium in isto Conventu congregatorum, qui ista testantur:

(**37**) "'*Cum aequum sit et necessarium veritati testimonium perhibere, nos infrascripti hisce notum facimus ac testatum, declarationem, quae a non nullis hujus Regni Praelatis subscripta et data fuit* 23 *Aprilis anno* 1648, *non esse aut fecisse contra* |
2489 *Cessationem armorum, quae postea inter Confaederatos Iberniae Catholicos et Illustrissimum D. Baronem de Insequin fuit conclusa et promulgata die* 21 *Maii* 1648, *sed contra speciales aliquos articulos ex eis, qui fuerunt nobis exhibiti dicto mense Aprilis, qui articuli postea fuerunt immutati et emendati. Testamur praeterea nos non voluisse damnare aut declarare in genere contra armorum Cessationem cum D. Barone de Insequin, cum nobis constiterit ex suffragiis et votis Provinciarum Momoniae et Lageniae in Provincialibus suis Conventibus super hoc habitis*

Cessationem cum illo utilem et necessariam fuisse declaratam et rogatam, ut jam plane constat ex malis et damnis, quae ex illius Cessationis violatione toti Regno provenerunt, omnino talem fuisse. In quorum fidem et testimonium his subscripsimus 28 *Januarii anno* 1648, *stylo veteri.*

Joannes, Archiepiscopus Tuamensis. Franciscus Aladensis. Edmundus Limericensis.'

(**38**) " His ad subdelegatorum illorum surreptitiam potestatem enodatius explicandam intertextis, rei seriem deinceps prosequemur. Ut primum illud censurarum fulgur emicuit, Iberniam in se armatam, proprio sanguine faedatam vidimus, dum multi tumultus | et rapinam anhelantes Censurarum 2489
praetextu, spreta magistratus authoritate, cujus mandatis v
parere recusaverant, a legitimo imperio quo a depraedandi licentia coarctabantur, se subducunt, et quamplurimi, inter quos omnes, si tres excipias, proceres, omnes urbes et oppida, Praelatorumque et Ecclesiasticorum partem firmiorem et constantiorem enumerare licet, qui rebus in turbidis proprium expiscari commodum nefas duxerunt, sacramenti memores pro Supremi Concilii authoritate stare consultius existimaverunt.

(**39**) " Quapropter summus in Ibernia Faederatorum magistratus, ne sibi, ne Catholicis Cessationem illam secum amplectentibus deesse viderentur, suo Faederatorumque nomine Appellatione legitima et intra dies praescriptos Illustrissimo D. Nuncio porrecta, ad faelicis recordationis Innocentium X^m^ recurrit, et Fr. Joannem Rowe, Ordinis Carmelitarum discalceatorum Provincialem, virum vitae integritate, prudentia, et in rebus agendis solertia conspicuum, Romam delegat. Beatissimus vero Pater pro sua prudentia controversias inter Confaederatos et Sedis Apostolicae Nuncium sopiendas forsan potius quam sententia dirimendas ratus, litigiosa via juris declinata, 17° Junii | 1649 Congregatione Cardinalium habita 2490
super Appellatione ex Ibernia per Illustrissimum D. Nuncium missa tractandum duxit.

(**40**) " At sicut ad illum mensem, qui sextus fuit, ex quo Romam Pater Rowe appulit, adversa pars moram rei discutiendae injecit, nunc Illustrissimi D. Nuncii Confessarium, nunc Decanum Firmanum, qui diversis temporibus nec expedito itinere venerant, prius audiendos esse clamitans. Ita postea crebram suggerens cunctandi materiam, aliquando Faederatos in Comitiis Regni Generalibus quaedam statuisse in damnum ecclesiasticarum immunitatum, aliquando dicendo rem actam

agi, nec nisi octo vel decem pertinaciter in sententia haerere. Reliquos omnes jam tum culpam agnovisse et ab iis, quos Illustrissimus D. Nuncius ad id muneris in Ibernia delegaverat, absolutionem obtinuisse, eousque rem protraxit, donec dissidentium ductore, Eugenio O Nello, Proregis Ormonii imperio se submittente, rebusque inter Ibernos nimis sero compositis, et subacta ut plurimum per Cromuellum Ibernia, res ipsa quasi utrinque dimissa substitisse videbatur.

(41) " Exinde simultates obliterandas credidimus, et pro-
2490 fecto omnino animis excidissent, si non nulli | ad dissidia
v renovanda proniores primum rumores in vulgus spargere, deinde palam urgere desiissent nos causa cecidisse, quos Sua Sanctitas legitima et juridica sententia non absolvit. Nos econtra omnis nos culpae immunes esse contendebamus, quandoquidem Sua Sanctitas Nuncii sui sententiam nequaquam validam declaraverat. Nam cui dubium esse possit Beatissimum Patrem, pro paterno suo in bene meritos filios affectu, si censurarum vinculis innodatos sentiret, illos tanti criminis haud gravate, haud perplexe admoniturum. Hinc novae pullularunt contentiones, quae nutantis ac debilis Iberniae ruinam accelerarunt.

(42) " At quis eversa patria, sparsis per orbem terrarum incolis, alia simultatum fundamenta locari crederet? Ecce supersunt, Eminentissime Domine, qui Alexandri septimi sacris auribus abuti ausu temerario non verentur. Inter quos (ut audivimus) eminet Episcopus Cluanmacnosiensis nunc Romae, qui cum praedictae Excommunicationi subscripserit, ut ipse nostro dispendio temeritatis notam evadat, zelo quodam in nos specioso, sibi certe provido, nos, ac si legitime excom-
2491 municatos, Suae | Sanctitatis authoritate delegata absolvi, importunis precibus imploravit et Breve, cujus exemplar his cum una Eminentiae vestrae mittitur, subreptitie obtinuit. Supersunt, qui commentarios Brevi annexos simulata misericordia minis replere non desistunt.

(43) " Verumtamen non ut Eminentia vestra nobis adsit quasi super Appellatione jam litigaturis, supplices has damus litteras. Sufficit nos neque debitae in Apostolicam Sedem observantiae, neque veritati ullatenus in illa Appellatione defuisse. Ad Beatissimum Patrem Alexandrum VII rem integram deferimus.

(44) " Constat Supremum Concilium (neque tam manifestam veritatem ipsos adversarios oppugnaturos credimus), penes quos stetit Faederatorum authoritas, armorum Cessationem cum

Domino de Insequin a Parlamentariis ad regias se partes cum exercitu quindecim millium subtrahente, exhausto aerario, duobus, intra anni spatium unius, profligatis exercitibus, iniisse, temporibus etiam adeo difficillimis, ut ipse Illustrissimus D. Nuncius rumore increbrescente Scotos in Ultonia Parlamentariis devotissimos confaederationem cum Catholicis admissuros, id Reipublicae et Regno valde opportunum senserit. Constat in articulis Cessationis illius Supremum Concilium | (modo in tali tractatione prorsus inusitato) libero Catholicae religionis exercitio, ecclesiasticorumque functioni providisse non solum in illo terrarum tractu, quem belli sorte dudum obtinuit, sed in eo, quem ab initio belli possedit, locis militum praesidio firmatis solum exceptis. 2491 v

(**45**) " Haec licet omnia ex actis publicis et ex ipsis Illustrissimi Domini Nuncii litteris constent, si tamen Sua Sanctitas Supremum Concilium authoritate absoluta Faederatorum res provide (ut ex praemissis patet) et ad mentem Comitiorum Regni Generalium administrans, si nos sacramento solemni ejus decretis observandis adstrictos, has Censuras meruisse dixerit, manus damus, veniamque petimus, et si deliquimus, ab illa Sedis Apostolicae manu, quae ad Bermudas Insulas et Jamaicam usquequaque patet terrarum orbis, ubi nostrates exulant, et mancipantur, se extendit, absolvi rogamus. Sin innocentes et immerito laesos duxerit, Eminentissimae Dominationis vestrae protectionem imploramus, qua rupta . . . . indies crescente calumniarum, tandem aliquando Apostolicae Sedis clementia perfundi valeamus. deest aliquid.

(**46**) " Nec spernendus certe est renovati dissidii fomes. Nam licet Catholicis non alia restet Ibernia, quae simultatibus ex illa excommunicatione ortis perdi | possit, ejus tamen effectus funesti, si non praevenientur, Ibernos exules et rebus omnibus spoliatos prosequentur. Odio quippe implacabili et perpetuo inter se concertabunt, dum hi populi charitatem et benevolentiam ab iis, quos excommunicatos et Satanae traditos praedicabunt, avertere (ut jam pridem Nannetis tentatum) omni studio contendent. Milites praeterea signa pro arbitrio deserent, hinc inde transcurrent, totamque nationem, cui praeter generosam in armis fidelitatem nulla vivendi ratio superest, dedecore et opprobrio onerabunt, dum, praetextum ministrantibus Censuris, ducem sibi fingent excommunicatum, cujus imperio, omni data occasione, se religiose subducere possint. Duces etiam, dum sibi mutuo excommunicationem, 2492

perjuriam, et perfidiam objiciunt, duello rem diriment, et quibus mori contigerit, sine dubio excommunicati procumbent. Denique, Eminentissime Domine, non est malum, quod in gentem adeo afflictam cadere potest, cui Censurarum illarum praetextus viam non sternet.

(47) " Quapropter Eminentiam vestram eversae et infelici Iberniae eousque patrocinari obsecramus, ut quandoquidem nobis media desint, quibus coram Sua Sanctitate prostrati praeteritas et imminentes nostratium calamitates deflere
2492 possimus, vos | dignemini quaecumque pertulimus, quaeque
v ventura veremur mala Beatissimo Patri indicare, qui pro paterno in nos affectu et status nostri misericordia eum, quem de sua prudentia optimum judicaverit, modum praescribet, quo crescentes earum occasione Censurarum indies simultates supprimi possint, ne cum pace, quam studio caelitus inspirato et indefessa opera inter Principes Christianos stabilire contendit, Europa bellis attrita (ut speramus) fruetur, soli infaelices Iberni se mutuo perimant et infeliciores occumbant." Hactenus ille libellus supplex ad Cardinalem Iberniae Protectorem missus.

(48) Si P. Oliverus Walshaeus (quod non constare, sed praesumptione validissima conjectari video) hunc libellum supplicem secum in Urbem transportavit et ibi obtulit, quantopere a se ipso recessit, cum antea Nuncii et partium ejus fautorem egerit. Porro libellus haud adeo occulte porrectus fuit, quin P. Richardus O Ferallus, Capucinus Ibernus, Romae tunc permanens, ejus exemplar obtinuerit, et non nemo anno 1656 MS. Latino, quod proprio P. Richardi manu exaratum sexaginta paginas in folio et aliquot praeterea lineas continet, refutandum susceperit. Author autem in suae refutationis praefatione de Walshaeo et libello illo supplici loquens, haec habet verba : " Ipse (ut ex hactenus gestis colligere quis |
2493 potest) vel alius ejus suasu vel auxilio (quia revera ipse ad id ineptus est) libellum hunc famosum ex falsitatibus et calumniis confectum per se vel per alios exhibere curavit, idque titulo vel nomine *Ibernorum reliquiae exules*. Sed qua id authoritate in Curia Romana audeat absque mandato vel Commissione et absque suo nomine, nescio ? Sed cumulus mendaciorum, fallaciarum, et calumniarum in Praelatos et Catholicos per totum libellum ad 138 numerum incredibilem excrescens et authorem suspectum et Libellum reddit infamem. Ego eorum jussis, quorum erat imperare, obtemperans, hoc qualecumque privatum eis dedi responsum, ut illi inde iniquitatem libelli

percipientes, Clerum et Catholicos non condemnent." Sic ille, qui Walshaeum ideo (credo) absque mandato processisse dicit, quod non a Natione, nec ab *Ibernorum reliquiis exulibus*, sed ab eorum pauculis missus sit, quorum non esset totius Nationis, vel ejus reliquiarum exulum, sed paucorum Ormonistarum personam gerere. Refutatoris autem MS. hic inserendum non duxi, cum plus nimio prolixum sit, et controversiam ex factorum relatione dirimat, quam suo loco superius tradidi, proindeque hic non repeto. Moneo vero Cleri actum Kilkenniae 2° Maii 1648 datum libello supplici ab Ormonistis illis misso insertum esse cum duplici adulteratione, et Tuamensis, Aladensis, | ac 2493
Limericensis testimonium 28 Januarii 1648 stylo veteri, vel v
1649 stylo novo datum, eidemque libello supplici intextum in idem suo loco superius ex Philopatro, alio insigni Ormonista, positum, non quadrare. Quod magis probat turpem illorum hominum in actis adulterandis confidentiam. Caeterum succinctam tunc Illustrissimi D. Dionisii Massarii, antea in rebus Ibernicis etiam in Ibernia versati, sed tunc Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretarii, super controversia in Urbe consulti censuram subdo :

(**49**) " Jussus nomine Summi Pontificis proferre quod sentio de Missione et petitione cujusdam Religiosi ad Sanctam Sedem Apostolicam ex parte quatuor Praelatorum Iberniae, Archiepiscopi Tuamensis, et Episcoporum Aladensis, Fernensis, et Ardaghadensis, audeo meam proferre pro conscientia opinionem, describendo prius breviter qui et cujus qualitatis sint dicti Praelati ?

(**50**) " Primus horum est D. Joannes de Burgo, Archiepiscopus Tuamensis, vir pertinax et durae cervicis, qui tempore, quo fueram ego in Ibernia, fecit se caput ecclesiasticorum rebellium, fuitque primus, qui insurrexit contra eundem D. Nuncium Apostolicum et reliquum Clerum Catholicum, contra Patriam, contra authoritatem Nuncii, | et contra ipsam Catholicam 2494
fidem, assistendo personaliter exercitibus excommunicatorum et haereticorum, etiam obsidendo per viginti circiter dies ipsum D. Nuncium Apostolicum, et vi aperiendo templum collegiatum exemptum, ante faciem D. Nuncii, et invito et contra protestante Capitulo civitatis Galviae, ibidem tempore Interdicti celebrando, exhortando et alios celebrare faciendo et tantumdem apud Interdictos Carmelitas Excalceatos praestando. Curavit denique hic Archiepiscopus sese a Comitiis declarari legatum ad Marchionem Ormoniae, novum Proregem haereticum, eumque

nomine Cleri acceptavit, honoravit, amplexus est, et pene adoravit, supplicans ut acceptaret gubernium.

(**51**) " Episcopus Aladensis astitit Archiepiscopo Tuamensi in praedictis contra D. Nuncium Apostolicum in obsidendo violenter, et adhibitis scalis, aperiendo templum, ibi celebrando, eum juvando et animando. In sua diaecesi ausus est palam praedicare, expediens imo necessarium esse reducere gubernium haereticum et acceptare Marchionem Ormoniae in Proregem etiam Protestantem. Propter quae fuisset a suo Clero et populo ejectus et a tota sua diaecesi turpissime expulsus, imo fere lapidatus, nisi a discrimine hoc se liberando promisisset se revocaturum votum, consilium, et acta. Sed perfide, dum liber evaserat, rediit ad vomitum. |

2494 v (**52**) " Episcopus Fernensis, quasi callidissima vulpes, fuit semper clanculum cum pseudo-Catholicis, haereticis, Ormonio etc., aususque est pluries sub ficto zeli titulo decipere Nuncium Apostolicum, Primates, et Clerum Catholicum, et in multis et praecipuis assecutus est intentum. Factionarios semper defendit. Hic est qui post accepta innumera beneficia in Curia Romana ab Innocentio X° sanctae memoriae, a Sacro Collegio, aliisque Principibus, reversus in Regnum magis nocuit Nuncio Apostolico et Confaederatis Catholicis, quam alius quispiam adversarius. Iniquam pacem cum haereticis promovit, publicando talem fuisse intentionem Summi et Romani Pontificis. Advocavit ad Assembleam refractariorum alios coepiscopos Regni sub titulo conferendi cum ipsis Breve Apostolicum, cui (inquit) obedire deberent, quia habet vim citationis. Idque eo solum fine ut eos deciperet, et enervaret partem Sedis Apostolicae Nuncio et bonis Catholicis adhaerentem.

(**53**) " Episcopus Ardaghadensis, Fr. Patricius Plunkett, Cistertiensis olim monachus, qui prius quam adeptus est episcopatum, astutissime simulavit se fidelem ; post acceptam 2495 dignitatem voluit prius consecrari inter decem | alios Episcopos a sancta Romana Ecclesia tunc noviter electos, ut esse posset etiam primus inter eos, qui se declararunt adversarios et inimicos ut supra. Et in multis occasionibus plurimum nocuit maxime Religiosis optimis, Minoritis, quos accepto mandato Proregis haeretici vexavit et persecutus est.

(**54**) " Haec satis sint circa qualitates Praelatorum, quorum nomine (tamen sine mandato) Religiosus ille si non pejor, non tamen minus infensus bonis, postulat Breve vel authoritatem specialem pro absolutione a Censuris olim in Ibernia fulminatis

a Nuncio Apostolico ; non ad alium finem et effectum, quam quod larvati sic erubescunt incedere coram Episcopis optimis, et qui tam bene sese gesserunt in miserrima illa temporum conjunctura, et ideo a quibusvis aliis vellent potius absolvi, quam ab iis, qui solo aspectu possunt iis proprios defectus et errores improperare. Alias videretur inanis istius Religiosi petitio. Ad quid enim novam facultatem a Summo Pontifice petere, cum in loco ubi sunt, copiam habeant absolutionis ? |

(55) " Cum igitur Sanctissimus D. N. Alexander septimus 2495
(qui diu vivat) facultatem impertitus sit quatuor Episcopis v
Ibernis, videlicet Rapotensi, qui est in Flandria, Laghleniensi, qui in Hispania, Corcagiensi, qui in Gallia, et Cluanfertensi, qui degit in Germania, viris de religione Catholica et de Sancta Sede Apostolica optime meritis, et Praelatis dignissimis, ad quid nunc nova petitur, vel alia exquiritur facultas, nisi ut aliqua istis fiat et irrogetur injuria, seu nota inuratur et ut inanis reputetur et sit authoritas eis modo collata, quae sicut in maximum vergit eorum honorem, ita vellent refractarii, ut nunc convertatur in dedecus, et possent jactare se aliunde et specifico modo esse absolutos, despiciendo alios, qui ab his delegatis absolvantur. Quod si fieret, exanimarentur boni et confortarentur mali.

(56) " Ideo illius sum sententiae ut, cum optime sit a Sanctissimo D.N. jam provisum, nihil penitus amplius innovetur. Et si Praelati isti excommunicati velint absolvi, petant unum vel alterum, quem velint, ex delegatis, vel postulent ab eis alium, quem voluerint, subdelegari ; et sic nulli fiet injuria. Possunt alii hoc benefacere, et facient, cum jure cautum sit quod Legatus Summi | Principis potest alium subdelegare. 2496
Et multo magis hoc praestare possunt delegati Summi Pontificis, qui habet autoritatem transcendentem. Caeterum (ut verum fatear) nisi aliam perferant refractarii isti erroris sui paenam, hoc saltem sustinere merentur ut absolutionem petant ab iis, qui praeter ipsorum vota a Sancta Sede Apostolica sunt provide deputati. Neque facienda est mutatio de bono in melius absque urgentissima causa, sed tantum de malo in bonum, quod rei nostrae non quadrat, cum decreta contradictoria dent ansam haereticis publicandi (ut spargere plerumque solent) scivisse melius sentire Rempublicam Ethnicam quam Christianam. Et sic salvo semper etc.

Dionisius Massarius."

(57) Praefatus P. Oliverus Valesius, vel Walshaeus (sic enim

saeculi nomine vocabatur), vel (ut in sua Religione nominabatur) P. Cirillus a S. Josepho, Carmelita Ibernus, alia quoque in Urbe procurabat, quae hic ejus libellus supplex Suae Sanctitati porrectus te docebit.

" Beatissime Pater.

(**58**) " Fr. Cirillus a S. Josepho, Ibernus, aliquorum Episco-
2496 porum dicti Regni Procurator, aliqua, quae | ex parte prae-
v fatorum Praelatorum charitative praestanda exposcit, in sequentibus articulis Beatitudini Vestrae humiliter exponit.

(**59**) " 1°. Ut Vestra Sanctitas misericorditer dignetur omnes et singulos Iberniae incolas, qui censura Illustrissimi D. Rinuccini, tunc Nuncii, innodati fuerunt, absolvere, quia vel delegati vestri non possunt ad dictos accedere, vel illi nequeunt ad delegatos properare, propterea quod partim sint in Ibernia, partim in Insulis *de Barbados*, et (ut unico verbo dicam) omnes in dispersione gentium sunt. Ex sua igitur paterna benignitate nec dictam generalem absolutionem, nec suam sanctam benedictionem misero illi Regno et nimis afflicto concedere et elargiri gravetur.

(**60**) " 2°. Ut solita sua charitate transmittat unum suum Breve Pontificium ad Marescallum *de la Milleray*, Gubernatorem Nannetensem ac Galliarum Reginae *Locum-tenentem* Britanniae Armoricae et ad oppidi Nannetensis cives exhibendo gratias pro charitate exuli Clero Iberniae apud ipsos commoranti praestita et exhortando ipsos ut dictam charitatem inceptam prosequantur. Aliud quoque Breve Apostolicum ad quosdam nobiles Galliae, videlicet ad Abbatem *de la Verne*, ad Ducem
2497 *de Luyne*, | ad Marchionissam de la Curtesse, cum caeteris piis nobilibus in quadam charitativa *Assemblea* congregatis, ad hoc ut afflictis Iberniae Catholicis subveniant, prout jam a duobus circiter annis decreverunt.

(**61**) " 3°. Ut aliquem Conventum extinctum vel extinguendum hic Romae concedere non gravetur Vestra Sanctitas Patribus Carmelitis Discalceatis Ibernis, ubi poterunt convivere cum Regulari observantia, et recipere novitios, ne omnino deficiant.

(**62**) " 4°. Et ultimo exoptat vester orator, ut post tot persecutiones et labores pro fide Catholica et patriae defensione perpessos, tantum solatii habeat, ut ante suum discessum, Sanctitatis Vestrae pedes sacratos deosculari possit." Haec ibi.

(**63**) Hanc chartam ad duos Cardinales, Capponium et

Albitium (quorum hic antea Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis in Urbe diffiniendis praefectae a secretis, de Catholica Iberniae causa optime meritus, et ab Innocentio X° ad Cardinalatum promotus fuit) nec non ad Massarium, ut circa eam deliberarent, Sua Sanctitas remisit. Ejusdem autem chartae apographo subjunctas reperio has responsiones:

(**64**) " R. Fr. Cirillus nunc iterum fatetur se procuratorem istorum Praelatorum, quatuor nempe Episcoporum excommunicatorum, qui tamen nec se | submittunt, nec absolutionem 2497
pro se petunt, nec emendationem promittunt, nec etiam v
generalem illam absolutionem ad alium finem petunt, quam ad illudendum Catholicis, Pontifici, et ut hoc stratagemate irritent optimum Breve jam concessum, atque ita enervent authoritatem commissam bonis Episcopis.

(**65**) " Ad primum, optime et abunde provisum est a summa providentia Sanctissimi Domini Nostri reductioni, conscientiis et saluti excommunicatorum, disponendo plures delegatos Episcopos per diversa Regna, in quibus possunt ipsi excommunicati, ut in Hispania, Gallia, Belgio, et Germania, qui in Iberniam et ad *Barbados* usque transmittere possunt suos delegatos, suos Vicarios vel alios. Deinde nec Regnum Iberniae, nec omnes, nec decima pars incolarum ejus, fuerunt excommunicati; sed pauci tantummodo, qui conjurantes cum haereticis, patriam, fidem, Catholicos, et Clerum tradiderunt, vendiderunt. Cur quaeso non pro his quatuor Episcopis absolutionem petit? An cupiunt alios potius absolvi, quam se ipsos? Nec possunt praetendere distantiam delegatorum, cum in eadem cum ipsis Nannetensi urbe habitet fidelissimus Corcagiensis Episcopus. Nullus absolvere debet invitos, sed aliqui, maxime isti Episcopi, nolunt absolvi saltem a delegatis. Omnes fere excommunicati sunt jam absoluti ab ipso Domino Nuncio, vel subdelegatis ejus, quibus amplam dedit potestatem absolvendi omnes praeter primarios | conjuratores, vel a D. Primate. 2498

(**66**) " Ad secundum, mirum est quod audeat hic fallere Sanctissimum D. Nostrum, suadendo ut per Brevia Apostolica publicet et commendet tanquam pios, justos, et bonos Catholicos, viros illos contumaces, excommunicatos, et qui nolunt sua peccata recognoscere aut detestari, vel sese submittere Sanctae Matri Ecclesiae. Suadet etiam hic rem iniquam et injustam, ut nimirum Sua Sanctitas persuadeat piis et illustribus viris, Gallis, ut pias illas largitiones et eleemosynas, quas in ipsos et bonos Catholicos conferre cupiunt, in excommunicatos dis-

tribuant, maxime dum ibidem reperiantur D. Episcopus Corcagiensis et alii zelantissimi Catholici, qui nunquam fuerunt rebelles Ecclesiae, vel authores evertendi fidem, religionem, et Patriam, et hos nominatim commendare Gallorum munificentiae pietas postulat.

(**67**) " Ad tertium, advocare Romam et in gremio Sanctae Sedis Apostolicae nutrire Patres Carmelitas Ibernos, quos propter publicam eorum rebellionem in Ecclesiam et Ministrum ejusdem Sanctae Sedis, toto Regno eliminare voluerunt zelantissimi Praelati et Catholici, nisi de eorum emendatione constet, res esset forte timenda et scandalosa.

(**68**) " Ad quartum. Piae memoriae Papa Innocentius noluit unquam ad suam praesentiam admittere alterum Carmelitam, praedecessorem hujus P. Cirilli, et sicut illum cum opprobrio et infamia etiam ab Urbe projecit, forte pari modo hic ejici-
2498 endus, ut ediscant alii, quam turpe sit obire tales | Commis-
v siones emendicatas, pro contumacibus Ecclesiae contra Sanctam Sedem Apostolicam." Haec ibi.

(**69**) Hae responsiones a binis Cardinalibus jam dictis et Massario, Sacrae Congregationis Propagandae fidei Secretario, an ab aliquo Iberno per eorum aliquem consulto tanquam in rebus Ibernicis optime versato datae fuerint, mihi non constat? Porro his omnibus repulsis non obstantibus, Carmelita animum non despondit, sed hos aliosque insultus anno 1656 et 1657 Romae continuavit, ut absolutionem illam generalem assequeretur. Sed circa anni 1657 digladiationes huc spectantes mihi occurrunt in P. Richardi O Ferralli Scriniis tria cujusdam Libelli supplicis exemplaria Latina, quorum duobus manu propria subscripsit. Tertium vero est apographum. Libellus ille ex exemplari aliis duobus aliquanto correctiori, non P. Richardi sed alicujus alterius stylum redolens, hic sequitur:

Sanctissimo Domino Nostro
Alexandro VII
Pontifici Maximo.

" Beatissime Pater.

(**70**) " Cum aliquot abhinc mensibus juberet Sanctitas Vestra ut ego DD. Cardinales Congregationis rerum Iberniae infor-
2499 marem de absolutione generali tunc | petita sed antea negata a Sanctitate Vestra, a censuris olim in Ibernia latis in eos, qui faedere vel armis se cum haereticis contra Clerum et Catholicos

unirent, ut ait forma excommunicationis : insinuavi D. Cardinali, Carolo Barberino, Viceprotectori Iberniae (quem sollicitatum esse intellexi ad urgendum adhuc illam absolutionem), Sanctitatem Vestram jam recusasse illam, et ne admisisse quidem fratrem illum Carmelitam, et ostendi aliquot rationibus illam fuisse merito recusatam. D. Cardinalis miratus me dissuasisse absolutionem illam petitam vel approbatam ab illo P. Carmelita, Cyrillo Walshaeo, a quodam sacerdote Ecclesiae S. Hieronimi *Charitatis* cognomine Plunkettus, a Patre Jesuita Collegii Ludovisiani, a P. Luca Waddingo, etc., pie ac prudenter monuit ut ego potius viros illos conveniens rationibus persuaderem ne illi absolutionem postulando et ego illam dissuadendo, videremur inter nos esse discordes. Cujus quidem prudentissimo consilio obtemperassem, nisi id a me frustra tentandum crederem apud illos, quos suspicabar affectu potius voluntatis, quam intellectus ignorantia vel errore patrocinari eversoribus religionis et Regni. Hinc a congressu illo privato parum profuturo me ipsum excusans, obtuli publicum coram ipsomet D. Cardinale vel coram quovis alio, etiam coram universa Sacra Congregatione, ubi, | favente Deo, voce vel scriptis conarer defendere causam 2499
Ecclesiae et Catholicorum adversus quoscumque adversarios. v
Verum cum id mihi concessum non sit, et ego ipse ab illa die in hodiernam usque immerito traducar apud nostrates, apud Patres nostri Ordinis, apud Praelatos, et etiam apud DD. Cardinales, nec non minis et contumeliis afficiar ; ad sacros pedes rationes adduco, quibus inductus sum ad absolutionem illam et libellos famosos ipsorum hominum improbandum ut cernens Sanctitas Vestra se, inspirante numine, negasse absolutionem illam, favere dignetur piae Catholicorum causae.

(**71**) " Eadem pars (Beatissime Pater) Supremi Concilii Iberniae, et iidem homines, qui anno 1646, propter conjurationem, sub nomine pacis cum haereticis, factam, fuerunt probrose ab officio deturbati, carceribus impacti, publice declarati perjuri, excommunicati, et rei laesae Majestatis Divinae atque humanae, intrusi iterum in idem Concilium, invito et contradicente Clero, statuerunt rursus anno 1648 sub titulo Cessationis armorum, conjurationem magis nefandam, faedus scilicet offensivum ac defensivum contra Catholicos cum omnibus trium Regnorum Puritanis, Praesbyterianis, aperte quidem cum D. Barone de Insequin, sed occulte cum caeteris, ut ex actis publicis Parlamenti Scotiae | est manifestum. 2500
Contra quod faedus antequam conclusum esset, sic se declaravit

Congregatio Cleri: '*Per Archiepiscopos et Episcopos Regni Iberniae congregatos coram Illustrissimo Domino Nuncio. Nos, etc., discussis igitur enucleate rerum ac temporum praesentium circumstantiis et rationibus ad id pertinentibus, invenimus dictam Cessationem omnino tendere ad ruinam Catholicae religionis, cultorumque ejus in hoc Regno. Propterea conscientia moti eandem periculosam plane ac iniquam esse declaramus, ac nulli tutum esse in conscientia illam amplecti, etc.*' Et eadem Episcoporum Congregatio postquam intimaverat declarationem hanc Concilio, delegavit quatuor Episcopos, *qui in his et reliquis Ecclesiae negotiis* D. Nuncio (inquit instrumentum delegationis) *vice et cum potestate Congregationis adessent, et hanc declarationem prosequerentur etiam censuris, si opus esset.*

(**72**) "Hac vero declaratione non obstante, detexit D. Nuncius conjurationem magis magisque indies crescere (sicut id ante scivit ex ipso D. Episcopo Fernensi Romam profecturo), tam ex variis litteris, informationibus, depositionibus, quam ex ipso D. Residente Galliae, ex quodam Confessario Regulari,
2500 qui fide jurata deposuit undecim | personas fuisse deputatas
v ad conjurationem sequenti die complendam in ejus personam. Rescivit etiam ex D. Episcopo Limericensi tractatum a Consiliariis institutum pro emendandis (ut dicebant) articulis faederis fuisse fictum, et Deputatos jam fuisse clam missos ad illum concludendum. Vidit D. Prestonum celerrime conscribere exercitum, et eodem die introductos fuisse in civitatem praeter morem et necessitatem trecentos circiter equites et nescio quot pedites sub Ormonistarum conductu, et D. Baronem de Insequin conjurationis complicem per litteras circulares se declarasse contra D. Nuncium et D. Generalem O Neill. *Plurimum* (inquit) *conducet communi bono et utilitati Regni, ut conatus omnes adhibeantur ad supprimendum D. Nuncium, Eugenium, etc., omnesque eorum adhaerentes, etc.* Idcirco prudenter ipse, ne probrosae morti, carceri, vel haereticorum potestati traderetur, privatim ex urbe discedens, ad Catholicorum exercitum confugit.

(**73**) "Illic autem quotidie cernens recentiora non modo indicia, sed et manifesta argumenta conjurationis, imo conspirationem hactenus occultatam velo Cessationis tunc in apertam hostilitatem esse conversam, et Prestonum cum copiis
2501 suis et Puritanorum equitatu irruere | ad obruendum ipsum, et D. Eugenium tunc stipatum octingentis tantum militibus, nihilque de conjuratione illa cogitantem, tum demum ad

supplicationem Episcoporum et nobilium, juxta mentem et mandatum expressum Congregationis, in extrema illa necessitate, dum instaret hostilis exercitus caedem anhelans, in propriam, justam, et necessariam defensionem Catholicae religionis, sui ipsius, Episcoporum, nobilium, Catholicorum et rerum etiam, cum nullum aliud humanum superesset remedium, una cum delegatis Episcopis fulmine censurarum percussit authores et defensores illius Cessationis, nisi desisterent, et eos *qui cum D. Barone de Insequin, vel quocumque alio haeretico sese jungerent aut arma sumerent contra Catholicos.* Quo quidem fulmine hebetavit irruentium impetum, donec D. Eugenius congregato exercitu salvavit personas et bona. Ipse vero Appellationem Consiliariorum frivolam et iniquam, ad effectum solummodo devolutivum non suspensivum admisit.

(74) "Consiliarii autem persistentes in conjuratione, invadentes, extrusis collegis, integrum gubernium, nec expectantes Summi Pontificis, ad quem appellarunt, sententiam, insanierunt prorsus cruentis et schismaticis decretis et armis in D. Nuncium, | spoliantes eum omni authoritate, officio, bonis, libertate; 2501 opprimentes eum persecutione, insidiis, et obsidentes eum v exercitu haeretico, prohibentes sub paena perduellionis omne cum eo commercium et communicationem, quoad res etiam victui et vitae necessarias, persequentes ejus amicos et familiares, praecipientes D. Massario, Auditori ejus Generali et primario Nunciaturae Ministro, ut infra 24 horas ex urbe illa discederet, et eundem paulo post bonis et scripturis Apostolicis spoliatum, impio quinque mensium carceri multarunt, ac tandem ad capitis causam dicendam tanquam laesae Majestatis Anglicanae reum coegerunt. Synodum nationalem ad pacificandum Regnum coactam, profanis armis et edictis impedierunt. Regni Praesules, Clerum, nobiles, et Catholicos omnes eadem persecutione oppresserunt, ad suas partes compellendo illos vi, spoliatione bonorum, interminatione perduellionis, schismaticis juramentis, et haereticorum armis, atque ita scelera sceleribus addentes, sese eo nequitiae praecipitarunt, ut propria sponte dissolventes regimen, unionem et faederationem Catholicam, ejus loco vi et armis reduxerint gubernium haereticum contra jura Regni, et publica Comitiorum acta et juramenta. Loco D. Nuncii, quem Faederati in caput Catholicae confaederationis elegerant, advocarunt et elevarunt Marchionem | Ormoniae, hostem publicum et haereticum, ab 2502 Ecclesia et fide apostatam, tunc etiam declarantem se contra Catholicam religionem et Faederationem.

(**75**) " Ex quibus, Beatissime Pater, deduci potest 1°: Censuras illas fuisse necessario, juste et valide latas. Necessario quidem, in justam et necessariam defensionem ; juste ob finem optimum conservandae Catholicae religionis etc., et ob eadem crimina et sacrilegia, quae sub gravissima censurarum paena passim per sacros Canones et Bullam Caenae Domini prohibentur ; valide ab habentibus plenam authoritatem, in scriptis, optima forma, modo, expressa causa, sufficiente congruitate et reliquis circumstantiis requisitis. 2°. Appellationem istorum fuisse invalidam, injustam, falsis innixam fundamentis. 3°. Censuras fuisse latas non in Faederatos Catholicos (ut isti suis famosis libellis spargunt), sed in destructores faederationis et faederatorum, et in eos, qui unirent se damnato illo faedere vel armis cum haereticis contra Faederatos Catholicos. Non itaque nisi ad infamandam Nationem et ad decipiendam S. Sedem officiosi isti procuratores attribuunt nomen Faederatorum Iberniae Catholicorum istis excommunicatis, qui *recesserunt a testamento Sancto* Catholici faederis, *et juncti sunt*
2502 *nationibus*, haereticis, *et* | *venundati sunt ut facerent malum*
v eversionis religionis et Regni etc. Quandoquidem centesima, ne dicam millesima, pars Catholicorum non consenserit, nec cum haereticis conspiraverit in hanc conjurationem, ut clare probari potest ex enumeratione partium, Provinciarum, Comitatuum, civitatum, familiarum, ac personarum pro et contra Catholicam faederationem. Ut autem manifestius appareat falsitas dicentium Regnum vel majorem aut meliorem partem Regni esse vel fuisse excommunicatam :

(**76**) " Dico excommunicatos cum caeteris Catholicis collatos fuisse paucissimos ; quia paucissimi conjuraverunt cum haereticis. Et ex ipsis initio excommunicatis paucissimos et eos solum nunc esse ligatos, qui nolunt absolvi et qui sunt ex praecipuis authoribus vel fautoribus illius conjurationis. Quod ita probo. 1°. Ipse D. Nuncius etiam ante remissionem hujus causae ad ipsum absolvit per se et per centenos suos deputatos omnes ad eos recurrentes praeter primos authores. 2°. Post remissionem totius causae idem praestitit. 3°. In suo discessu e Regno commisit eandem authoritatem sex Episcopis. 4°. Officiales inferiores et milites exercitus excommunicati fuerint absoluti prope Clonmelliam a Patre Bradaeo etc., quando Dominus Eugenius noluit sese jungere cum excom-
2503 municatis contra ipsum Cromuellum, | donec ipsi se obligarunt ad se submittendum et satisfaciendum Sedi Apostolicae, D.

Nuncio, et Clero, et ad procurandam absolutionem. 5°. Alii, inter quos erant non nulli praecipui fautores illius faederis, fuerunt absoluti ab ultimo Iberniae Primate et ejus subdelegatis, vi Brevis Apostolici ei concessi 13 Januarii 1652. 6°. Alii denique vi clementissimi illius Brevis, quo, ad instantiam Praelatorum et nobilium, benigne et abunde providit Sanctitas Vestra reductioni, saluti, et conscientiis excommunicatorum per quatuor integerrimos Episcopos et eorum subdelegatos ubique terrarum dispersos, qui litteris exhortatoriis impressis eos ad absolutionem benevole et zelose invitarunt, eosque jam humaniter absolverunt, qui id voluerunt, et ad reliquos absolvendos offerunt se, suosque deputatos et alios adhuc deputandos, ubi, quando, quot, et quoscumque petent ipsi excommunicati, modo non petant ut deputentur alii excommunicati. Unde patet paucos et solum excommunicatos obstinatos nunc restare excommunicatos.

(77) " Quod autem pauculi isti sua sponte et obstinate persistant cum Satana foris extra Ecclesiam, eorum est culpa, et *perditio eorum ex ipsis*, non ex Sanctitate Vestra, qui claves benigne et tempestive transmisit ad eorum pastores, nec ex D. Nuncio, qui eos absolvisset, si vellent, etiam forte ad cautelam, si post interjectam Appellationem | substitissent, 2503
expectando responsum Summi Pontificis, et in horribiliora v
quotidie sacrilegia sese non praecipitassent, in quibus cum contumaciter et impaenitenter persisterent, merito noluit eos absolvere. Imo ipse Papa Innocentius sac. mem. propter continuatam eandem contumaciam constantissime semper repulit, tanquam injustam, eorum petitionem pro absolutione generali. Rejecit etiam eorum iniquam Appellationem. Remisit integram Censurarum causam ad ipsum D. Nuncium cum plenitudine potestatis. Abjecit alias eorum petitiones pro revocandis vel suspendendis Censuris factas a P. Luca Waddingo, et exhibitas a D. Cardinale Caraffa, tunc Viceprotectore Iberniae ad instantiam Oratorum gentis excommunicatae. Admittere noluit petitiones iteratas Regum, Oratorum, et Cardinalium diversorum. Suspendit omnem tractatum de his Censuris, donec ipsi se submitterent et absolutionem peterent. Quod etiam fecerunt non solum vi conventionis factae cum D. Eugenio, sed cum D. Duce Lotharingiae per suos Oratores Bruxellis, quando impetrarunt illud Breve 13 Januarii 1652. Expulit quoque ex hac Alma Urbe ignominiose eorum procuratorem, alterum P. Carmelitam excalceatum, eorumque litteras accipere noluit.

2504 (**78**) " Non nisi temere igitur et absque debita | reverentia, post petitam absolutam, nunc urgent generalem absolutionem toties negatam ; maxime cum ultra superius insinuata, ipsi sciant varias Synodos et Congregationes Cleri confirmasse has ipsas Censuras et vibrasse alias similes in eosdem et eorum complices, ob continuationem unionis et conjurationis cum haereticis, et exclusisse eos ab omni officio, praefectura etc. Et sciant Doctores Sorbonicos nunquam cogi potuisse ad approbandam eorum Appellationem, licet ad hoc fuerint iteratis Regis sui mandatis convocati et pluries congregati, ut optime novit D. Cardinalis *a Balneis*, qui illa et alia Iberniae negotia tunc fideliter tractavit. Cum etiam sciant civitates Regni fraude, vi, vel armis coactas ad recipiendum vel dissimulandum saltem Cessationem illam, eam mox abjurasse et se humiliasse et summa cum reverentia et honore Ecclesiae et Sanctae Sedis procurasse relaxationem Interdicti, quod etiam Kilkenniae, ubi invitis Consiliariis et haereticis fuit observatum, relaxatum est, praeterquam in ecclesiis Cathedrali, Carmelitarum Excalceatorum, et Jesuitarum, quae in sua contumacia perstiterunt, quousque, Deo puniente eorum contumaciam, fuerunt a Parlamentariis perpetuo interdictae et eversae. Cum (inquam) haec et plura, quae brevitatis gratia praetermitto, sciant, mirum est qua fronte audeant ulterius tentare Sanctitatem Vestram ?
2504 v Quo fine | tam obstinate insistant petitioni absolutionis generalis, et respuant particularem, et caetera media toties ipsis oblata ?

(**79**) " Dico eos respuere absolutionem particularem 1° quia obstrinxerunt se haereticis ad nunquam petendam vel acceptandam absolutionem pro se, quia non potentes edictis, mulctis, armis aut alio modo cogere Catholicos ad jurandum se nunquam obtemperaturos (inquit eorum impium Juramentum) istis aut similibus censuris a quocumque latis vel ferendis (his particulis schismatice subintelligendo ipsum Summum Pontificem) se ipsos saltem ad id obstrinxerunt. 2°. Ne reprobando vel revocando sua crimina, approbent acta Congregationum vel D. Nuncii, Cleri, et Catholicorum. 3°. Ne ista porrigant Clero ansam iterum jaculandi similes censuras, vel aperiant Catholicis viam denuo restaurandi suam faederationem vel authoritatem Cleri. 4°. Ne per absolutionem particularem sese humilient, satisfaciant Ecclesiae, vel indirecte cogantur revocare schismatica sua decreta, sacrilegia etc., et spondere se nunquam violaturos eosdem sacros Canones, quos tot sacrilegis decretis,

quorum amplius 50 ad manus sunt, violarunt. 5°. Ne amittant gratiam et favores haereticorum, quibus, contemnendo Ecclesiam, obsequuntur.

(80) " Dico insuper : finis petendi absolutionem generalem | non est stimulus conscientiae, salus animarum, nec zelus re- 2505
deundi intra gremium Sanctae matris Ecclesiae, sed est politicus, ne dicam perversum. 1°. Ut per illam possint se ambidextre tam apud Catholicos quam apud haereticos defendere, dissimulando cum utrisque ; apud Catholicos quidem, monstrando se in absolutione generali inclusos, et apud haereticos probando se non submisisse se, sed coegisse Sanctitatem Vestram ad eos ita absolvendum. 2°. Ne horrori deinceps vel despectui habeantur apud Catholicos, aut vocentur excommunicati ob proditam religionem, patriam, etc. 3°. Ne primarii isti authores ruinae religionis nominatim declarentur a Clero excommunicati, ut alias ab Episcopis fuit resolutum, potius quam hae censurae exprobrentur universae nationi. 4°. Ne, siquando renovetur Catholica Faederatio, excludantur isti a beneficiis, officiis, etc., donec probent suam absolutionem, ut in quibusdam Provinciis factum est, ubi optimates, ne excluderentur, fuerunt in plenis Comitiis ab Ecclesiae foribus ad altare usque flagellati, dum absolverentur. 5°. Ne apud Sanctam Sedem vel apud alios Catholicos priventur beneficiis, favoribus, vel benevolentia et charitate piorum, quibus nunc passim sustentantur, ut certe privarentur, si constaret eos ista novennali excommunicatione computrescere. 6°. Ut per | absolutionem generalem indirecte 2505
saltem condemnentur D. Nuncius et Clerus, quasi eos injuste v
excommunicassent. 7°. Ut ita damnando acta Cleri et causam Catholicorum, justificet Sanctitas Vestra faedera, uniones, et conjurationes excommunicatorum cum haereticis contra Ecclesiam, in summum Catholicae religionis damnum, et periculum subversionis Catholicorum. 8°. Ut ita in Ibernia corruat ac deficiat authoritas, causa, et pars Ecclesiae, dum nemo ulterius audeat pro Sancta Sede certare, si Sancta Sedes ita eos condemnet, qui sua bona, libertatem, et vitam pro Ecclesia profuderunt. 9°. Ut ita enerventur et infringantur leges et sacri Canones, qui spirituali gladio abscindunt ab Ecclesiae corpore, tanquam putrida membra, eos, qui haec sacrilegia committunt. 10°. Ut dum pudeat ac paeniteat Catholicos sese obtemperasse mandatis Domini Nuncii et Cleri, evadant isti excommunicati et haeretici potentiores in Ibernia.

(81) "Cum itaque, Beatissime Pater, finis recusandi *absolu-* 1 per Breve

superius posituma Pontifice oblatum.

tionem sit pessimus, et damna religioni et Catholicis inferenda ex absolutione illa generali sint gravissima, et ego ex conscientia tenear curare res ad Ecclesiam et Clerum Iberniae, maxime ad
2506 has censuras, spectantes ; cum | fuerim ad hoc quasi invitus huc missus a D. Nuncio, ab Episcopis, et utroque exercitus Catholici Generali, fuerimque in hodiernam usque diem a Nobilibus, a Clero et utroque successive Iberniae Primate ad easdem tractandas identidem rogatus, impulsus et hic iterato ad hoc ipsum detentus, primum de mandato Congregationis Rerum Iberniae dum redire tentarem in Patriam ; deinde Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Ne igitur desim muneri vel conscientiae, vel dicatur vae mihi, quia tacui, dum res religionis et Catholicorum tot calumniis, libellis famosis, etiam apud Sanctam Sedem praepostere depingantur, et ego ipse inique lacessar ; conabor defendere voce vel scriptis, privatim vel publice, quando et coram quibus vult Sanctitas Vestra, aequitatem causae D. Nuncii, Cleri, et Catholicorum, necessitatem, justitiam, et validitatem Censurarum, iniquitatem Appellationis, validitatem et integritatem Apostolici Brevis Sanctitatis Vestrae, quod Procuratores isti officiosi, in suo Libello, surreptionis calumniose arguunt. Qui etiam non nisi cum injuria Nationis immobiliter Catholicae tribuunt quasi absolute nomen reliquiarum Faederatorum Catholicorum Iberniae istis Catholicae religionis et Nationis eversoribus. Et
2506 v licet adversarii Catholicorum | hic in me omnium odium et alibi haereticorum indignationem excitare satagant, duce tamen Deo, qui infirma mundi elegit ut fortia confundat, quique dedit faciem meam valentiorem faciebus eorum, veritate et justitia munitus, cum quovis, imo cum omnibus simul Catholicorum et Cleri adversariis congredi non verebor ad religiose ac modeste defendendam causam religionis et Catholicorum sub sacra protectione Sanctitatis Vestrae, quam Deus diu conservare dignetur incolumem. Ex nostro Immaculatae Conceptionis Conventu de Urbe, 11 Junii 1657.

Sanctitatis Vestrae

Humillimus servus et filius obsequentissimus,

Fr. Richardus O Ferallus,

Capucinus indignus."

(82) Hoc totius controversiae compendium P. Richardus novo Pontifici in ea non versato perstringendum duxerit, ut Carmelitae atque aliis adversariis rem aliter depingentibus obviaret,

praesertim cum Pontifex (sicut ipse P. Richardus mihi retulit) ante adeptum Pontificatum dum Cardinalis esset, quadam dierum de hac Iberniae controversia fuse loquens, ipsi responderit : " Quare (inquit) non eo in Ibernia modo se Nuncius gessit, quo ego eodem tempore | in Germania, ubi tunc 2507
Nuncius Apostolicus, in pacem quidem maximo Ecclesiae damno inter Caesarem et haereticos celebratam publice protestatus fui, sed, ne majori malo occasionem praeberem, censuris abstinui." Haec Pontifex Cardinalatus tempore ita dixit, ut non censurarum a Nuncio in Ibernia fulminatarum invaliditatem vel injustitiam tetigerit, sed Nuncii imprudentiam taxarit. Cui Richardus respondit disparem esse rationem varias ob causas, quibus auditis, Pontifex acquievit.

(**83**) Dum hae disceptationes Romae calerent, Massarius, Nuncii olim et semper ejus fautorum studiosissimus, Pontifice jubente atque alium substituente, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei secretarium exuit. Quam mutationem Carmelita laetabundus anno 1657 ex Urbe in Belgium Illustrissimo Domino Edmundo O Rellio, antea Vicario Generali Dubliniensi, sed tunc exuli, in Primatem Ardmachanum recens cooptato scripsit calamo aculeato, referens se anno 1647 cum vitae discrimine Massario in ejus fregatis ex Britannia Gallicana Rupellam conducendis, ibique curandis maximum praestitisse obsequium, nec tamen eum sibi aut militibus sumptus in tenui victu factos, multoque minus mercedem numerasse, seque tunc Rupellae et milites necessitate coactos eum deseruisse, atque ex eo tempore Massarium propterea sibi semper fuisse infensissimum. | Quae tamen suo loco ex Massarii litteris 2507
aliter retulimus. v

(**84**) Illa Secretarii Propagandae Fidei mutatio majorem victoriae spem Carmelitae spondebat. Sed ex altera parte magnum passus est causae praejudicium quod ex quatuor Praelatis Ibernis, a quibus eum anno 1655 ex Gallia ad Suam Sanctitatem allegatum fuisse vidimus, unus, nempe Episcopus Fernensis, in Hispaniam ab aliis tribus secesserit, et Archiepiscopus Tuamensis Nannetis in Gallia ab Episcopo Corcagiensi juxta Alexandri VII Breve Apostolicum superius positum absolutus fuerit, deindeque anno 1657 tertius, nempe Episcopus Aladensis, qui in Britannia quidem Gallicana sed non Nannetis commorabatur, Nannetas ad eundem Episcopum Corcagiensem venerit, et ab eo pariter absolvi quam ulterius litigare maluerit, cum nedum praeludio Bullae Alexandri VII apud Belgium

praefixo, atque ibidem in lucem edito, sed etiam litteris a P. Richardo O Ferallo ad se ex Urbe nominatim scriptis vel ut ex charitate fraterna praemonitus esset, se alias propediem ex Urbe denunciandum tanquam excommunicatum. Quod et ipse P. Richardus mihi retulit, et id ipsum in Episcopi litteras ad
2508 P. Richardum ex Gallia in Urbem exaratas | quadrat, alia quoque huc spectantia continentes, quas propterea ex autographo Anglico hic Latine verto, excepta ultima lacinia ad rem nostram non pertinente.

" Reverende Pater.

(85) " Tuam humanam epistolam jamdudum recepi. Ad quam respondere distuleram donec executus essem tuum consilium in recipienda Suae Sanctitatis benedictione et absolutione ab Illustrissimo Domino Episcopo Corcagiensi, licet supponam Suae Sanctitatis Nuncium piae memoriae nunquam (ob quod Deo gratias ago) suis Censuris in miserandos Ibernos fulminatis, Episcopos comprehendere voluisse, cum ipse probe noverit Episcopos in nulla eorum controversia ab alio quam immediate a Sua Sanctitate censuris innodandos. Utut sit, Suae Sanctitati obsecuturus, et omnia incommoda, quae Reverentia vestra humanissime me monuerat, fore ut, nisi Brevis a Sua Sanctitate ad praefatum Illustrissimum Dominum Episcopum Corcagiensem directi beneficium recepissem, succederent, declinaturus, huc, quo illud reciperem, Nannetas veni, sicut suam ipsius Illustrissimam Dominationem Reverentiae vestrae fusius
2508 significaturam non ambigo. Sum etiam multum | devinctus
v Reverentiae vestrae, quod tui Ordinis Patribus, qui vestris Comitiis Generalibus interfuerant, me commendaveris, licet eis ubique repererim charitate flagrantissimos. . . . . .

Nannetis ultimo
Octobris 1657.

Tuus in Christo Jesu
ad obsequium
Franciscus Aladensis."

(86) Quod hic supponit Aladensis, nempe Nuncii mentem nunquam fuisse ut Episcopos excommunicaret, non juris sed facti quaestio est, cujus decisio haud parum pendet ex scriptura a Nuncio ex Normandiae maritimis anno 1649 Romam Cardinali Panzirolo de Censuris missa, et suo loco posita, ubi de iis, qui a Censuris illis non absoluti supererant, agens : " Hi (inquit) omnes, etiamsi eorum numero (quod forsan dubitari potest) octo Episcopi alienati comprehenderentur, haud ad viginti quatuor personas pertingunt." Sic Nuncius, cujus illa paren-

UNIVERSITAS EIREANN Leabharlann

thesis, *quod forsan dubitari potest*, ostendit ipsummet dubitasse an Episcopi ejus Censuris adversati eas contraxerint. Hanc autem haesitationem circa suam ipsos excommunicandi vel non excommunicandi voluntatem sibi probe notam haud passus est, sed (alioquin | enim parenthesis ridicula esset) illa dubitatio 2509
aliunde descendit. Nam si eos excommunicare noluisset, hoc ipso excommunicatos non fuisse certo scivisset. Itaque restat ut se eos excommunicare voluisse probe meminerit, sed ob aliquam rationem aut praerogativam Episcopis (ut dubitabat) peculiarem non circa facti sed circa juris quaestionem fluctuarit, quam haud dubito fuisse illam inter Theologos, Canonistas, et Casuistas agitatam : an scilicet Episcopi sint obnoxii excommunicationi, cujus sententia (qualis illa Nuncii fuit) generalis sit, nec specialem eorum faciat mentionem. Porro ejusmodi Censuris non obnoxios esse, sibi persuasisse videntur Praelati Nuncio adversati, ex quibus non nulli communibus litteris 25 Januarii 1649 Kilkennia ad eum datis, ac superius positis propterea credo haec verba inseruerunt : " Quod (inquiunt) ad nos attinet, nequaquam tangebamur Censuris inflictis." Sic illi. Verum Episcopos generali excommunicationis sententia comprehendi, nec speciali eorum mentione opus esse, satis probat praeter alios Suarez Tom. 5. de censur. disput. 28. sect. 2., praesertim num. 4. Quare Nuncius rebus in continente postea maturius discussis, tantum abest ut Episcopos illos suas Censuras contraxisse dubitarit ut etiam in ipsos tanquam tot tantorumque malorum architectos specialiter animadvertendum duxerit, sicut in Galliam ex Ibernia reversus semel atque iterum anno 1649 | P. Josepho Arcamonio in Urbem a 2509
se praemisso significavit binis schedulis, suo loco superius collo- v
catis. Quinetiam praefatus P. Richardus Capucinus quandam R. P. *Lesannae*, qui tunc Romae degebat, consultationem MS., qua praefatam Suarezii sententiam docte et solide secundatam video, praedictis Episcopis, dum haesitarent, in Britanniam Gallicanam ex Urbe transmisit, exindeque factum ut melius philosphari caeperint. Sane tanta semper fuit Praelatorum apud Iberniae Catholicos authoritas, ut si omnes Antistites Nuncii sententiam secundassent, Ormonistae laici magnam partem resipuissent, et reliqui vel inviti manus dedissent. Praelatis autem discordantibus, Ormonistae Antistitum sibi astipulantium opinionibus tanquam probabilibus suffulti millenos alios seduxerunt, et sic praevaluerunt. Quare illi eorum Praelati hac ex parte longe gravius deliquerunt, proindeque

prae Ormonistarum caeteris eatenus dignissimi fuere, in quos Censurae fulminarentur. Caeterum P. Richardus Romae cognito Aladensem absolutum fuisse, quid ei ex Urbe scripserit, quidque ille responderit, nec non alias huius rei circumstantias scitu dignas, haec altera ejusdem Aladensis epistola eidem P. Richardo Romam scripta, quam ex autographo pariter Anglicano Latine transfero, te docebit.

" Reverende Pater.

(87) " Tuam humanam epistolam ultimo Januario datam |
2510 recepi, qua continuo progrederis in me tibi devinciendo adeo ut perinde ac Reverentia vestra mihi, paratus sim ad inserviendum ipsi in omni occasione. Quod autem attinet ad id quod in meum bonum cupis, scilicet ut, qua inter afflictae patriae nostrae perturbationes innocentia fuerim, Suae Sanctitati innotescat, Sua Sanctitas (Deo laus) jam ejus rei notitia imbuta est. In cujus confirmationem mihi plenariam in vita et morte indulgentiam misit, et, non obstante mea innocentia, quam verus cordium scrutator novit, ad majorem cautelam et ad manifestandam obedientiam meam Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Corcagiensis opera Suae Sanctitatis gratiam participavi. Quare mihi decretum est nulla ulteriore quaerela, aut earum rerum, quae praeterierunt, defensione Suae Sanctitati aut gratiosae ejus Aulae molestiam parere, cum jam alterum habeam pedem in sepulchro, de quo solo mihi cogitandum est. Itaque Reverentiam vestram serio rogans ut, sicut ego sui, ita ipsa mei inter suas preces et divina sacrificia recordetur, finem facio sicut semper

Rhedonibus

24 Maii 1658. Tuus ipsius in Christo Jesu.
Franciscus Aladensis."

(88) Mihi etiam traditum est Episcopum Finiborensem eodem
2510 circiter tempore in Gallia modo consimili | absolutionem
v postulasse et obtinuisse. Itaque quatuor Praelatorum Ibernorum, a quibus Carmelitam ad Suam Sanctitatem allegatum fuisse vidimus, uno, nempe Fernensi, ex Gallia in Hispaniam profecto, adeoque ab aliis separato, et saltem duobus, nempe Tuamensi atque Aladensi a Corcagiensi absolutis, atque his circumstantiis Romae cognitis, factum est ut dicti Carmelitae conatus hactenus frustrati, sed aliquam praevalendi spem spondentes, demum ad nihilum reciderint, ipseque ex Urbe in Galliam remigrarit, ubi haud multo deinde interjecto tempore decessit.

(89) Licet aliunde non defuerint Innocentio X° et Alexandro VII rationes optimae denegandi illam absolutionem generalem, ad eam tamen denegandam haud mediocriter conduxisse videtur error factorum et actorum Ibernicorum Romae sparsus circa conventionem inter Eugenii O Nelli et Ormonistarum Commissarios 12 Octobris 1649 super tollendarum illarum censurarum modo initam, et circa acta Cluanmacnosiensia, nec non circa Comitiorum Loghreaghensium submissionem Innocentio X^mo^ mittendam sed nunquam missam, ac denique circa aliam submissionem a Lotharingo et Oratoribus Ibernis ex Belgio ad eundem Innocentium X^um^ directam. Nam Innocentio fatis functo (quid ipso | Ecclesiam gubernante 2511
super hac controversia gestum fuerit, non repeto), et Carmelita ad ejus successorem, Alexandrum VII, a quatuor Praelatis Ibernis superius memoratis allegato, libelli supplicis, quem Cardinali, Iberniae Protectori ad censuras illas generaliter tollendas tunc missum fuisse vidimus, refutator suo tractatu anno 1656 scripto de Eugenio O Nello numero 77° loquens: "Esto (inquit) viderit ab Ormonio, Insequinnio, et eorum asseclis omnia perperam pessundari et summum Regno, ultimumque imminere discrimen, nisi ipse se suasque copias statistis adjungeret. Nunquam tamen in eam associationem consentire voluit generosus animus et vir summe Catholicus, quantumcumque a Clero et nobilibus ad hoc rogatus, nisi refractarii ecclesiastici et Consiliarii suo suorumque adhaerentium excommunicatorum nomine se submitterent, pleneque satisfacerent Sanctae Matri Ecclesiae et D. Nuncio, et ab incursis Censuris absolutionem obtinerent; atque ita vir gloriosus etiam in mortis agone constitutus, non nisi hoc obtento, interposito hac de re solemni pacto et articulo, suas ad illos contra Cromuellum vires transmisit. Unde non tam se submisit, quam de ipsis atque Ormonio etiam moriens triumphavit. Et ad hunc articulum pactumque opere exequendum institit Congregatio Cleri Ardmachani in conventu Provinciali Procerum, et vi illius decrevit postea Clerus Regni apud Cluanmacnois | Romam delegare D. Episcopum Dunensem cum paenitenti 2511
submissione, petitum absolutionem, qui ab haereticis in itinere v
fuit occisus. Vigore tamen illius compulsi sunt officiales et milites petere et accipere absolutionem apud Clunmel a Patre Bray et P. Donato O Faelan, et excommunicati coacti sunt suis restituere sedibus ecclesiasticos, prius inde pulsos, eo quod steterint pro Ecclesia, pro Domino Nuncio, et pro excommuni-

catione. Unde falso et calumniose ad extollendum immerito haereticum sugillant invictum religionis Athletam." Haec ille.

(**90**) Idem etiam illa ejusdem Libelli supplicis verba (*si deliquimus*) refutans numero 118 : " fraus (inquit) certe artificiosa sed multum vituperanda. Petierunt saepius excommunicati tum per suos Procuratores, tum per Eminentissimos quosdam Cardinales, per Oratores Regum et alios absolutionem conditionatam, ad cautelam seu generalem. Sed fuerunt semper etiam a tractando de hoc rejecti donec satisfecissent Ecclesiae, et impia sua facta decreta, etc., revocassent. Petierunt deinde illam per suos deputatos seu ad illam absolute petendam et acceptandam coacti sunt a D. Eugenio O Nello et consequenter exercitus fuit Clonmelliae absolutus. 3°. Petierunt illam absolute
2512 per | suos Oratores una cum Serenissimo Duce Lotharingiae a beatae memoriae Innocentio X°, qui eis tunc per suum Breve providit. Petierunt illam sed conditionate in Comitiis Generalibus Loghreagh, ut patet ex eorum submissione. Petierunt illam absolute primo Archiepiscopus Casiliensis, deinde alii Episcopi et nobiles a Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII, qui etiam eis tam benigne, juste, atque abunde providit, ut ubique terrarum possint absolvi a quatuor Episcopis delegatis, vel eorum subdelegatis. His tamen non obstantibus, hi libellistae tum nunc ad infamandum Faederatos Iberniae Catholicos, qui universim sumpti nunquam fuerunt excommunicati, tum ad illudendum Sanctae Sedi Apostolicae, et non obstantibus tot supplicationibus absolute factis sub propriis Procuratorum nominibus et provisionibus a Sancta Sede prudenter factis, et non obstante negatione absolutionis generalis, conditionatae, seu ad cautelam, hic tamen absque ullo nomine, absque ulla sincera humiliatione vel submissione, sed ridiculis appositis conditionibus : *si deliquimus*. Et quod arrogantius est : *si Sua Sanctitas dixerit eos meruisse has censuras*. Quid tum ? Forte tunc si constet eos deliquisse et si hoc ore suo Sanctissimo pronunciet Beatissimus Pater, humiliaturos
2512 se promittunt ? Absit. | Nequaquam hoc dignantur, nec adeo
v se vilipendere intendunt, qui non nisi ad illudendum vel fallendum Sanctam Sedem hunc libellum praesentarunt." Haec ibi. Quorum similia Pater Richardus O Ferallus suo libello supplici superius posito, cui dies Junii 11ª anni 1657 apposita est, Alexandrum VII § *Dico insuper* et §. *Cum itaque Beatissime Pater*, alloquens habet, et in sua Relatione 5 Martii 1658 data et Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secre-

tario tradita, similia verba repetit. Ex quibus omnibus liquet quosdam Nuncii fautores in Urbe, etiam ipso atque Innocentio X° mortuis, et Alexandro VII Ecclesiam moderante, occupatos fuisse falso illo rumore ex Rochforti et Colgani epistolis anno 1650 scriptis et suo loco superius positis hausto atque in Urbe auctitato, nempe Eugenium O Nellum per articulum ab ambarum partium Catholicarum Commissariis 12 Octobris 1649 conclusum obtinuisse ut Ormonistae se deliquisse absolute agnoscerent, paenitentiam agerent, Sedi Apostolicae et Nuncio satisfacerent, et absolutionem non conditionatam, nec ad cautelam, sed absolutam cum paenitentia peterent. Ex iisdemque liquet eosdem | Romae sustinuisse Congregationem Cleri 2513
Cluanmacnosiensem eodem anno 1649 mense Decembri celebratam decrevisse ut Dunensis *eo fine* ad Suam Sanctitatem allegaretur et Cleri Ardmachani Congregationem, quam anno 1651 celebratam refutator jam dictus ante Cluanmacnosiensem praepostere citat, ejusdem articuli Eugeniani utique hunc in modum explicati executioni institisse. Qui sensus actis illis affictus quantopere a vero aberret, suis locis demonstratum est, nec hic repetendum.

(**91**) Hi ergo errores de articulo cum Eugenii Commissariis pacto, de Congregationis Cluanmacnosiensis actis, de absolutione Clero populoque Ibernico per Lotharingum et quosdam Oratores Ibernos anno 1651 ab Innocentio X^mo^ petita, deque alia quam Cassiliensis, Laghliniensis, aliique Praelati Iberni per continentem exilio sparsi posterius toti Regno generaliter postularunt, Romae divulgati, effecerint ut Ormonistarum causa de facto pessima longe pejor ibi habita fuerit, praefatis Nuncii et partium ejus in Urbe fautoribus bona (credo) mente et fide putantibus se in adversariis ad | submissionem et 2513
paenitentiam cogendis obsequium praestare Deo, et minus v
forsan quam par esset, penetrantibus in diversos modos, quibus juxta jus Pontificium censurarum relaxatio atque absolutio postulatur et conceditur. Quo factum ut Eugenii articulum, aliaque acta praefata forsan non inter se bene contulerint, nec probe intellexerint, sed unum tollendarum censurarum modum cum altero confuderint, et sibi dubia in causae justae favorem et iniquae praejudicium interpretati sint. Verum Nuncii causae aequitas et veritas satis superque suffecerit ipsa sibi.

(**92**) Ille libellus supplex, quem Cardinali, Iberniae Protectori adversus Nuncii Censuras in Urbem missum fuisse dixi, quamque superius videris, variis operibus componendis occasionem prae-

buit. Ac 1° quidem, opus, quo refutator dissipandum aggreditur, 60 paginis in folio atque aliquot praeterea lineis minuto sed graphico P. Richardi O Feralli, Capucini Iberni, charactere scriptum nec non Sacrae Congregationi Propagandae Fidei 23 Octobris an. 1656 dedicatum mihi praemanibus est. Hoc MS. duas habet partes, in quarum prima 26 paginis haec controversia modo historico breviter tractatur. In secunda vero
2514 libellus ille in | margine frustatim dissecatur et 138 frustis refutationes in paginae corpore totidem numeris respondent, praefixa primae parti jam dictae epistola dedicatoria et secundae praefatione. 2°. Aliud opus MS. 90 paginas in folio cum aliquot lineis continens mihi in P. Richardi scriniis occurrit non ab ipso sed ab aliis duobus, nescio quibus, ab uno quidem per quadraginta sex paginas, et ab altero per reliquas exaratum. In cujus exteriore, qua involvitur charta leguntur haec verba ab ipso P. Richardo exarata : *Relatio de statu rerum Iberniae* 16 *Januarii* 1658 ; intus vero prima ejus pagina ab hoc titulo exorditur : "*Ad Sacram Congregationem de Propaganda fide Relatio de Iberniae statu sacro et prophano ; de Belli Confaederatorum Catholicorum causis, progressu, de modo et authoribus eversionis religionis et Regni, et de non nullis remediis pro conservanda fide necessariis.*" In hoc MS. de Iberniae descriptione, situ, magnitudine, Regimine, tribunalibus, conversione ad fidem, pristina sanctitate, hierarchia, prima Anglorum invasione, aboriginum per hos oppresssione, haeresis introductione propagationeque, et mediis, quibus Catholici ad Catholicam religionem conservandam usi sunt, agitur, deindeque
2514 hujus belli | nuperi historia compendiose quidem, sed fusius
v quam prima alterius MS. jam dicti parte huic secundo plerumque intexta traditur usque ad illius luctae cum Walshaeo, Carmelita, habitae exitum. 3°. In iisdem P. Richardi Chartophilaciis habetur aliud MS., 23 paginas in folio continens et propria ejus manu exaratum nec non ab hoc titulo exordiens : "*Ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide modus et authores eversionis Catholicae Religionis et Regni Iberniae et non nulla remedia ad conservandum ibi utriusque reliquias.* 5° *Martii* 1658." Hoc 3° MS. scribendi seges 2° contenta brevius tractatur, detractis plurimis et additis pauculis, idque stylo minus polito. Quod tertium P. Richardus vel iisdem omnino verbis vel paucis mutatis eodem anno 1658 Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretario, non Massario jam ea provincia abdicato, sed ejus successori, Mario Albritio, Cardinalis Farnesii ex sorore

nepoti, tradidit, non nisi ab eo instanter rogatus et pressus ut sibi id munus recens obeunti succinctam rerum Ibernicarum notitiam delinearet, ad quam inter expedienda Regni negotia ecclesiastica | attenderet. Cumque P. Richardus metuens ne 2515
illa Relatio quorundam Romae se tenentium artificiis ad haereticos Anglicanos et Ormonistas transmitteretur, repugnasset, Albritius importune pressit, idque nullo modo metuendum spopondit, et R. amodum P. Marcus Antonius de Carpenedulo, tunc Capucinorum Procurator Generalis, jussit Richardum ut obediret. Duo autem priora opuscula nunquam tradita fuisse crediderim, nec scio utrum ea P. Richardus composuerit. Quorum stylus identidem purior est, quam ut P. Richardo ascribenda ducam, et rursus subinde adeo ab eo nitore deficit, et opera ita rebus ex Archiepiscopi Firmani archivio depromptis nemini tunc mortalium perinde ac ipsi P. Richardo notis scatent, ut et in multis politiore alterius calamo usum fuisse et pinguiore Minerva eum alia conjectem ita intexuisse, ut omnium authoritatem non defugerit. Porro in illis tribus opusculis Fidei, Ecclesiae Ibernicae, causae ibi Catholicae et Nuncii fautorumque patrocinium suscipitur et in horum adversarios Iberniae excidium refunditur.

(93) Praefatus etiam libellus supplex Cardinali Iberniae Protectori in Urbem missus, D. Walteri Enos; S. Theologiae Doctoris, calamum in Nuncii adversarios acuit. Quem ille, tunc Collegii Pastoralis Ibernorum | Lovanii Praeses, Lovanium ex 2515
Urbe sibi missum suscepit refutandum, et Censuris a Nuncio v
anno 1648 fulminatis, ejusque et fautorum causae patrocinatus est justo volumine MS., tunc per frusta ad Massarium et P. Richardum in Urbem misso. Praeter haec opera Latine composita, ipse Massarius hujus belli Ibernici historiam Italice composuit, quam nunquam vidi, nec ipsum Massarium.

(94) Vidimus suo loco D. Joannem Creaghum, Limericensis in Ibernia civitatis Vicarium Generalem, anno 1649 Romam profectum, Innocentio X^mo (sicut ipse Joannes litteris 3° Septembris 1649 Iberniae Nuncio ex Urbe scriptis, et superius ex autographo positis, significavit) vehementissime suasisse ut Nuncii Censuras validas justasque, et interpositam Appellationem frivolam fuisse diffiniret, nec ejus adversarios, nisi vere paenitentes et culpam agnoscentes, absolveret. In hac tamen secunda sub Alexandro VII (cui et Cardinali et Pontifici Joannes a sacello fuit) circa illas Censuras nata colluctatione Joannes (Innocentio, Nuncio, et multis magnisque ejusdem causae

fautoribus jam mortuis) absolutionem illam generalem, quam Carmelita Walshaeus postulabat, concedendam suadebat. Mihi quoque traditum est eum exinde apud Urbem Ormonistis
2516 favisse, et | Carmelitam jam de ejus favore securum operam dedisse, ut a nostratibus exulibus e Clero populoque, praesertim ab Ormonistis, in generalem ad res Ibernicas Romae tractandas procuratorem assumeretur. Quod et litterae a Carmelita ad annum 1657 Illustrissimo Domino Edmundo O Rellio, tunc recens Primati Ardmachano, ex Urbe in Belgium scriptae sapiunt, quibus significavit nihil boni Romae Ibernis obtinendum, nisi Joanne prius a Praelatis et nobilitate Ibernica in procuratorem generalem cooptato. De qua molitione, sed tacito Joannis nomine, P. Richardus jam dictus sua rerum Ibernicarum Relatione 5° Martii 1658 data, et Secretario Congregationis Propagandae Fidei tradita, conqueri videtur. Nam de nostratibus illis, quorum causam Romae Walshaeus Carmelita egerat, loquens : " Nec (inquit) isti absolutionem volunt etiam ultro a Sanctissimo Domino nostro benigne oblatam, sed generalem cupiunt, quam prima data resiliendi ad haereticos ansa negabunt se petiisse, et in hunc finem homines ad fallendum Ministros Apostolicos instructos submiserunt ad illam procurandam, et similes adhuc constituere satagunt apud Sanctam Sedem in oppositionem veritatis et justitiae, sollicitando per omnes nationes Clerum et Catholicos, ut eis ad hoc mandatum seu *Procuram* generalem concedant, ad excludendum illos, qui
2516 sunt et | semper fuerunt fideles Deo, Ecclesiae, et Fidei, et
v ipsi (sicut a 40 annis factum est) cogant Ministros Sanctae Sedis ad stabilienda fundamenta contra Sanctam Sedem et Jura Ecclesiae." Sic ille, qui cum aliis causae Catholicae et Ibernicae studiosis operam dedit ut non Joannes Creaghus, sed Massarius, vel certe is, cui Massarius suas vices delegaturus esset, res Ibernicas in Urbe procuraret. Instrumentum Latinum huc spectans 16 Julii 1657 in Belgio datum et Romam missum est, cui nonnulli nostratium in Belgio manus apposuerunt.

(**95**) Inter haec procurato (sicut assolet) Suae Sanctitatis mandato generali ut Capucini advenae, qui Conventum Romanum onerabant, ex Urbe discederent, eodemque jusso Pontificio ad ineuntem Junium anno 1659 ab Ordinis ibi Praelatis promulgato, P. Richardus O Ferallus inter alios se ad abscedendum accinxit. Verum Cardinalis Albitius, ratus Ecclesiae Ibernicae et causae ibi Catholicae interesse, ut P. Richardus Romae persisteret, ejus discessui intercessit per

litteras in Urbe ad Illustrissimum D. Volumnium Bandinellum, Patriarcham Constantinopolitanum, tunc Cubiculi Pontificii praefectum, deindeque S.R.E. Cardinalem, datas, quibus, quid petierit, et quam voti assequendi spem retulerit, haec ad suae Eminentiae litteras facta responsio te docebit, quam ex autographo | Italico propria Patriarchae manu scripto Latine 2517
verto.

" Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine
mi Patrone colendissime.

(96) " Repraesentabo Sanctissimo Domino nostro, quae Eminentia vestra dignata est mihi scribere circa personam P. Richardi Capucini, et sperans rationes, quae efficiunt ut hic Pater Romae necessarius sit, tanti apud Suam Sanctitatem futuras, quanti esse debent. Gaudebo fructu meae devotae obedientiae erga nutus mihi reverendissimos Eminentiae vestrae, cui humillime manus deosculor. Ex Monte Cavallo, 4 Junii, 1659.

Eminentiae Vestrae
Humillimus, devotissimus
et devinctissimus servus,
Volumnius, Patriarcha Constantinopolitanus."

(97) Quid propterea in hoc negotio factum sit, ipse P. Richardus haud probe rescivit, nec Pontifex speciali praecepto jussit P. Richardus Romae deinde permaneret aut discederet. Sed Cardinalis Albitius institerit, Ordinisque moderatores ipsi P. Richardo responderunt generale illud | discedendi mandatum 2517
fuisse procuratum non ut ipse sed ut alii plures Capucini advenae, v
qui diu Conventu Romano oneri fuere, ad Provincias, quisque suas, remigrarent, eumque rogarunt ut ad aliquot dies in aliquem ex vicinis Capucinorum Provinciae Romanae Conventum digrederetur, Romam deinde regressurus, sed post aliorum Capucinorum, advenarum, discessum, ne et ipsi similem praerogativam postularent vel Ordinis ibi praelatis personarum acceptionem improperarent. Verum ipse P. Richardus apinas tricasque Ibernicas et Romanas pertaesus, sanctum otium, quo sibi magis vacaret, anhelavit. Quare suapte sponte Florentiam secessit. Quem locum praetulit ut se in praemortui Archiepiscopi Firmani, Iberniae olim Nuncii, Scriniis apud Equitem Rinuccinum, Firmani fratrem, ibi tunc asservatis se volutaret et ex illis exprimeret historiae embrionem Massario Romae relicto per quaterniones transmittendum, ex quo ille

suae Belli Ibernici Historiae Italice (sicut diximus) scribendae segetem mutuaretur.

(98) Interea illa rerum Ibernicarum Relatio, quam 5° Martii
2518 anno 1658 Albritio, Sacrae | Congregationis Propagandae Fidei Secretario, a P. Richardo traditum fuisse dixi, quorundam Ormonistarum in Urbe se tenentium opera ad eosdem Ormonistas transmissa fuit, gravissimamque in P. Richardum procellam concitavit, ipso etiam Rege Angliae indignante quasi P. Richardus ejus jus in Iberniae Regnum ea Relatione convellere conatus esset. Qui rumor etiam in Urbe mox ab ejus discessu ita percrebuit, ut non defuerint aemuli, qui velut Patriae turbinem propterea Roma deturbatum fuisse susurrarint. Quo ille Florentiae inter Capucinos audito, binas litteras Romam ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Albitium, de se et nostratibus omnibus, causae Catholicae fautoribus, optime meritum dedit, ad quas Cardinalis manu propria respondit verbis, quae ex autographo Latino in medium produco :

" Admodum Reverende Pater.

(99) " Binas recepi eodem tempore litteras Paternitatis vestrae datas die 11° et 22° Julii praeteriti, et sicut plurimum dolui de discessu Paternitatis vestrae, quae hic Romae adeo
2518 per tot annos strenuam operam navavit ut Religio | Catholica
v in Regno Iberniae sarta tecta tueretur ; ut perduelles et inimici Sedis Apostolicae beneficiis ac honoribus non afficerentur, ut boni Episcopi, Religiosi ac laici illius infaelicis Regni in protectione et a Summis Pontificibus et a Sacra Congregatione de Propaganda Fide haberentur. Sic vehementer affligor, dum audio viros, qui hic morantur, sed sub pelle ovina habentur lupi rapaces, insidiari famae et honori Paternitatis vestrae, dum spargunt in vulgus Paternitatem vestram ejectam esse tanquam ream et tanquam rebus Regis Angliae minime affectam. Fateor et omnibus testor me semper agnovisse Paternitatem vestram bene affectam in Regem Angliae. Testor non fuisse expulsam Roma tanquam ream sed sola sanctae obedientiae virtute, quae alibi opera sua indiget. In Relatione autem a Paternitate vestra Sacrae Congregationi exhibita puto nullam contineri rem, quae non sit consona veritati. Nam ego qui, dum eram Praelatus, rerum Ibernicarum fui a secretis, bene omnia novi. Et qui contrarium asserunt, pessime mentiuntur. Paternitas vestra ea animi constantia et religiositate, qua hic Romae usa est, utatur et istic Florentiae. Quia Deus Opt. Max. qui omnium

corda scrutatur, pessimorum | hominum malitiam tandem 2519
evertet. Vale.

Romae die 9 Aug. 1659.

Paternitati vestrae paratus
ad inserviendum.
Franciscus, Cardinalis Albitius."

(**100**) Specialis autem a D. Olivero Plunketto, sacerdote Iberno, Romae in Propagandae Fidei Collegio sacrae Theologiae Professore, in P. Richardum mota fuit querela, quod in Urbe dixisset ejusdem Oliveri contribulem, Episcopum Ardaghadensem, Nuncii censuras anno 1648 vibratas contraxisse. Quam maculam ab Ardaghadensi amoliturus, Oliverus sibi de Episcopi Corcagiensis in illis controversiis bene versati et fide dignissimi providit testimonio ex Gallia ab ipso Ardaghadensi ad Oliverum misso. Quo (juxta exemplar ab Olivero in Urbe Reverendo admodum P. Marco Antonio de Carpenedulo, Capucinorum tunc Procuratori Generali, traditum) Nannetis 1° Martii anno 1658 dato et sigillo manuque munito Corcagiensis : " Ne qui (inquit) ex ignorantia aut malitia existiment Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum D. Patricium Plunkettum, Ardaghadensem Episcopum, illam censuram incurrisse ; attestamur nobis non constare | neque ex conscientia dicti 2519
Illustrissimi Domini, neque ex aliorum fide dignorum testi- v
monio ac probabili ulla relatione illum paenis dictae censurae ligari aut innodatum fuisse, sed potius ab omni censura ratione dictae Cessationis liberum ac immunem esse." Sic ibi. Quod testimonium a Corcagiensi crediderim fuisse concessum Ardaghadensi, ut illud praesertim Gallis in diaecesi Sagiensi, cujus Episcopi vicem obibat, si ab adversariis tanquam excommunicatus accusaretur, ostenderet, licet ipse Ardaghadensis Olivero ad Romam sui etiam ibi purgandi causa transmiserit. Porro Oliverus ipsa die, qua P. Richardus Roma decessit, post ejus discessum praefato P. Procuratori Generali Richardi amantissimo (post querelam jam ore tenus motam) dicti testimonii exemplar a se transcriptum misit annexo hoc libello supplici :

" Reverendissime Pater.

(**101**) " Pater Richardus Ferallus, Capucinus Ibernus, tam verbo quam scriptis hic Romae affirmavit Illustrissimum Dominum Patricium Plunkettum contraxisse censuras ab Illustrissimo Rinuccini in Ibernia fulminatas, quod ex inclusa relatione Illustrissimi Corcagiensis evidenter falsitatis arguitur.

2520 Quantum ex hac detractione damnum praefato | Ardaghadensi emerserit, vestrae Paternitati coram declaravi. Quapropter nunc repetere et taedio vestram Paternitatem afficere superfluum duco. Hoc solum enixe rogo, ut suam authoritatem interponat ad hoc ut dictus P. Richardus notam inustam innocenti Praesuli, et ob fidem Catholicam exuli, abstergere non gravetur. Quod si praestiterit semper ero

Vestrae Paternitatis Reverendissimae
Famulus obligatissimus,
Oliverus Plunkettus."

Ex Collegio de Propaganda
Fide, 14 Junii, 1659.

(**102**) Olivero saepius respondit Procurator Generalis Cardinalem Albitium in rebus illis Ibernicis versatissimum sibi dixisse, rerum Ibernicarum statum a nemine tam sincere fuisse relatum, quam a P. Richardo, qui a Procuratore Generali monitus, suas ei rationes litteris 12 Julii 1659 Florentia in Urbem datis significavit. Ad quas, cum ab Olivero responsum diu expectatum non recepisset, iterum anno 1660 ad eundem P. Procuratorem dedit hanc epistolam :

" Pater admodum Reverende.

(**103**) " Scripsit ad me jamdudum Paternitas vestra admodum Reverenda D. Oliverum Plunkettum, sacerdotem nostratem, ipsa die, qua Romam valere jussi, apud se fuisse de me graviter
2520 conquestum, quasi, cum | essem in Urbe, verbo et scripto
v detraxerim famae Illustrissimi D. Fr. Patricii Plunketti, Ardaghadensis in Ibernia Episcopi, eumque asseverim contraxisse excommunicationem a D. Nuncio Apostolico ibi in transfugientes ad haereticorum factionem fulminatam. Transmisit quoque una ad me Paternitas sua admodum Reverenda ejusdem Domini Oliveri, super eadem querela libellum supplicem cum annexo Illustrissimi D. Episcopi Corcagiensis, itidem nostratis, testimonio per eundem D. Oliverum exhibito, quasi fidem facientis Antistitem Ardaghadensem a praefatis censuris immunem extitisse. Ad haec ego omnia mox per transmissas tunc litteras respondi. Sed cum ad illas nec responsum ullum, nec debitam injuriis mihi a D. Olivero factis satisfactionem acceperim, sed ille potius, imo et D. Ardaghadensis (ut intelligo) novis me onerent injuriis, ideo jam denuo video mihi incumbere onus eodem modo repetendi.

(**104**) " Ego sane ex animo doleo quod ad hoc odiosum

obedientiae genus D. Oliverus interposita authoritate vestra me compulerit, qui malo nunquam animo Illustrissimum D. Episcopum prosecutus sum. Cum vero Oliverus, velut D. Ardaghadensis, agnati sui, Procuratorem gerens, in isto libello supplici me dicat in hac re *evidenter falsitatis argui*, et in materia tam gravi nunc | *detractionis*, nunc *inustae innocenti Praesuli* 2521
notae (sunt ipsius verba) me insimulet ; sed et apud competentem mihi judicem postulet ut rem assertam velut calumniam retractem. Hinc non mihi sed D. Olivero quivis vitio vertat, quod ad Paternitatis vestrae admodum Reverendae tribunal velut obtorto collo raptatus, veritatem D. Ardaghadensi forte minus gratam ingenue profitear, partim ad obediendum, partim ad exonerandam conscientiam, partim etiam ad vindicandam meam meique Ordinis, qui in mea persona impetitur, famam ter in libello illo D. Oliveri injuste delaceratam.

(**105**) " Fui ergo ex Ibernia Romam missus, ibique detentus ad obeundum injunctum mihi munus referendi citra fucum ea, quae circa Ecclesiam Ibernicam essent subinde apud Sanctam Sedem utilia et necessaria, ne in regimine ibi ecclesiastico patriam Insulam concernente immineret periculum a falsis fratribus, qui sicut domi religionem nuper everterunt, ita et foris nullum adhuc non movent lapidem, quo ad ambitionis suae scopum pertingant. Huic ego spei in mea integritate collocatae deesse tuta conscientia non potui. Quare inter caetera, quae, praescribente Illustrissimo D. Sacrae Congregationis Secretario, de Cleri statu scripto tradidi, forte | indicavi D. 2521
Ardaghadensem vel in eas censuras incidisse, vel ab eis nondum v
absolutum fuisse ; eundemque caeteris excommunicatis adhaesisse insinuavi ibidem semel vel iterum in colloquio familiari cum uno vel altero ex nostratibus. Nec de illo (si bene memini) ulterius locutus sum. Caeterum neutrobique quidquam ea de re scripsi vel dixi nisi sobrie et longe parcius quam possem.

(**106**) " Jam vero ut probem me a D. Olivero falso accusatum; constat communi lege Pontificia excommunicationibus identidem repetitis eos terebrari totos, qui in Ecclesiae fideique perniciem, vel in haereseos propugnationem haereticis adhaerent. Nec minus apud nostrates constat Iberniae Clerum in Spiritu Sancto congregatum saepiuscule declarasse talem fuisse Nationis Ibernicae pro fide tunc decertantis statum, ut si quis Catholicus ad haereticos descivisset, has a Canone latas censuras ipso facto contraheret. Factionem porro eorum Catholicorum, qui cum

haereticis contra Catholicos conspirarunt, Faederis Catholici juramentum violasse, proindeque in easdem excommunicationes in haereticorum fautores a Canone vibratas incidisse, Regni Clerus jam ad nauseam in Ibernia palam fecerunt. Denique his accedit Illustrissimum Dominum Nuncium et Episcopos |
2522 Congregationis per delegationem authoritati innixos, fulminasse specialem excommunicationem *in omnes et quascumque personas, tam ecclesiasticas quam saeculares, in quacumque dignitate et praeeminentia constitutas* (proindeque in Episcopos), *quae armorum illam cum haereticis Cessationem* (initam ad evertendam Catholicam Confaederationem) *quoquo modo, per se vel per alios, directe vel indirecte, consilio, auxilio, vel favore, foverent aut defenderent.* Quin et idem D. Nuncius cum aliorum Episcoporum Theologorumque caetu in Congregatione eodem anno 1648 die 30 Augusti declararunt esse peccatum mortale contra legem Dei et Ecclesiae ejus, et perjurium contra Juramentum associationis induciarum illarum publicationem aut procurare aut pati, atque adeo homines Catholicos ad temporalium bonorum, libertatis, carorum omnium nec non vitae ipsius jacturam ferendam teneri, potius quam eas publicarent, aut eis obedirent ; ubi obiter notandum est sub hujus Excommunicationis latae sententiae paena fuisse prohibitum illarum induciarum admissionem *aut procurare aut pati.* Has porro
2522 Censuras non obstante excommunicatcrum | frivola Appel-
v latione, idem D. Nuncius et Episcopi delegati de novo postea ratificarunt confirmaruntque.

(**107**) " Quibus in fundamentum stratis, extra controversiam esse debet Catholicos haereticae factionis, etiam Episcopos, et Canonis et Judicis multifariam incurrisse excommunicationem. Quorum albo ascriptum fuisse D. Episcopum Ardaghadensem, res est apud nostrates nedum nota, sed et notoria. Neque enim is unquam (ut sub paena excommunicationis latae sententiae tenebatur) in sua diaecesi praefatas D. Nuncii Censuras vel promulgavit praesens, vel per mandatum promulgandas curavit absens, cum tamen diaecesim haberet Sanctae Sedis ejusque Nuncii tam studiosam quam quae maxime. Quae propterea, licet Episcopi sui mandatum nunquam receperit, demum suopte zelo ejus Excommunicationi obsequium praestitit, et Cessationem illam damnatam nunquam admisit.

(**108**) " Praeterea post suam consecrationem et revelatam hanc conjurationem praefatus Antistes nunquam deinceps ad D. Nuncii partes transiit, nihilque in ejus favorem adversus

haereseos introductores dixisse, scripsisse, vel gessisse comperitur. Quinimo juxta praemeditatam animi sui sententiam, de qua aliis communicata locupletissimo testimonio constat, D. Nuncio | posthabito, haereticorum reductoribus se junxit, 2523
et apud Kilkenniam, excommunicatorum sedem principem, ita perfracte remansit, donec haeresim reduxerunt, eorumque schismaticis conventiculis ad grave Catholici nominis et episcopalis dignitatis opprobrium adeo interfuit ut D. Nuncii litteras divinum plane zelum spirantes, et formalia sanctae obedientiae praecepta de recedendo continentes, easque haud semel replicatas, quae adhuc ipsius manu exaratae extant, ludibrio habuerit, usqueadeo ut ipse, et pauculi alii Praelati in eadem contumacia socii, litteras a Summo Pontifice ad Iberniae Archiepiscopos et Episcopos directas reserarint, eorum pondere et authoritate per intolerabilem fraudem abusi ad Archiepiscopos et Episcopos in sancto proposito stabiles Kilkenniam advocandos, seducendos, et ad haereticorum partes partim arte, partim Marte protrudendos, ut re ipsa fecerunt, cum tamen certum sit Summi Pontificis mentem fuisse ex diametro oppositam, nempe ut litterae a se ad Praelatorum caetum missae vel D. Nuncio vel Regni Primati, qui caeteros convocarent, traderentur, essentque salubre horum instrumentum, quo pauculos illos et errabundos Antistites ab | haereticorum faedere ad communem 2523
Ecclesiae causam defendendam provocarent. Porro vel ob hunc v
litterarum Apostolicarum abusum in re longe gravissima cum tanta fraude connexum, quo pacto D. Ardaghadensis ab altera se excommunicatione purum demonstret, ipse viderit.

(**109**) " Haec autem ejusdem Praelati aliorumque Praesulum defectio seductioque, non modo suopte nutu fuit culpa supra modum gravis, sed et aliarum enormitatum citra numerum fons extitit et origo, quae funesta feracitate tot tantasque deinde secutas Regni calamitates ac demum extremum Ecclesiae Ibernicae peperit excidium. Illi siquidem Catholici, qui cum haereticis sibi amicis conjurarunt, nisi pauculorum horum Episcoporum praesentia, exemplo, et authoritate in pejorem frugem fuissent potius perversi quam conversi, citra dubium fulminata illa excommunicatione, si non omnes, certe plerique sponte sua mox resipuissent. Caeteri vero obstinatiores ab omnibus ita deserti, vel vi vel metu manus dedissent. Neque enim est sub sole populus Cleri observantior quam Ibernicus. |

(**110**) " Ex quibus omnibus manifeste liquet D. Epis- 2524
copum Ardaghadensem praedictis Censuris fuisse illaqueatum,

quem propterea, aliosque Episcopos, qui a D. Nuncio et Confaederatis vere Catholicis transfugientes apud haereticorum factionem Kilkenniae pedem fixerunt, D. Nuncius scribendo ad Summum Pontificem schismaticos vocitat, aliisque similibus stigmatibus subinde notatos, velut suis coloribus pictos, et ipse et Synodi Provinciales Iberniae memoriae produnt. Quod sane in Ardaghadensi culpam majori animadversione dignam ostendit, cum is sit, cujus majores in bellis ab orto schismate Anglicano religionis causa in Ibernia gestis, licet ipsi Catholicam plerumque fidem praeseferrent, semper tamen haereticorum partibus strenuam operam navarunt, parvipendentes tot excommunicationum fulmina per diversos illorum temporum Pontifices Maximos eam ob causam specialiter et saepius displosa, quibus quidem haereticorum tunc fautores, adeoque majores suos fuisse percussos, sed et nuperam Domini Nuncii excommunicationem ab ejus adversariis fuisse contractam, ipse
2524 Ardaghadensis in epistola ad | Reverendum Dominum Epis-
v copum Cluanmacnosiensem, tunc Romae haerentem, scripta his verbis ingenue fatetur. '*Illustrissime (inquit) Praesul, vestrum zelum erga bonum commune Patriae omnes Patriotae vestri abunde noverunt, bonumque illud non auro aut argento ita promovendum prout absolutione Sanctissimi Domini Nostri Papae a tot excommunicationibus, in quas infelix Ibernia a longo tempore incidit, ut ab excommunicatione contra obedientes Reginae Elizabethae, ab excommunicatione contra non adhaerentes Comiti de Desmond, O Ruark etc. Et contra non adhaerentes Comiti de Tiron, et a nuperrima excommunicatione fulminata per Nuncium Apostolicum contra non obedientes mandatis ipsius.*' Haec ipse D. Episcopus Ardaghadensis, qui aliarum excommunicationum, quibus sui majores et alii factionis haereticae ante Reginae Elizabethae tempora sub Henrico 8° et Eduardo 6° inciderant, mentionem non facit, forsan credens eos ab his, regnante ter Catholica Regina Maria, fuisse absolutos. Hic ergo quis non stupeat Domini Episcopi procedendi modum.
2525 Cum enim probe norit majores suos sub retro | Principibus haereticis, quod his adhaeserint, tot excommunicationibus fuisse obnoxios, parique passu fateatur Domini Nuncii adversarios excommunicationem ipsius incurrisse, mirum sane est eum, praesertim Episcopali dignitate coruscantem, amicos suos a sequendis majorum pravis vestigiis non revocasse. Quod tantum abest ut praestiterit, ut etiam ipse a Catholico faedere toties jurato et a D. Nuncio, ejus Censuris, spretis et iteratis

sanctae obedientiae praeceptis, ad factionem haereticorum transfugerit.

(**111**) " Itaque ex his omnibus (ut caetera omittam) satis superque liquet D. Oliverum injuria mihi vitio vertisse, quod dixerim Dominum Episcopum Ardaghadensem excommunicatione fuisse innodatum. Quod ego adhuc evidentius, si accusator ille injurias mihi factas non retractet, sole meridiano clarius demonstrabo.

(**112**) " Quod vero ad Illustrissimi Domini Episcopi Corcagiensis testimonium in favorem Ardaghadensis a Domino Olivero productum attinet, respondeo, quae hactenus produxi, longeqne plura id ipsum probantia de Domino Ardaghadensi constitisse D. Episcopo Corcagiensi. Quare testimonium illud, aliunde debile atque infirmum, vix | credo esse D. Episcopi 2525
Corcagiensis ; vel certe aliter intelligi debet, quam ut Ard- v
aghadensem Censuras haud incurrisse probet. Imo nec verum mihi nec sincerum esse videtur. Et haec quidem sunt, quae circa rem hanc modo repetenda duxi, reservans, vitandae prolixitatis studio, complura alia eodem spectantia, et authenticas omnium probationes. Reliquum est ut Paternitatem vestram admodum Reverendam enixe rogem quatenus dictum D. Dominum Oliverum urgeat, ut ea, quorum me in suo Libello supplici insimulat, probare conetur. Quae si probet, volo puniri. Sin autem defecerit in probationibus (deficiet siquidem), Paternitati vestrae admodum Reverendae humillime supplico, ut me dignetur sua sententia purgare. Et Deum etc. Florentiae 19 Octobris 1660.

Paternitatis Vestrae admodum Reverendae
Humillimus servus et
filius obedientissimus,
Fr. Richardus Ibernus, praedicator,
Capucinus indignus."

(**113**) Hac epistola Romae accepta, Reverendus admodum Pater Procurator Generalis Oliverum convenit, et P. | 2526
Richardo 18 Decembris eodem anno scripsit se eidem Olivero objecisse sui Libelli supplicis *ineptias et aggravationes injuriose factas*, eumque facti paenitentiam praesetulisse, et demum protestatum fuisse se ambire P. Richardi amicitiam, seque ipsi in omni occasione obsecuturum. Porro R. admodum P. Procurator Generalis P. Richardo scripsit suas rationes praefata epistola 19 Octobris 1660 scripta contentas sibi plenissime

satisfecisse. Verum (ut hanc controversiae partem simul expediam) P. Richardus postea anno 1662 Episcopum Ardaghadensem ad Reverendum admodum P. Simplicianum Mediolanensem, Capucinorum tunc Ministrum Generalem, adversus se non ut jam dicta retractaret sed ut Italia exire cogeretur, scripsisse odoratus, Episcopum Corcagiensem per litteras Florentiae 12 Maii eodem anno datas et in urbem Nannetensem, ubi Corcagiensis in Gallia exilii locum elegerat, directas, circa illud testimonium de Ardaghadensi perhibitum pressit, quo causam ulterius urgeret. Verum Corcagiensis, ejus litteris ad Ardaghadensem in Gallia se tenentem missis, 16
2526 circiter die postquam eas recepisset ita expiravit | ut ad eas
v non responderit.

(**114**) Quid de hoc controversiae capite sentiendum sit, ex iis, quae ad annos superiores, praesertim ad annum 1648, sparsim tradidi, quaeque hic brevitatis causa non repeto, conjectetur. Quibus addiderim mihi hactenus nullum occurrisse actum, nec publicum nec privatum, quo Ardaghadensis suam ipse circa inducias anno 1648 contractas, et censuras eapropter fulminatas, ita sententiam indubitanter declararit, ut ex subscriptione constet eum in induciarum et censurarum controversia Ormonistis in Nuncium coaluisse. Quae praecautio inter tantam actorum ab ambabus partibus scriptorum varietatem et confusionem adhibita efficit ut (quod nemo forsan ante me notarit) credamus eum stupenda sagacitate cavisse nequa partium se ab altero in hac controversia stetisse ex instrumentorum subscriptionibus convinceret, cum reliqui omnes Iberniae Praelati ab initio, in progressu vel fine majorem simplicitatem exercuerint, adeo ut eorum fuerit nemo, qui in hac controversia suam nedum factis, sed etiam actis publicis sententiam ingenue non professus sit. Quae circumstantia cum
2527 iis, quae in P. Richardi | epistola 19 Octobris 1660 scripta, et in variis hujus Historiae locis continentur, conjuncta, Ardaghadensem abstrusissima calliditate Nuncio defuisse demonstrant. Caeterum P. Richardus, ut illam Relationem, quam Albritio, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretario anno 1658 tradiderat, ipsis etiam haereticis proditam fuisse et se eam ob causam undique impeti vidit, eidem Secretario in Urbem scripsit hanc epistolam :

" Illustrissime Domine.

(**115**) " Duobus amplius abhinc annis aliquoties petiit a me

Dominatio vestra Illustrissima, dum sollicitarem negotia quorundam Ordinariorum Iberniae, ut Relationem ei rerum illius Regni conficerem. Cui semel atque iterum respondi, multa esse inter illa negotia ore potius exprimenda quam calamo. Cum me tamen interim urgeret coram P. Procuratore et Commissario nostro Generali Dominatio vestra Illustrissima ut ea omnia et singula, nihil omittendo, describerem; morem gerens Relatiunculam illam contexui et Dominationi vestrae Illustrissimae tanquam Sacrae Congregationis Secretario confidenter ac privatim credidi, hoc ipso charactere ac propria mea manu descriptam. Nunc vero ex particulis et | parte ejus 2527
majore ad me ex Gallia et Belgio missis video illam fuisse ad v
haereticos missam, traditamque Consiliariis Regis ac Reginae Angliae, et iisdem politicis, qui religionem et Regnum everterunt, ad eos omnes uniendum et irritandum contra me, amicosque meos et contra omnes, qui illam laudare audent, vel damnare nolunt. Verum sicut nihil ego ibi scripsi praeter ea, quae usu et tractatione illorum negotiorum scivi esse necessaria ad religionis et Catholicorum bonum vel rectam informationem Sacrae Congregationis et D. Vestrae Illustrissimae vel ad acceleranda illa negotia, ita nunc eadem confirmo, atque affirmo, nihil ibi esse contra veritatem, justitiam, rationem aut conscientiam, et affirmo illum tunc fuisse rerum statum, verumque modum expediendi negotia illa absque majori periculo, et quicquid in contrarium fiet, fore in religionis et Catholicorum damnum. Quam veritatem coram quibuscumque et contra quoscumque oppositores, etiam cum vitae discrimine defendam, probabo. Nec me paenitet, etiamsi adhuc morte multer, hanc veritatem Sacrae Congregationi et D. Vestrae Illustrissimae ob oculos posuisse, quae licet nunc videatur spreta ob politicorum informationes; cognoscetur tamen aliquando, quando Sancta | Sedes rem penitus, et se forsan 2528
ab his deceptam, recognoscet, sicut eam nunc clare cognoscunt et recognoscunt Catholici et in fastos seu monumenta eversae religionis et Patriae referunt ut posteri sciant veritatem, quae nunc contemni videtur. Non dico Dominationem Vestram Illustrissimam Relationem hanc directe misisse ad haereticos ut excitaret eorum et politicorum furorem et persecutionem in me. Verum quia multa jam mala ex hac proditione provenerunt et plura proventura dicuntur, ad satisfaciendum iis, qui instanter petunt ut agnoscam ac declarem (quod hactenus consulto distuli) ea quae illic scripsi (quia quotidie a politicis

augetur, vel alibi minuitur, vel mutatur ; quae enim initio fuit tantum sex, postea decem, nunc est foliorum duodecim) et caetera in exemplaribus corruptis ac depravatis falsificata pernegem. Cum non habeam exactam ejus copiam verbatim, sed primam solam delineationem in rescriptione (ut memini) alicubi mutatam ; ideo a Dominatione vestra Illustrissima humillime peto, ut permittat unam illius copiam licet simplicem pro me transcribi, quae mihi sufficiet ac proderit ad recognoscendum verum, negandum falsum et ad satisfaciendum litteris
2528 amicorum | hoc a me quotidie petentium in praesidium
v offensae ac laesae innocentiae." Haec ille. Florentiae 29° Novembris 1659.

(**116**) Ad has litteras cum P. Richardus per plures menses responsum expectasset, nullo recepto, demum hanc ipsi Summo Pontifici, Alexandro VII, epistolam scripsit :

" Beatissime Pater.

(**117**) " Ego duobus amplius abhinc annis Romae procurans expeditionem negotiorum ad Ordinarios Iberniae spectantium, porrexi Relationem de statu et rebus Ibernicis, in qua pro conscientiae dictamine, res illius Regni Sacrae Congregationi scitu necessarias ita candide exposui ut nec modestiae nec veritatis limites excesserim. Et licet pluribus fuerim mandatis ad illam faciendam instructus, eam tamen non nisi iterato jussu Domini Secretarii et ob sequentes rationes quasi coactus confeci :

(**118**) " 1°. Quia affirmabat se recens ad officium illud assumptum haud scivisse res Regni, nec potuisse religionis negotia prius expedire, quam illam haberet. Cui dum replicarem plura ex illis negotiis esse ore potius exprimenda quam calamo, conjurationes scilicet politicorum cum haereticis, eorum iniqua
2529 faedera, aliaque sacrilega acta, | quibus Catholicam religionem et Regnum everterant, institit ipse coram P. Procuratore nostro Generali ut ea omnia, nihil omittendo, describerem, mirabundus quod ego de fidelitate ipsius dubitare viderer. 2°. Quia P. Cyrillus, Carmelita, tunc Romae excommunicatorum Procurator, affirmabat D. Secretarium non expediturum prius ullum Catholicorum negotium quam ab ipso et excommunicatis ex Gallia reciperet Relationem. 3°. Ut impetrarem tandem eorum Praelatorum expeditionem, quos ab uno prope antea anno

instituerat et ad residendum quantocyus expediri pie jusserat Sanctitas Vestra. Quod tamen impetrare non potui donec fuerunt postea partim impediti et partim haereticis proditi. 4°. Dum paulo ante jussu Sanctitatis Vestrae informarem quosdam Cardinales de absolutione generali vel conditionata tunc politice petita sed a Sanctitate Vestra, ejusque praedecessore providentissime iis negata, quibus jam iterum erat abunde provisum, D. Cardinalis, Carolus Barberinus, mihi sincere fassus est quendam sacerdotem Ibernum, Plunkettum, qui nunc docet in Collegio | Propagandae Fidei, quendam 2529
etiam P. Jesuitam, *Yong* nomine, et Capellanum Sanctitatis v
Vestrae fuisse contrariae opinionis, qui pro excommunicatis, et pro Catholicis factionis haereticae sollicitabant. 5°. Ut vel sic insinuando politicorum molimina, iniqua faedera, et conjurationes in ruinam fidei, caveret Sacra Congregatio, et Ministri Sanctitatis Vestrae prius examinarent artificiosos eorum libellos, falsas informationes et Relationes, quam eorum artibus decepti ea stabilirent, quae cederent in fidei detrimentum et cachinnum haereticorum, etiamnum gloriantium se decepisse Sanctam Sedem. 6°. Quia arbitrabar me obligatum ad informandam Sanctam Sedem, cum fuerim ad hoc ex Patria, etiam invitus quodammodo, Romam delegatus et expresso Sacrae Congregationis mandato ad idem praestandum a navi et a reditu in Iberniam, retroductus Romam, ibique juxta plurimas Ordinariorum litteras et mandata detentus.

(**119**) " His itaque et aliis rationibus victus, post sex mensium resistentiam, ad obtemperandum Sacrae Congregationi feci demum Relationem | illam simplicem et privatam, in qua 2530
ea tantum retuli, quae ad Catholicorum statum cognoscendum et negotia peragenda credidi et adhuc firmiter credo esse Sacrae Congregationi adeo necessaria, ut siquid secus agendo statuat, necessario cedat in ruinam Catholicae religionis. Nunquam vero suspicatus sum Relationem toties ex me petitam et Sacrae Congregationi confidenter ac privatim creditam (cui et animam tunc credidissem) fuisse haereticis prodendam. Fuit tamen eis prodita cum aliis scripturis ex Secretaria Sacrae Congregationis et forsan ipsum originale. Et quamvis possem ego ex litteris virorum fide dignissimorum detegere latrones et exploratores in sinu Sanctae Sedis delitescentes et fotos, eos tamen hic, propter summam reverentiam erga Sanctitatem Vestram silentio praetereo, quamvis ipsi per se et per caeteros politicos excitent

adversus me Dominum Marchionem Ormoniae et caeteros haereticos et per eos excitent D. Internuncium Belgarum, |
2530 fingendo me ibi scripsisse contra Regem et jus ipsius in Regnum
v Iberniae ; quod ex Relationis lectione patet esse vanum. Praeterea varia congregant adversus me et Relationem illam testimonia Praelatorum et nobilium illius factionis haereticorum ; caeteros autem Praelatos sinceros nolentes his subscribere et Catholicos etiam Relationem quoquo modo approbantes, spoliandos curant officiis, bonis, militibus, ut jam pluribus in Belgio fecerunt, quos etiam ibi et in Patria produnt haereticis. Catholici enim illi politici, qui apud haereticos gloriantur se vi et armis evertisse Catholicam unionem et confaederationem, Regnumque haereticis ultro tradidisse, ne illic (ut gloriantur) praevaleret Papae potestas, nunc sibi conscii et veriti ne ipsi et eorum facinora per hanc Relationem Romae revelentur, illam et me totis viribus opprimere nituntur. Ego quidem haec mala, calumnias ac falsas informationes de me ipso factas tacitus perferrem. Verum quia sinceris ecclesiasticis
2531 et laicis amicis nimium hinc depressis, vexatis, et | adhuc vexandis debeo (quantum in me est) prospicere. Quia illi, qui creduntur hujus furti authores, suadent Domino Secretario Relationem fuisse proditam non ex Secretaria Sacrae Congregationis, sed ab amanuensi meo (quod fictum est, quia nullum habui et quia nemo illam vidit, nemo scripsit praeter me ut constat ex autographo hac mea manu et his ipsis characteribus exarato) ; quia omnes copiae inde extractae depravantur ad irritandum haereticos in me et in amicos ; ad quod tamen malum praeveniendum D. Secretarius ne simplicem quidem ejus copiam, imo nec responsum mihi dare dignatus est. Quia denique proditio haec et aliarum scripturarum ad haereticos transmissarum tantam diffidentiam generat in Iberniae Praelatis, Clero, et nobilibus ut omnem auferat ab eis confidentiam quidpiam deinceps committendi Sanctae Sedi, ubi omnia sua secreta haereticis patere vident in summum Catholicae religionis detrimentum. Quod scio esse contra
2531 sanctissimam Beatitudinis Vestrae mentem, | quam semper
v hactenus favere Catholicis sum expertus.

(**120**) " Ideo ego, Beatissime Pater, in praesidium innocentiae recurrens ad oraculum fidei, veritatis et justitiae, Sanctitatem scilicet Vestram, humillime peto ut illud autographum meum hoc ipso charactere descriptum, a viris aequis et in rebus

Ibernicis bene versatis, examinari ac pro illius merito vel demerito judicari, et ejus exemplar mihi concedi jubeat Sanctitas Vestra.

Florentiae,
13 Septembris, 1660. Sanctitatis Vestrae
Devotissimus et humillimus servus et filius,
Fr. Richardus O Faerallus.
Capucinus Ibernus."

(**121**) Nullam etiam ad has litteras Richardus responsionem recepit. Interea inter ipsos Capucinos Ibernos non defuere, qui suas atque alias nobilissimas in Ibernia familias illa Relatione proscissas affirmarint, inque eam insurrexerint. Quo factum ut P. Richardus Eminentissimo | Domino Cardinali Farnesio 2532
indidem mense Maio 1662 scribens: " Eminentissime (inquit) ac Reverendissime Domine, fui ego ad annum 1648 ex Ibernia ad Sanctam Sedem de religionis et Regni statu informandam a Domino Nuncio Apostolico, Episcopis, et exercitus Catholici Praefectis quasi invitus Romam amandatus. Fui deinde anno sequenti expresso Sacrae Congregationis mandato ad idem praestandum a navi, et regressu in Patriam, Romam retroductus, ibique detentus. Qua in fide praestiterim, novit Sacra Congregatio, ac prae caeteris Eminentissimus Dominus Cardinalis Albitius, cui, negotiorum utique Regni peritissimo, cura illa ab utroque Pontifice fuit demandata. Promotus autem in Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarium Illustrissimus Dominus Albritius, Eminentiae vestrae ex sorore nepos praeclarissimus, ad quem informandum miserat me Sanctissimus Dominus noster, serio postulavit, ut plenam ei de rebus Ibernicis relationem conficerem. Cui cum responderem multa esse inter illa negotia de proditionum religionis et Regni authoribus ore potius | exprimenda quam calamo, iterum 2532
instantius ursit coram P. Procuratore nostro Generali, ut ea v
omnia, nihil prorsus omittendo, describerem, affirmans se recens ad officium illud assumptum haud scivisse absque illa, neque aliter potuisse negotia expedire aut Congregationem habere. Obtemperavi tandem et Relationem quandam tumultuario confectam, impolitam quidem ac simplicem sed candidam ac sinceram ei privatim et confidenter consignavi. In qua ea tantum retuli, quae ad fidei, Patriae et Catholicorum statum cognoscendum credidi, et firmiter credo fuisse adeo necessaria ut siquid in contrarium statueretur, necessario cederet in

Catholicae religionis detrimentum. Brevi postea fuit Relatio illa ex Collegio Propagandae Fidei prodita ac transmissa satis mendose ad factionis haereticae Catholicos, ad Puritanos quoque et ad ipsum Angliae Regem, ad irritandos illos in me quasi illic contra jus Regis in Iberniam scripsissem. Habent enim Sanctae Sedis inimici suos Romae fautores, ne dicam exploratores, quos licet possem, nolo tamen, propter eorum, qui illis fidunt, reverentiam, hic revelare. Hi ne ipsi vel amici cum
2533 Parlamentariis | conjurantes, hac Relatione Romae innotescerent, illam quasi iniquam, Regi et Catholicis injuriosam sugillant. Varia Praelatorum, ecclesiasticorum, et laicorum Puritanicae factionis testimonia contra illam ex Ibernia, Gallia, Anglia, Belgio, et Hispaniis colligenda curarunt, quibus, qui subscribere renuunt, graviter vexantur, a muniis obeundis arcentur, tanquam Regis hostes ad haereticos deferuntur, plectuntur et ex ipsis nostris Fratribus non nulli sua amicorumque gesta inde revelanda pertimescentes, insurrexerunt in me." Haec ille, et aliquot lineis, quas tanquam hic superfluas praetereo, interjectis : " Interim (inquit) reliqua pars illius factionis periculosam illam persecutionis facem Londini accendit, quae totam Angliam et Iberniam inflammat, devastat, fugatis, proscriptis, vel carceri mancipatis plerisque sinceris ecclesiasticis, dum eorum fautores Romae proteguntur. Hinc ego ad Eminentiae vestrae protectionem confugiens, non in eos vindictam, nec mihi favorem sed justitiam solam humillime peto, ne scilicet illorum dicta vel scripta in me praevaleant, maxime in hoc Capitulo (Generali Capucinorum) donec examinata veritate, pateat ex ipsius Relationis lectione me non
2533 nisi | vera, justa, ac scitu necessaria, ad quae coram quiv buscumque probanda me ipsum offero, ibi tradidisse. Faxit Christus Opt. Max. ut Eminentiam vestram in protectionem totius Ordinis nostri ac mei potissimum servet incolumem." Haec ille ad Cardinalem Farnesium, tunc recens Capucinorum Protectorem.

(**122**) Ad hanc etiam epistolam P. Richardus nullam recepit responsionem. Porro haec circa Censuras anno 1648 apud Iberniam fulminatas controversia annis 1655, 1656 et 1658 Romae instaurata et circa Relationem illam anno 1658 Sacrae Congregationi traditam ulterius continuata exegit ut contestationem illam uno narrationis filo prosequerer. Jam alia ad Iberniam pertinentia resumo. Ex quibus haud oblivioni tradendus est duorum Chiliarchorum Ibernorum, nempe Philippi

O Rellii et Moriarti O Brien, qui ambo in Belgio, ille sub Hispano, hic sub Condaeo, stipendia faciebant, Patriae Insulae subveniendi conatus, nata (ut videbatur) caelitus occasione satis opportuna, nova scilicet inter Regem Catholicum et Tirannum, Cromuellum, discordia. Quare praefati duo anno 1656 has in Urbem litteras Anglice scripserunt : |

" *Illustrissimo Domino Cluanmacnosiensi Episcopo, Reverendo D. Geraldo Ferallo, Reverendis admodum Patribus, Fr. Philippo Rellio Sac. Theologiae Lectori Jubilato, et Fr. Richardo Ferallo Capucino, Patronis nostris colendissimis, Romam.* 2534

" Reverendissime Domine et admodum Reverendi Patres.

(**123**) " Cum (sicut arbitramur) manifesta nobis, Deo providente, pateat via, qua in Patria et fidem Catholicam promoveamus et res nostras recuperemus, eam in zelo et sollicitudine, quam circa nos omnes, vestros amicos in exilium mandatos et circa vestros in Ibernia amicos sub Cromuelli jugo ingemiscentes, vobis esse probe scimus, spem collocamus, ut non dubitemus, quin velitis omnia hoc fasciculo vobis significata cordi habere et ea pro viribus tractare, nosque de successu vel successus expectatione, vestrisque circa hoc negotium procedendi modis reddere certiores. Et sic remanemus

Bruxellis,
1° Maii, 1656. Illustrissime Domine et Reverendi Patres,
Servi vestri humillimi
Philippus O Rellius.
Moriartus O Brien." |

(**124**) Negotia autem illa, de quibus loquuntur, haud alia fuere quam ut sibi in Patriam Insulam remigraturis et bellum in Cromuellum et Cromuellistas redintegraturis aliqua a novo Pontifice, Alexandro VII, subsidia procurarent juxta sequentem chartam una tunc missam, quam propriis verbis Latinis ex autographo subdo : 2534 v

" *Instructiones pro Reverendissimo Cluanmacnosiensi et reliquis.*

(**125**) " 1°. Omnia secretissime tenenda et solis primo Car-

dinali de Albiziis et Illustrissimo Domino Massario revelanda et postea, secundum eorum directionem et consilium, Suae Sanctitati proponenda.

(**126**) " 2°. Exponere propositiones infrascriptas proponi a subsignantibus non solum nomine suo, verum etiam nomine ac praevio consensu eorum, qui pro fide et patria fideliter certarunt, cum quibus, licet in diversis Regnis dispersis, habita fuit matura communicatio toto anno praeterito de eisdem proponendis et de facilitate earundem propositionum finem consequendi.

(**127**) " 3°. Quod impetratio supplicantium eo magis concedi debet quod supplicantes sint ex illustrissimis et nobilissimis
2535 familiis in Ibernia, quae infracto | pectore fidem Catholicam a tempore Sancti Patricii retinuerunt ac Sedi Apostolicae fideliter usque ad bonorum omnium amissionem et exilium adhaeserunt.

(**128**) " 4°. Quod ipsi et eis adhaerentes habeant sub se plusquam quatuor millia militum, praeter eos qui sunt in Gallia, Hispania, ac aliis Regnis, qui anxie expectant redemptionem a servitute, in qua modo existunt, atque malunt in patria pro fide occumbere, quam morbo, fame, aut gladio Catholicorum perire, prout quotidie experiuntur.

(**129**) " 5°. Exponere miseram conditionem et deplorabilem statum multorum millium Ibernorum Catholicorum in Provincia Conaciae in unum *transplantatione* compulsorum, quibus quotidie imminet trucidationis aut in *Barbados* proscriptionis ac totius fidei amissionis periculum, nisi eis tempestive subveniatur.

(**130**) " 6°. Exponere opportunitatem temporis, occasione belli inter Hispanum et Cromuellum.

(**131**) " 7°. De spe, imo certitudine morali de Hispano auxiliaturo supplicantibus et in Patriam eos dimissuro ad divertendum et debilitandum ipsius inimicum, praecipue interveniente Suae Sanctitatis in hoc puncto paterna persuasione. Et in hoc ultimo instantissime agendum.

(**132**) " 8°. De applicatione facienda ad Legatum Regis |
2535 Catholici in Urbe ad hunc effectum, ipsum informando de
v inveterato Ibernorum affectu erga Hispanum et Domum Austriacam ut multoties fuit probatum.

(**133**) " 9°. Casu quo Rex Angliae applicet se ad Suam Sanctitatem aut Regem Catholicum, ut praesumitur facturus; tunc serio inculcandum Suae Sanctitati et ministris Regis Catholici, ut supplicantes, qui sinceri, fideles, et constantes

semper permanserunt in negotio fidei et patriae (prout exitus probavit) praeferantur et praeficiantur tam in civili quam in militari gubernio. Quia quo considerabiliores reddentur per Suam Sanctitatem et Regem Catholicum, eo securius consuletur commodo ipsorum, fidei, ac Patriae suae Catholicae.

(**134**) " 10°. Exponendum supplicantes omnes expertos fuisse multos adversarios propter eorum zelum ac sinceritatem. Et aliqui forte modo e dicti Regis (Angliae) Consiliariis sunt, a quibus pessundari, ne dicam destrui, verentur supplicantes, nisi et ipsi considerabiles reddantur.

(**135**) " 11°. Quod casu, quo aliqua conclusio vel tractatus fiat cum Rege Angliae per Suam Sanctitatem aut Majestatem Catholicam, instanter agatur pro faciendis securis conditionibus | pro supplicantibus et suis adhaerentibus, ne in temporalibus 2536
aut rebus fidei et religionis detrimentum patiantur.

" *Modus reddendi supplicantes considerabiles et obtinendi facillime conditiones quascumque a Rege Britanniae, si de infrascriptis provideantur.*

(**136**) " 1°. Ut Sua Sanctitas dignetur vel per se vel per viam collectionis inter ipsos ecclesiasticos cujuscumque ordinis de navibus seu fregatis aliquot bellicis providere cum sufficienti provisione et munitione bellica, in quibus transvehi possint supplicantes in portum ad occupandum designatum.

(**137**) " 2°. Portus est maritimus et stationem habet tutissimam ubi sexaginta naves simul esse possunt, et ex eo egredi quocumque et quando volunt invitis inimicis. Insula est et Oceano undequaque circumcingitur et in ea parte, qua naves ingrediuntur et egrediuntur, nullatenus obsideri potest, quia anchora ibi fundum non habet.

(**138**) " 3°. Insula est sita in Provincia Conaciae, ubi omnes Catholici Iberniae nunc transportati sunt, auxilium desuper indies expectantes, qui statim | ad dictum locum semel 2536
captum convenire possunt. v

(**139**) " 4°. Praefatus locus contributarias faceret Provincias Conaciae, Ultoniae, et Momoniae, qua mare respiciunt. Habet praeterea multas alias Insulas prope adjacentes, ipsius ditioni subjectas.

(**140**) " 5°. Possibilitas occupandi dictam insulam colligitur 1°, ex eo quod triginta solum praesidiarii milites inibi sint et

aliquando pauciores ; ut pro certo intelligitur ex diversis fide dignis, qui nuper ex illis partibus appulerunt. 2°. Quod ibi sint certa loca absque ulla defensione paucissimis cognita et inimicis incognita et in ea parvis navigiis mille viri aut plures facillime ingredi possint. 3°. Quod apud supplicantes modo degant viri fide digni, qui rem ad optatum finem perducere suscipiunt. 4°. Quod in Provincia Ultoniae et Momoniae sint etiam plures insulae desolatae, quae si fortificarentur, viam panderent ad invadendam utramque Provinciam.

Philipp. O Rely.
Mor. O Brien."

(**141**) Hae suggestiones haud effecerunt ut subsidia illa Romae obtenta fuerint, Alexandro VII haud ignorante suum praedecessorem, Innocentium X^m^, longe meliorem arripuisse
2537 occasionem, nec | tamen Confaederatis Iberniae Catholicis subsidia nisi incassum suppeditasse ob ipsorum discordias et Ormonistarum artificia. Porro Episcopus Cluanmacnosiensis Romae deinde aliquot menses commoratus, ex diaecesi Cluanmacnosiensi ad meliorem, nempe Midiensem, translatus, paulo post eximia animi magnitudine in Iberniam rediit, licet a Nuncii partibus inter nuperum bellum steterit, proindeque habuerit, cur sibi ab haereticorum rabie specialiter metueret. In patriam autem per vias desperatas reversus inter truculentissimam persecutionem praeclare Deo militavit. Quem ad idem haereticorum praelium generose secutus est novus Iberniae Primas, Edmundus O Rellius. Eodemque circiter tempore in Belgio fidei causa exul, Joannes O Cullenanus, Episcopus Rapotensis, dierum ac meritorum plenus pie vitam finivit. Qui (sicut superius retulimus) multas aerumnas ab haereticis fidei causa passus, Nuncii partibus in nupero Iberniae bello Catholico constanter adhaeserat. Ibidem etiam ad mensem Januariam an. 1658
2537 decessisse invenio | R. P. Joannem MacColganum, strictioris
v observantiae Franciscanum Ultoniensem, de sua Ibernia in antiquitatibus ejus compilandis optime meritum.

(**142**) Ad Episcopum Laghleniensem redeo, quem ex Ibernia in Hispaniam exulasse dixi. Is aliquandiu Madriti commoratus, atque inde salubrioris aeris desiderio in Galeciam profecturus litteris P. Richardo O Ferallo ex eadem urbe Madritensi 28 Octobris 1653 Romam missis : " Communicet (inquit) cum nostri Ordinis Reverendissimo P. Generali (cujus manus deosculor) me hic Madriti exulem (quod exilium pro fide patior),

nec adjutum ullo modo, nec recreatum nec vel salutatum ab ullo *Priore* aut alias superioritatem habente in Conventu ullo quatuor Conventuum qui hic nostri Ordinis (Dominicani) sunt, etiamnum esse. Secus tamen Moniales nostri Ordinis, praesertim illae *de Sancto Domingo* (ut vocant) *Real*, me tractaverunt, quae quibus officiis et liberalitate potuerunt, me prosecutae sunt. Quibus pro beneficiis in me collatis velim per suas litteras ad easdem datas agat Reverendissimus | noster Generalis 2538
gratias cum reprehensionibus ad *Priores* praedictorum Conventuum scriptis, non quod jam auxilium cujusquam eorum, cum alio me hinc conferam, expetam, sed quod desiderem inter nostros charitatem semper foveri et propagari, radicem scilicet et fontem virtutum omnium." Sunt ipsius verba manu propria scripta. Qui etiam aliis litteris ad eundem *Portividea* 12 Novembris 1656 in Urbem scriptis, de Iberniae suae rebus mentionem faciens :

(**143**) " Dixi (inquit) superius quod Illustrissimum Dominum Nuncium Regno expulerunt. Quod (proh dolor) verum constat esse. Post cujus discessum ex Regno, quasi Romulo regnante quondam ruit Roma, flamma, fame, ferro devastata fuit tota Ibernia, et fructus violationis censurarum et maledictionis aeternae totam sibi subjecit Insulam. Et qui ante erant de nostra confaederatione, jam tum uniti haereticis irruunt in suos cum tanta ferocitate, spoliantes aedes, agros vastantes, pecudes in praedam ducentes, etiam pupillorum et viduarum et meis minime parcentes. Quibus non obstantibus, et durantibus incommodis, post discessum dicti Illustrissimi Domini Nuncii, expectans auxilium aut a caelo aut solo, quo | de- 2538
ficiente, non alia ex causa quam multitudine peccatorum v
nostrorum praepedito, procuravi omnibus viribus remedium aliquid antedictis incommodis applicare, non parcens labori aut vigilantiae per triennium circa curam gregis mihi, indignissimo pastori, commissi, et quanta in hoc triennio pericula, incommoda, inediam, et miserias in sylvis, montibus, desertis, et latebris Dei et Ecclesiae causa toleravi nescio ; Deus scit. Tandem vidi Iberniam meam, Sanctorum quondam Insulam, pene omni Catholicae religionis exercitio et libertate destitutam, prophanata templa, diruta caenobia, eversa altaria, sacras cruces, Deiparae Virginis Sanctorumque omnium imagines, ornamenta, vasa, sacros codices, comminui, violari, sacrilegisque focis absumi. Et haec videre, quanta animi amaritudo, quae etiam ipsa morte mihi acerbior fuit. *Quis talia fando temperet*

a lachrymis? Quem ad luctum et dolorem non moveret vel ipsa tantorum malorum cogitatio?

(**144**) " Reverende Pater, his (inquam), non obstantibus, steti, restiti constans in mea prima resolutione pro Deo et Ecclesia quamdiu licuit. Sed morte Marteque simul imminentibus, post proditoriam armorum (ut audistis) submissionem, cujus in Momonia primus author fuit Edmundus Duir, Colo-
2539 nellus, et | Edmundus Fenel, Colonellus, postea ab haereticis justa Dei compensatione suspensus, et in Lagenia Dominus Joannes FitzPatricius, juvenis insanae libertatis, nunc residens in Curia Matritensi, plus ibi habitus quam qui pro Deo et Ecclesia exilium usque firmiter steterunt, uti D. Richardus Ferail et D. Hugo O Neill. Post (inquam) hanc proditoriam submissionem omni humano auxilio destitutus, exilio et summis oceani incommodis me commisi, a quibus Divina providentia ereptus (ut brevitatis causa alias omittam circumstantias) Matritum veni; ubi per aliquot menses moram feci, sed insolitos illius loci aestus ferre non valens, Galaeciam, de licentia Serenissimi Regis Catholici, petii; ubi propter aeris temperiem et loci amaenitatem (gratias Deo Uni et Trino) integra fruor valetudine his duobus annis cum dimidio. Quo durante tempore, ex sexaginta *Ducatis*, quas invictus et idem Serenissimus Rex Catholicus, quem Deus incolumem conservet, in me conferri per mensem pro mea sustentatione imperavit, non nisi quinque mensium portionem accepi toto tempore, quo Matriti mansi et resideo Pontivediae. Quapropter ego cum sociis, nempe Reverendo Patre, Fr. Dominico O Ferall et
2539 Reverendo Patre Fr. | Raymundo O Heslenano alias de Sancto
v Michaele, non parva laboramus inedia et majori laboraremus nisi propter magnificentiam Excellentissimi Domini, D. Vincentii Gonzagae, Itali, hujus Provinciae Galeciae Proregis, cujus sumptibus pascimur et nutrimur. Vir enim est noster Prorex nobilissimus, egregie doctus, satis pius, et nescio cui non charitate praeferendus. Utinam procurares si non Sanctissimi Patris, saltem alicujus Eminentissimi Cardinalis litteras ad ipsum pro gratiarum actione, propter ejus in nos eximiam charitatem." Haec Laghleniensis, qui prae senio non valens ad visitanda Apostolorum limina Romam proficisci et adeo rerum inopia laborans ut alium suo loco destinare nequiret, praefatum P. Richardum rogavit ut suas Romae in ea re vices obiret. Quibus a P. Richardo obitis et diaecesis Laghleniensis relatione, quam Episcopus miserat sacrae Congregationi Car-

dinalium Concilio Tridentino interpretando praefectae exhibita, scripsit eidem Laghleniensi Sacra Congregatio hanc epistolam :

" Perillustris et Reverendissime Domine uti Frater.

(**145**) " Annuente Sanctissimo Domino nostro, Fr. Richardus Longfordiensis, Ordinis Capucinorum, qui Amplitudinis tuae nomine ad mentem Constitutionis s. memoriae | Sixti V de 2540
sacris liminibus visitandis, Beatorum Apostolorum Basilicas veneratus est, per Eminentissimos Cardinales, qui a Sede Apostolica Sacro Tridentino Concilio interpretando praepositi sunt, humaniter exceptus fuit. Luctuosam ille Laghleniensis diaecesis descriptionem exhibuit, quae Eminentissimos Cardinales dolore cordis intrinseco affecit ; secum reputantes pristinam inclytae Iberniae pietatem, qua Sanctorum Insula olim appellari meruerat, nunc vero sectariorum furore percussos ibi pastores, et dispersas oves, ipsamque Orthodoxam fidem eversam. Sed quoniam virtus in tribulatione perficitur et bonus est Dominus sperantibus in illum, ideo confidunt Eminentissimi Patres inter has rerum angustias sacros pastores animum non desponsuros, sed crediti sibi gregis reliquias, prout temporum ratio patietur, sedulo curaturos, salutare Dei expectantes, qui non delectatur in perditionibus nostris. Caeterum quoad Amplitudinis tuae a Laghleniensi diaecesi discessum et quoad operarios, quos ejus zelus ad instaurandam in Ibernia Catholicam religionem postulat, Eminentissimi Patres in sacra Congregatione de Propaganda Fide agendum censuerunt, a qua etiam, prout expedit, circa facultatem absolvendi illos, qui ob narratas ab Amplitudine tua causas, ecclesiasticis censuris obstricti sunt, provide consuletur. | Interim ab eo, qui est Deus totius consola- 2540
tionis, Amplitudini tuae precamur ut post tempestatem tran- v
quillum faciat et post lachrymationem et fletum, exultationem infundat.

Romae 29 Septembris,
1657.

Amplitudinis Tuae uti frater studiosus,
F. Cardinalis Paulutius, *Praefectus.*

Gratis etiam quoad scripturam. C. de Vecchiis, Episcopus Clus S. Co. C. *Secretarius.*"

(**146**) Circa idem tempus Laghleniensis in Hispania diem obiit. Is fuit Edmundus O Diomasa vel (ut alii dolant) Dempsy, filius (sic in praedicti P. Richardi Scriniis lego) Vicecomitis Clanmalierae, suae nobilissimae antiquissimaeque familiae Principis, ab Urbano VIII ex Ordine Dominicano ad eam dignitatem

assumptus, cujus aliis magnis meritis accessit, quod magno semper zelo in nupero Iberniae bello causam Catholicam propugnarit.

(**147**) Ad annum 1657 plures Romae institutos fuisse invenio diaecesum Ibernicarum Vicarios Apostolicos, quorum alii ante et tunc in Ibernia residebant ; alii illo tunc remigrarunt.

(**148**) Suo loco dictum est Capucinos Ibernos Conventum Carolopolitanum in Gallia ipsis a Duce Nivernensi constructum
2541 incolentes, interjectis deinde | aliquot annis, Sedani quoque, quae civitas magnam partem haeresi et haereticis infecta tres circiter leucas Carolopoli distat, ita spiritualem triumphum confecisse ut ibi apud hospitium ad annum 1640 a Duce Bullioneo concessum in familiam Regularem coaluerint. A quo tempore semper hactenus in utriusque loci vicinia late patente praeclaram in Catholicorum et haereticorum salute animarum procuranda operam collocarunt. Sedano autem in Regis Christianissimi potestatem permisso, Ludovicus 14[us] totaque ejus Aula, dum Mommedia, Sedano paucis leucis ad orientem distans, ab exercitu Gallicano obsideretur, in eadem civitate Sedanensi per aliquot hebdomadas pedem fixit, deindeque capta Mommedia in gratiarum actionem praestitit quod sequens actum testatur :

(**149**) " Nos infrascripti, Episcopus Ruthenensis, potestate speciali nobis a Vicario Generali Rhemensi, ejusdemque diaecesis Capitulo, dum sedes vacaret, ad pientissimum Ludovici 14. Regis Christianissimi, votum, delegata muniti, dicto gloriosissimo Monarcha praesente, primumque lapidem ponente, nec non Anna Austriaca, matre, cum Serenissimo Duce Andegavensi, |
2541 fratre, adeoque universa aula Gallicana assistente, apud
v Sedanum, urbem ad Mosae ripam frequentissimam, eundem primarium lapidem benediximus juxta Ecclesiae Catholicae ritum, et Capucinis Ibernis a dicto invictissimo Monarcha apud praefatam civitatem stabilitis ad Conventum aedificandum stravimus 21 Augusti anno 1657. In cujus rei fidem hoc instrumentum manu sigilloque nostro munivimus die atque anno praefatis.

Harduinus Episcopus Ruthenensis."

Locus Sigilli.

(**150**) Anno 1658 ex Gallia in Iberniam suam remigravit suos Missionarios per patriam Insulam sparsos visitaturus, R. P. Bernardinus O Ferallus, Capucinorum Ibernorum Commissarius Generalis et illius Missionis Apostolicae Praefectus,

qui postea in Galliam reversus Relationem inde in Urbem direxit, cujus apographum, sicut ad meas manus pervenit, hic sequitur :

" Beatissime Pater.

(**151**) " Nationes omnes ad Vicarium Christi et Sedem Apostolicam recursum habent in afflictionibus. Sed | prae 2542
omnibus haec debetur Iberniae consolatio, quod Regnum illud Adrianus IV transcripsisse dicatur Henrico 2°, Angliae Regi, a cujus successoribus et gente Anglicana haeresis in Iberniam fuit introducta, totaque natio adeo afflictata et fidei causa extirpata ut ab Henrici octavi diebus Iberni sint in lacu leonum et fornace Babylonica. In Catholicorum autem consolationem et conversionem haereticorum erexit anno 1608 Paulus V Capucinorum Missionem in Angliam, Scotiam, Iberniam, et plures in mari Britannico adjacentes insulas, cumque in Anglia quidem Anglice, in Ibernia vero, Scotia et insulis praefatis multi Anglice tantum, multi tantum Ibernice, et plures Anglice atque Ibernice loquantur, propterea Capucini Iberni utramque linguam callentes eam missionem velut summopere idonei inchoarunt, et usque in diem hanc continuarunt, ita tamen ut progrediente tempore Urbanus VIII in Reginae Magnae Britanniae gratiam Provinciae Parisiensis Capucinis Missionem Anglicanam decreverit et Capucinis Ibernis Ibernicam | reliquerit, qui eousque in Angliam quoque et Scotiam miss- 2542
sionarios destinaverant. V

(**152**) " Ad fovendam hanc Missionem Ibernicam pientissimus Dux Nivernensis, postea Mantuae Dux, Carolus Gonzaga, moderni Mantuae Ducis avus paternus, in urbe Carolopolitana, cujus is supremus esset Princeps, ad Franciae et Belgii confinium erexit Conventum satis commodum, in quem anno 1620 Capucini Iberni in aliis Provinciis professi confluxerunt, et obtento suae Nationis novitiatu, studiis quoque Philosophicis et Theologicis, in parvam ibi Rempublicam Ibernicam sub suis Superioribus hactenus ita coaluerunt, ut demum post multas cum Calvinistis colluctationes et reportatas victorias, ipsos Sedanum, tribus leucis Carolopoli distans, ad annum 1639 supremus Sedani et annexorum principatuum Dominus, Dux Bullioneus, tunc recens ab haeresi conversus, introduxerit, et in urbe illa, antea per septuaginta annos Calvinismi asylo, nobis anno 1640 domunculam et capellam annexam in Conventus erigendi spem impertierit, deindeque illo Principatibus illis et urbe excusso, Ludovicus | 13 et Ludovicus 14 benevolentia et 2543

beneficiis cumularint infinitis. Quorum hic Conventus nunc prope absoluti lapidem ibi manu propria posuit primarium.

(**153**) " In his duobus locis et vicinia late patente Capucini Iberni in haereticis, praesertim Sedanensibus, convertendis, confessionibus et concionibus Gallice ad populum habendis ita indefessam collocant operam ut ex illo Missionis nido et academia Apostolica subinde mittant in Iberniam Missionarios singulos, binos, ternos, quaternos. Qui ab anno 1615 per novennium ob persecutionis immanitatem haud potuerunt apud patriam Insulam in unam familiam Regularem coalescere usque ad annum 1624, quo Dubliniae in domo conductitia Regularem observantiam, quantum per persecutionem liceret, resumpserunt, deindeque, in variis Iberniae urbibus atque oppidis hospitia erexerunt. Quorum non nulla saepius a persecutoribus direpta et dissipata, etiam combusta, restaurarunt. Sed demum crudelissimus Regicida, Cromuellus, omnia restinxit, tota Natione, nedum Missione nostra, immenso prope persecutionis diluvio obruta. |

2543 v (**154**) " Sub hoc flagello Dei et Attila altero ita invaluit apud Iberniam saevissima haereticorum Angliae colluvies, ut exinde usque in diem hanc patiatur Natio Ibernica non sicut antea persecutionem, sed coacervatarum aliarum super alias persecutionum tot tantosque cumulos, ut confidenter ausim affirmare nunquam a mundo condito ita jactatam, tortam, tostamque fuisse servorum Dei patientiam omni auro obrizo purgatiorem, quia semper constantissimam. Regno in saevissimos illos praedones et tyrannide ipsa crudeliores carnifices distributo, Clerus populusque Catholicus adeo universale passi sunt martyrium, ut nemo pene omnium millena non tolerarit martyria, et universa fere Iberniae gleba conversa sit in sacras reliquias, tot utique tantorumque martyrum sanguine cruentata. Quid memorem hic persecutorum leges Catholico cruore madentes, praemia sacerdotum et Religiosorum indagatoribus exposita, exploratores toto Regno cursitantes, exilia, relegationes, deportationes, patibula, carceres, catenas, vincula adeo multiplicata ut stupendum sit qui rabies etiam haeretica tot | 2544 exercendae inhumanitatis excogitarit instrumenta et modos nullum habentes modum nec mediocritatem.

(**155**) " In hoc afflictionum pelago quidam ex Capucinorum Missione mortis sententiam, alii diuturnos carcerum squalores, alii exilia subierunt. Alii modo in vinculis et custodia squalent. Qua malorum inundatione non obstante, ex iisdem carcere et

exilio multatis non nulli denuo in Iberniam remigrarunt, et alii recentiores Christi milites in exulum locum substituti sunt. Quos ego Missionis Commissarius Generalis et Praefectus, licet immeritus, anno 1658 visitavi, ipseque interea in ea vinea pro meo modulo laboravi, idque effeci ut cum in Regno quatuor sint Provinciae, unaquaeque suos habeat missionarios, Lagenia sex, Momonia quatuor, Conacia duos, et Ultonia tres, praeter alios jam in procinctu ad proficiscendum.

(**156**) " Quos autem quantosque in animarum conversione nostri missionarii a quadraginta et septem annis fecerint progressus, saepius non exacte quidem retulimus, sed missis in Urbem relationibus, imo integro historiae MS. volumine delineavimus. Nuper etiam ipse omnium | minimus, ex quo 2544
Missionis Praefectum ago, direxi Relationem ad Sacram Con- v
gregationem prima vice de mille et ducentis ab haeresi conversis, et deinde alia vice novissima de nongentis et amplius, licet ob quosdam ex nostris jam carcere detentos, et locorum distantiam atque itinerum pericula, non nisi quatuor vel quinque missionariorum fructus collegerim. Porro inter praefatos conversos sunt nobiles, ministrorum haereticorum uxores, pseudo-Episcopus haereticus, quaedam Domina nupta filio Proregis Regni Legionis, cum aliis integris notatu dignis familiis et bellicis officialibus.

(**157**) " Prolixum esset hic demonstrare quantopere haec Missio semper fuerit grata, tam in Gallia, quam in Ibernia, Ecclesiae Praelatis, populo Christiano, etiam multis ex ipsis haereticis minus ad furorem natis, adeo ut hodie Clerus saecularis in Ibernia plures desiderent quam suppeditare valeamus. Restat ut Sanctitatem Vestram quam humillime precemur, ut decessorum more hanc Missionem benigne foveat, et suo dignetur paterno patrocinio, atque alias Insulas Britannicas, olim nobis commissas, nunc magna operariorum inopia laborantes sublevet, praesertim insulam Manniae, et partem illam | Scotiae, 2545
ubi Ibernice loquuntur. In quibus locis non nisi Iberni missionarios agere possunt." Hactenus illius Relationis apographum, quod non aliter ad meas manus pervenit.

(**158**) Regi Catholico demum cum tyranno Cromuello male convenisse superius indicavi. Hinc factum ut bello inter Gallum et Hispanum calente, Cromuellus cum Gallo in Hispanum belli societatem coierit, et Rex Angliae, cui antea Gallia asylum praebuerat, Cromuello apud Gallum imo ipsius Galli commodo

praevalente, Gallia exierit, et in Germaniam perrexerit. Unde eum Hispanus in Belgium invitavit et honorifice tractavit, ut eo tanquam instrumento in Cromuellum uteretur. Anglum in Belgium secutus est ejus frater, Dux Eboracensis, qui antea per aliquot annos legionem Ibernicam ducens militaris disciplinae discendae studio in castris Gallicanis se exercitaverat. Ambo in Belgio operam dederunt ut legiones Ibernicas, quas anterius ex Hispania, Belgio, aliundeque, in Galliam acciverant, tunc ex Gallia in Belgium attraherent, pollicentes se cum illis viribus ad primam occasionem in Angliam, Scotiam, vel
2545 Iberniam trajecturos, et cum aliis | copiis longe majoribus
v domi coalituris, Cromuelli et rebellium ipsi adhaerentium ita factionem depressuros ut exinde ii, qui Regem Angliae in Belgium sequerentur, sua in Ibernia patrimonia recuperarent. Multi quoque arbitrabantur ipsum Angliae Regem tunc ad fidem Catholicam convertendum, et futurum ut conversus Summi Pontificis, Hispani, totius Ecclesiae Praelatorum, et Principum ac Potentatuum Catholicorum ope in integrum restitueretur, unaque fides orthodoxa in tribus Angliae, Iberniae, et Scotiae Regnis ea ratione reflоresceret. Hinc Ibernicae illae Legiones cum ex animo vellent Angliae Regem in Belgio sequi, sed, Gallo praepediente, instructa acie transire non possent, praestabant quod Gallus impedire non valebat. Nempe, singuli, bini, terni, quaterni, quini, et nunc manipulatim, nunc turmatim, in Belgium descendebant, adeo ut Galli quidem ex una parte in ipsos velut suorum castrorum desertores excandescerent, et ex altera ipsos ob singulare eorum in Regem obsequium et suae Nationis fideique in Ibernia postliminio restituendae zelum
2546 summis laudibus efferrent, | haud ignorantes antea ipsos in Galliam confluxisse non nisi ut eidem suo Principi quamvis heterodoxo adhaererent, et sub ejus alis demum in Iberniam remigrarent. Hispani quoque antea in Ibernos, quod a se in Galliam magnis numeris descivissent, exacerbati, tunc eorum in Angliae Regem obsequio laetati sunt, compertum habentes eorum antea ex Hispania et Belgio in Franciam transitiones eo spectasse, ut ubique suum Regem, etiam nudum et exulem, sequerentur, et sub ejus vexillis militarent, quo demum ea via Ecclesiae Ibernicae, patriae, et patriotis in arctissimo positis commodarent.

(**159**) Specialem autem merentur hic mentionem duae legiones Ibernicae, et modus quo ex Francia ad Anglum in Belgium transierunt. Una fuit magnam partem ex O Ferallis atque

eorum clientibus et sectatoribus compacta, quam ante aliquot annos ex Hispania in Aquitaniam transmissam fuisse, ibique ad Gallum defecisse diximus. Legionis hujus in quodam oppido juxta Flandriam sito sub Gallo praesidiariae primos duces, O Ferallos, Rex Angliae, tunc in Flandria se tenens, per submissos nuncios (sicut mihi traditum est) jussit, ut ad se cum legione in Belgium | transirent et Hispano oppidum dederent. Nec secus 2546
ac jusserat illi pro viribus praestiterunt, licet sint qui credant v
ipsos ad oppidi deditionem parum contulisse, cum id aliunde ab Hispani viribus adeo premeretur, ut vix esset resistendo. Ex his ducibus Ibernis Anglus Conaldum O Ferallum, Richardi O Feralli, qui in nupero bello Ibernico nunc copiarum Ultoniensium Legatus Generalis, nunc virium Conaciensium Imperator fuerat, ex fratre natu majore nepotem, in ordinis Equestris album retulit, ejusdemque Conaldi patruum alterum, Lisachum O Ferallum, illi legioni etiam in Belgio auctae Tribunum et Conaldum in Tribuni legatum praefecit.

(**160**) Alter casus huic ex diametro oppositus Cormaco MacCartio, Muscriae Vicecomitis filio primogenito, contigit. Is enim in oppido Condeano ad Franciae et Belgii confinia sito sub Gallo cum sua legione Ibernica praesidiarius, oppidum aliquandiu in Hispani vires obsidione cingentes strenue defensavit, nec sua in Angliae Regem, aut suum avunculum, Ormonium, Regis sempter Achatem, vel patrem Muscriae Vicecomitem cum Rege exulem, animi propensione, nec proprio | emolumento 2547
adduci potuit ut fidei in se a Gallo positae non responderet. Oppido quoque demum per vim expugnato, cum ipsi integrum esset ut cum sua legione non in Franciam rediret, sed ad Angliae Regem in Belgium descenderet, cumque Rex per internuntium jussisset, ut ad suas partes in Belgium transiret, respondit se quidem semper fuisse et fore Regi Angliae fidelissimum, sed obsequium et exigendum et exhibendum modo, qui cum suo et Nationis Ibernicae apud exteros honore congrueret. Se, si tunc, Gallo inconsulto atque invito, in Belgium cum sua legione transmigraret, nunquam Regi Christianissimo purgandum de proditi oppidi, nedum legionis venundatae, suspicione. Itaque primo omnium cum legione in Galliam recessurum, deindeque cum Galli venia citra legionem, quam a Rege Christianissimo dimittendam non sperabat, in Flandriam ita profecturum ut se a militibus viritim sequendum non dubitaret. Hac responsione (ut mihi traditum est) nec Angliae Rex, nec Ormonius, nec ipsius Cormaci pater, Muscriae Vice-

comes, contentus fuit. Virium etiam Hispanicarum Imperatores eas inter pangendum de oppido dedendo concesserunt con-
2547 ditiones, quibus Cormaco ad | castra Francica non recta sed
▼ per longum circuitum partim in ipso Belgio, partim in Francia obeundum redire liceret, quo illa legio interea viribus Gallicanis deesset, et Cormaci in agro Belgio sollicitandi, militumque seducendorum occasio melior et diuturnior nasceretur. Verum his omnibus incitamentis superatis, ille longum illum itineris fluxum emensus cum sua legione in Franciam recessit; ubi Regem Christianissimum, Ludovicum 14^m, rogavit ut sibi Regem Angliae sequi permitteret, quam potestatem etiam citra legionem vix assecutus est. Gallus enim et Aula Gallicana, viriumque Gallicarum Imperatores eum tanti fecerunt, ut ejus discessum aegerrime tulerint. Cormacus autem in Belgium profectus, tantum abest ut ob praefatum ejus in Galliam regressum parvi habitus sit, ut etiam propterea ipsi Hispani eum pluris fecerint velut talem, qui nihil antiquius haberet quam ut fidem non falleret. Porro eum ex Francia in Belgium sua legio sparsim secuta est, aliique longe plures, praesertim ex suae Momoniae nobilitate, tanto ad eum numero confluxerunt.
2548 Quibus id egit ut Dux Eboracensis, | Regis Angliae germanus frater in Chiliarchum praefectus sit, ipseque Ducis subchiliarchus nominari maluit, licet re ipsa genuinus illius legionis Tribunus fuerit.

(**161**) Duce Eboracensi ex Francia (sicut dixi) in Belgium profecto, Jacobus Darcius, Census Equestris, legioni Ibernicae, cujus ante Eboracensis in Francia Chiliarchum gesserat, et quae a Jacobo velut Eboracensis legato ibidem anterius ducebatur, in castris Gallicanis praefectus est. Praeter quem, Rege Angliae in Belgium profecto, duo etiam alii Chiliarchi Iberni, nempe Insequinnius et Jacobus Prestonus, cum suis legionibus Ibernicis castra Gallicana secuti sunt. Verum milites et inferiores duces suo Principi, quamlibet heterodoxo, adhaesuri in Belgium dilabebantur. Cui malo ut Gallus obviaret has tres legiones ad bellum, quod in Italia adversus Hispanum gerebat, destinavit, quo a Belgii confinio remotiores difficiliori negotio ad Anglum in Flandriam transire valerent. Verum hac industria non obstante, haud pauci etiam horum in Belgium defluxerunt.
2548 (**162**) Nec hic silentio praetereundum est legionum | Iberni-
v carum, quae sub Gallo in Italia inter hoc bellum meruerunt, non nullis aliquam inter movendum vel hybernandum cum Calvinistis Sabaudo subjectis et in pestilentissimae Genevae vicinia

sitis rixam intercessisse. Qua factum ut Iberni in illos haereticorum pessimos irruerint, eorumque tractum late populati, ipsos magna occidione afflixerint, ulciscentes nequitiam, qua illi Calvinistae multa in vicinitatis Catholicos ac praesertim in Clerum mala perpetraverant. Hac Calvinistarum strage ibi edita, et eorum agris populatis, aedibusque igni consumptis, haeretici nedum Genevenses, sed etiam eorum fratres heterodoxi per Helvetiam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hollandiam, atque alias Europae regiones ea animarum lue infectas dispersi, tanto falsae religionis zelo ipsorum miserti sunt, ut suo interventu eorum reliquias postliminio restituendas curarint et collectas fecerint iisdem suppeditandas tanta profusione ut Principibus et Potentatibus Catholicis eodem tempore ter pudendum esset, quod Catholicissimae Iberniae Clero populoque nec pro fide | adversus haereticos antea bellanti, nec in religionis Catholicae 2549
odium tunc extirpato sic opem tulerint, imo permiserint ut non solum in Ibernia inimicis crucis Christi succubuerint sed etiam eorum reliquiae exules magnam partem fame, nuditate, et inopia in Catholicarum Nationum medio contabuerint, perierintque, licet fatendum sit eorum multis Galliam, Hispaniam, aliasque regiones Catholicas magna charitate, dum exularent, subvenisse.

(**163**) Ad Anglum in Belgium redeamus. Ad quem eo Iberni tanto numero undique se receperunt, ut plures eorum legiones Hispani impensis conscripserit, Rege Catholico eum ibi honorifice tractante, ut nedum Ibernicis hisce legionibus, ejus interventu, Gallum frustraret, sed etiam ipsis in Gallum et Cromuellum faedere bellico conjunctos uteretur. Qua occasione Anglus didicit Ibernorum prae Anglis et Scotis fidelitatem, cum vicies plures Iberni quam Angli et Scoti ei inter illas exilii angustias adhaeserint, ipsique et ejus fratribus panem quotidianum proprio cruore compararint, dum Cromuellistae Anglicani in Anglia, Scotia, atque Ibernia | ejus sanguinem sitirent et necem 2549
anhelarent. V

(**164**) Per quatuor aut quinque circiter annos, quibus Rex in Belgio commoratus est, subinde expectabat occasionem congruam, qua cum sua phalange Ibernica in Angliam trajiceret et bellum in rebelles innovaret. Reque ipsa in Anglia ob inauditam nefarii Cromuelli tyrannidem crebrae insurrectiones pullulabant, sed quibus antequam maturescerent, tyrannus obviabat et ita nobilitate Anglicana carceres replebat ut tamen tot sectarum haereticarum conjurationes identidem renas-

cerentur, in quibus praefocandis ille hydram secabat. Qui jam sua fraude et violentia in Angliae Regem, sed incassum, a suis electus, et iterum eligendus, vitam omnibus infamiae maculis contaminatissimam morte magis infami, quia haeretica atque impaenitente plus conspurcavit. Ei nescio quis hoc epitaphium cecinit :

" *Oliveri Cromuelli Britanniae Protectoris,*
Tyranni novissime fato perempti
Elegiacum Epitaphium.

(**165**) " Quorsum praeceps, viator, novo hoc declinas a tumulo ?
Num forte inclusos exhorres cineres ? |
Et quem vivum Tyrannum nosti, vel extinctum formidas ?
Ne dubita.
Mortis compedibus vincta larva Britannica
Nulli amplius, sibi soli terribilis spirat.
Quique vinculis tot dedit cives,
Carcerem sibi adinvenit, vi, dolove non reserandum.
Moras ergo parumper sustine,
Ut nigro inscriptos lapillo hos lustres characteres.
Lege.
Claudit fatalis haec urna
Trium Regnorum Angliae, Scotiae, Iberniae,
Tyrannumne dixerim an Tricerberum ?
Utrumque Tricerberum Tyrannum, Cromuellum
Suo satis nomine clarum et obscurum.
Hunc natura parvum genuit, magnum fortuna regeneravit.
Ut obstuperet Anglia natam sibi extemplo chimaeram
Regio sanguine conceptam non semine.
Sui tamen illam erroris paenituit.
Dum repente quem extulit ex improviso dejecit
E solio ad solum
Triplici pro Regno tres illi terrae palmos indulgens.
Quam certum violenti nihil durabile ?
Obiit aetate sexagenarius circiter, malitia millenarius.
Ultimo, quo vixit, decennio Princeps non Princeps,
Homo Bellua Tyrannum egit et monstrum. |

Britannicum Diadema humi dejectum pavit assumere 2550 v
Ne securim, quae Regium Caroli cruorem gustarat,
Suum alliceret in caput.
Sceptrum nihilominus strinxit: ut regeret an verberaret?
Calvini propugnator, Calvino compar,
Christum Britannia novo edicto exulem fecit
Et Anglos, quondam Angelos, ex toto deformavit in Daemones.
Ipso scelestiori velut Lucifero, suadente non modo sed et impellente.
Calidus genio, callidus ingenio,
Seditionem fovit; Religionem confodit.
Ausus plura, adeptus plurima.
Omnia dum ambit, omnia deperdit.
Faedus Coluber cum Gallo faederatus, Aquilam lacessivit in praelium
Pro qua dimicans Libitina, brevi faedus vertit in funus.
Quaeris quam vixerit vitam? Ventosam, ambitione scilicet faetam.
Scire cupis qua morte decesserit? Crepuit medius.
Emeritus utris inflati exitus;
Ni potius Judae aemulum velis asserere
Et proditione et supplicio
Filia paucos ante dies fato absumptu viam | Patefecit ad inferos. 2551
Lusit cum eo fortuna, dum vixit
Cum mortuo nunc ludit Pluto
Cui aeternum mancipatus
Indignae Tyrannidis dignas exolvit paenas
Funestum cinerem execrare viator ac perge."

(**166**) Cromuello mortuo, ejus filius primogenitus, Richardus Cromuellus, tumultuaria suorum nebulonum electione in trium Regnorum Protectorem, proindeque in patris locum suffectus, verum paulo post ab ipsis suis praedonibus principatum affectantibus in ordinem redactus est, ejus fratre, Henrico Cromuello, quem amborum pater Iberniae velut Proregem praefecerat, ea provincia, quam per aliquot annos tyrannice obierat, abdicato, atque in Angliam accito et toto Regimine a Lamberto, Fleet-

woodo, defuncti Cromuelli genero, aliisque paucis ducibus militaribus eorum nutum sequentibus per vim usurpato. Inter quos avaritiae atque indomitae ambitionis aestus plurima successerunt, quae in perpetuam illorum rebellium atque haereticorum infamiam notatu quidem dignissima sunt, sed ad Angliae
2551 historiam pertinentia, quam ego, nisi perfunctorie et quatenus
v ad Iberniam spectat, non tango.

(**167**) Tragaediae autem exitus est Munkum, qui oppidi Dundalkensis in Ibernia sub Parlamentariis Gubernator eo loco ab Insequinnio et Catholicis anno 1649 excussus, deindeque a Cromuello in totius Scotiae subactae Gubernarcham cooptatus fuerat, conscriptis in Scotia viribus in novos illos Regiminis usurpatores movisse, ac in veteris Parlamenti ad annos superiores exauthorati favorem edictum promulgasse. Quo factum ut viribus praesertim Praesbyterianis ab illa Independentium secta ante depressis et nunc dominatum affectantibus in Anglia auctus, post infinitas tricas, rerum potitus sit et Parlamentum cum aliquot limitationibus liberum convocarit.

(**168**) Interea contractis inter Gallum et Hispanum induciis, decretum ab ambobus Principibus et in Galliae Aquitanicae et Hispaniae confinio ad Baionam de nuptiis inter Ludovicum 14 et Mariam Teresiam Austriacam, Philippi 4 Regis Catholici primogenitam, celebrandis, nec non de pace inter duos Reges concludenda ageretur. Ad quae tanti momenti negotia ex-
2552 pedienda duo | Reges jam dicti ad praefata confinia accesserunt, ac demum pace et nuptiis conclusis recesserunt.

(**169**) Dum hi tractatus ad Baionam in duorum Regnorum confinio expedirentur, Rex Angliae, Ormonio et aliis paucis comitantibus, ex Belgio per Franciam illo perrexit, ut, Gallo et Hispano inter se pacatis, suppetias et vires obtineret, quibus sua Regna recuperaret. Cujus spei plenissimus per Franciam iterum in Belgium remeavit.

(**170**) Tota tunc Europa parum dubitabat quin Anglus ab haereticis subditis derelictus et a Principibus Catholicis plena parte fruentibus postliminio restituendus fidem Catholicam professurus esset, viribus Catholicis sua Regna recuperaturus et haeresim Britannicam extirpaturus, ut religionem orthodoxam in throno collocaret. Nec deerant qui eum jam haeresim clam abjurasse affirmabant. Verum ejus subditi rebelles huic ruinae et paenae justissimae ipsorum capitibus imminenti cautius obviaturi, Munko totam machinam movente, ac in praefatis

Angliae Comitiis liberis ad mensem Aprilim 1660 coactis exindeque continuatis dirigente, statuerunt ut Rex modo incruento in Angliam | advocaretur certis conditionibus, de quibus cum 2552
ipso per legatos in Continentem missos egerunt clandestinis v
conventionibus Catholicos, praesertim nostrates, latentibus, ne illis, quod in ipsorum ruinam tendebant, male contenti Regem se ipsos deserentem desererent in maximum rei regiae discrimen, cum ex ipsis haereticis plurimi non nisi inviti Regem admiserint, pro certo habentes se, si repugnárent, a parte haeretica Regi favente et a Catholicis partes Regias semper secutis opprimendos. Infinitis ergo difficultatibus utrinque extricatis, demum Rex obtenta securitate ex Hollandia in Angliam trajecit, ubi a Monko et frequentissima procerum ac nobilitatis Anglicanae celebritate ad littus maximo applausu exceptus, inter laetissimas Angliae, antea sub Cromuello ad immanem servitutem redactae et nunc ad libertatem assurgentis acclamationes mense Junio anno 1660 Londinum processit.

(**171**) Munkum ab appulsu Albemarliae Ducem creavit, aliisque magnis sed inferioribus dignitatibus exornavit et maximas ipsi provincias domi militiaeque obeundas decrevit. Omnibus rebellionum et delictorum praeteritorum veniam fecit, exceptis iis quos velut Caroli primi necis reos ipsa Regni Comitia amnestia excludendos | decernerent. Quorum non pauci tunc 2553
deindeque ultimo supplicio affecti fuere, et aliis fuga in exteras Regiones dilapsis, ipse Cromuellus, etiam mortuus, sententia judiciaria damnatus paenas putrido cadaveri defosso in aliorum terrorem ac suorum infamiam inflictas dedit, genuinus Antichristus barbarie, avaritia, ambitione, saevitia, fidei privatae et publicae violatione, et infinitis aliis turpissimis maculis adeo notatus ut vix anteriora saecula usquam gentium tam horrendum monstrum viderint. Denique haec Angliae Comitia suam Caroli Primi necis et totius tyrannidis a Cromuello et Cromuellistis introductae detestationem et de Caroli Secundi reditu congratulationem iis verbis, actis et actionibus, quas nemo non conjectet, demonstrarunt, quod Rege tanquam unico recuperandae libertatis instrumento uterentur. Porro Rex Comitiis illis Anglicanis suggerentibus decrevit, quae Catholicorum Iberniae non animos erigere sed ruinam augere ac confirmare videbantur. Quibus in Gallia auditis Rex Christianissimus, Ludovicus 14, cujus interventu Iberniae Catholici cum Ormoniae Marchione pacem ad annos superiores celebraverant,

2553 Regi Magnae Britanniae sequentem epistolam | tunc Lutetiae
v Parisiorum typis mandatam Gallice scripsit :

" Celsissime, Serenissime, et potentissime Princeps, chare et perdilecte frater et cognate noster.

(**172**) " Ubi intelleximus de magna bonitate, quam in tuos subditos demonstras et de clementiae plane extraordinariae exemplo, quod das per amnestiam a te ipsis concessam, exceptis solum paucis, in quos vox sanguinis Regis ipsorum et vox populi ejus vindictam a caelo postulat ; haud potuimus nos cohibere, quin tibi significaremus, molestissime nos tulisse, quod audivimus, nempe Iberniae Catholicos hoc veniae placito excludi et hac ratione ascriptos esse eorum albo, qui omnium maxime deliquerint. Hoc nuncium eo magis nostram in ipsos commiserationem excitat quod hactenus didicimus non fuisse qui inter superiores Regnorum tuorum motus et mutationes, nec non in generali prope tuorum subditorum defectione sui Principis legitimi partibus constantius adhaeserint, quam Catholici, etiam inter maximas rerum angustias. Quare si modo sola eorum religio ipsis objicitur, in eorum gloriam affirmari
2554 potest, non fuisse antehac alios | ipsis ad inserviendum et opem ferendam suo Principi propensiores et promptiores, tantoque eos animi ardore id studuisse ut eorum in domum regiam zelus tunc habitus fuerit certum suae religionis argumentum. Quibus nixi fundamentis, eorum apud te intercessores agimus. Nam caeteroqui, si obsequio, quod tibi debent, defuissent, tantum abest ut pro ipsis intercederemus, ut etiam te ad eos omni cum severitate multandos secundaremus et nostram pro Iberniae Catholicis authoritatem interponendi (sicut interponimus) ne cogitationi quidem locum daremus, licet ad id teneamur ex nupero tractatu pacis cum Ormoniae Marchione celebratae, quae ipsis interventu nostro concessa fuit.

(**173**) " Nobis relatum est eos post contractam hanc pacem nihil patrasse, quod ipsis suae in te fidelitatis transgressioni verti debeat, proindeque cum tractatum illum religiose observaverint, eo magis nos teneri duximus ad te rogandum ut illum ipsis praestes, et ad te obsecrandum quatenus non committas ut aversio immoderato zelo quorundam haereticorum animis instillata aut ominosis illius afflicti populi exuviis inhiandi
2554 cupido | reos peragat aut miserabiles reddat tuorum sub-
v ditorum fidelissimos, qui legitimos suos Principes, qualis tu es, eo nec minus diligunt nec remissius observant, quod eorum religionem non profitentur. Nihil in hoc imitandum proponimus,

nihilque postulamus, nisi quod a nobis erga nostros *praetensae religionis reformatae* subditos quotidie executioni mandari scias. Porro sicut Marchioni Ruvigniae injunximus ut nostra tibi circa rem hanc sensa fusius exponeret, tibi placebit ipsum favorabiliter audire et ante omnia persuasum habere, nos in hac occasione haud minus ejus, quod tua ipsius interest, quam aequitatis rationem ducere, et sinceram amicitiam, qua te prosequimur, hujus intercessionis causam esse principalem. De reliquo Deum rogamus ut te, Celsissime, etc., sua sancta et digna tutela conservet. Datum Parisiis 7° Septembris anno 1660."

(**174**) Quid Anglus ad hanc Galli epistolam et legationem responderit, me latet? Eventus | autem probat nec eum 2555
pacem illam, quam Gallus suo interventu contractam fuisse fatetur, Iberniae Catholicis praestitisse, nec Gallum effecisse ut eam praestaret, licet ex iis, quae ad annum 1644, 1645, 1646, 1647, 1648, et 1649 retulimus, liqueat quantopere vanissima illius pacis a Galliarum Regina Regente et filio, Ludovico Decimo quarto, velut fidejussore ex Angli parte oblato praestandae spes ad eandem accelerandam in primam machinam adhibita fuerit, quae demum apparuit qualis re ipsa ab initio fuerat, tela aranearum, tametsi Galli in Ibernia Oratores, ipsique Ormonistae alios ad eam pacem iniquis conditionibus contrahendam adducturi non leves Galli quoque comminationes addiderint.

(**175**) Sed funestam hanc Ibernorum tragaediam post Anglum anno 1660 postliminio restitutum usquequaque absolutam exactius delineamus. Itaque Anglo ex Hispaniae et Galliae confinio, in quo Hispanus et Gallus de pace inter se contrahenda agebant, per Galliam in Flandriam reverso, Angliae rebelles, sibi justissima tot flagitiorum supplicia, adeoque plenam ruinam ab eodem Rege per Catholicorum vires domesticas et exteras in integrum restituendo metuentes allegarunt ad eum Commissarios cum ipso clanculum acturos de certis conditionibus in Catholicorum, praesertim Ibernorum ruinam tendentibus, quibus citra exteram invasionem admitteretur.

(**176**) Inter eos autem qui ad Regem allegati fuere, praeter alios fuisse | reperio duos, qui modo occultissimo in Flandriam 2555
transvecti Bruxellis recta ad Capucinorum Conventum per- v
rexerunt, ibique illorum Patrum probitate atque animi candore freti, rogarunt ut sibi per aliquot dies in Conventu secretissime de t scere liceret. Quo mox concesso et hospitum diversorio

ibi pro paupertate Franciscana satis splendido (Conventum enim, Reverendo admodum P. Carolo d' Aremberg, Capucino longe dignissimo, procurante, Dux et Princeps ejus frater, aliique Principes et proceres necessitudine ipsi conjuncti, et benefactores eximia liberalitate construendum curarunt) ipsis in cubiculum assignato, postularunt ut aliquis Capucinus ad Regem Angliae tunc Bruxellis se tenentem eorum nomine se conferret, ut ipse potius ad Conventum venire dignaretur, quam illi eum convenirent, ne ab Anglis ei magno numero assistentibus dignoscerentur, proindeque eos ad eum allegatos fuisse palam fieret in transactionum utrinque exequendarum obicem. Missus ergo ad Regem P. Didacus Brugensis Capucinus, audientiam petiit, et Rex pera propria clavem extraxit, et secretius conclave aperuit, in quod ille introductus, solus soli legationem ipsi
2556 a praefatis duobus creditam | exposuit. Qua audita mox Rex ad Capucinorum Conventum paucissimis comitantibus se contulit, et (ut breviter dicam) per plures deinde dies eum in modum cum praefatis duobus in Capucinorum Conventu secretissime tractans ibat redibatque. Quibus transactionum fundamentis clanculum jactis, Rex in Hollandiam profectus est, cum legatis deinde destinandis circa ulteriores transactiones aliquanto liberius acturus. Quo recens in Hollandiam profecto, ipse Bruxellas me contuli, et ex proprio R. admodum P. Caroli d' Aremberg, Bruxellensis, nec non P. Didaci Brugensis, praefatorum Capucinorum, ore rescivi, quae superius scripsi. Cumque omnes expectarent ut Rex propediem ex Hollandia Bruxellas rediret, institi apud Rev. admodum P. Carolum ut P. Felix Midiensis, Capucinus Ibernus, tunc ex Conventu Carolopolitano Bruxellas recens digressus, linguae Latinae, Ibernicae, Anglicae, et Gallicae egregie callens, scientia et virtute praecellens, et eximius verbi divini praeco, Bruxellis concionaretur, Regem forsan et ejus aulicos ad fidem conversurus. Sed mihi P. Carolus : " Id (inquit) plus mali quam boni pareret. Nam Rex est jam aeque ad fidem conversus ac ego.
2556 Verum | suam conversionem haud palam faciendam ducit,
v nisi suo loco et tempore, ut suis et Ecclesiae Britannicae postliminio restituendae rebus prudentius consulat. Quae ejus mens et conversio per ejusmodi conciones publicas apud trium ejus Regnorum haereticos in suspicionem veniret intempestivam et causae Catholicae exitialem." Haec P. Carolus : quam Regis mentem fuisse exequendam non dubitemus, nisi Angliae rebelles ab ipso et extera Catholicorum ei subven-

turorum invasione caventes illum suapte sponte domum revocassent. Inter quam eorum conspirationem Catholicis funestam, Brohillus, haereticorum qui in Momoniae praesidiis anno 1649 ad Cromuellum turpissime defecerant, coryphaeus, hactenus ejusdem Cromuelli et Cromuellistarum partes secutus, et Carolus Cootus, quem ante et post Cromuellum in Iberniam illo anno 1649 transvectum hactenus in Regem perniciosissime rebellasse vidimus, nationis Anglicanae pulsum palpantes et Regem vel se invitis domum invitandum praesentientes, Dubliniam convocarunt praecipuos colluvionis Anglicanae sicarios per Iberniam dispersos, in quos tanquam de se optime meritos Cromuellus Catholicorum patrimonia magna ex parte distribuerat. Conveniendi | autem scopus erat ut quid agendum 2557
esset, deliberarent. Cumque efficere non possent, ne Rex postliminio restitueretur, in eam ab illo conventiculo itum est sententiam, ut ad Regem in continentem allegarentur, qui ipsorum nomine omnem ei offerrent submissionem, ea inter alias conditiones lege, ut Catholicorum patrimonia, quae possidebant, ipsis atque haeredibus aeternum confirmaret. Statuerunt deinde omnes Iberniae Catholicos in Patria Insula residuos, praesertim primores et nobiles carceribus mancipandos, nequid Regis in throno collocandi causa molirentur, eaque ratione ejus favorem sibi ipsis praeriperent. Denique decreverunt ut aliquis luculentae inter Praesbyterianos, quorum factio tunc sub Munko in depressos Independentes dominabatur, authoritatis destinaretur in Angliam ad ipsorum causam agendam apud Munkum et Parlamentum.

(**177**) His ita decretis, Arturus Forbesius, Eques auratus, et D. Foschius, Armiger ad Regem, in Angliam Joannes Clotworthius, pariter Eques Puritanicus, Catholico nomini infensissimus, a quo inter innumeras alias ejus in Deum et Regem rebelliones, Reginae Capellam Londini anno 1643 nefarie direptam et prophanatam fuisse vidimus, destinatur. Catholicorum | Iberniae queribundorum Apologia 22 Febr. anno 2557
1661 Londini data, ex qua haec magna ex parte transcribo, v
habet Forbesium et Foschium ad Regem in Flandriam fuisse destinatos. Quare forsan a vero non aberrat, eos fuisse duos illos, quos cum Rege apud Capucinos in Conventu Bruxellensi egisse diximus. Utut fuerit, Rex de suis plurimum, sed de Catholicorum Iberniae rebus parum sollicitus, et valde metuens ne illa haereticorum Anglicorum factio, quae secum de reditu tractabat, Independentibus et aliis sectariis ab ejus regressu

abhorrentibus succumberet, Forbesio et Foschio pollicitus est se eorum votis subscripturum ea lege ut illi haeretici a quibus missi erant, a rebellione resipiscerent, et in se contra alios rebelles adjuvando strenui forent. Quam etiam pollicitationem litteris ad Munkum in Angliam Breda, Hollandiae oppido, 4° Aprilis 1660 datis sed Catholicos latentibus clanculum roboravit. Interim universi per Iberniam carceres repleti fuere Catholicis, nec eos ulla aetatis imbecillitas, nulla corporis indispositio excusare, nullaque restipulata securitas redimere poterat. In quorum perniciem Rex, Munkus, et illa apud Iberniam propagata haereticorum faex modo clancularío jam
2558 dicto conspirarunt, per mutuam | operam studentes rem, quisque suam.

(178) Rege ergo deinde post unum vel alterum mensem in Angliam (sicut dixi) regresso, inferior Parlamenti Anglicani Domus edictum ei praesentavit signandum contra Iberniae Catholicos tanquam sanguinarios homicidas, et violentos possessionum non suarum invasores, cum multis aliis id genus infamiae characteribus reddentibus eos omni nationi, nedum Anglicanae, odiosos. Cui Rex dogmatibus politicis inductus manum apposuit.

(179) Clotworthius, quem a Cromuellistis ex Ibernia ad Parlamentum Anglicanum missum fuisse diximus, faelici hoc primi sui conatus successu elatus, et aliorum oratorum ab eadem colluvie haeretica ex Ibernia missorum appulsu atque ope animatus, ubi generale amnestiae Actum pro universis Regis subditis ferendum animadvertisset, veritus ne Iberniae Catholici eo comprehenderentur, et continuo sua patrimonia recuperare possent, exhibuit in ipsos clausulam illi Acto inserendam, quae nemine contradicente a Communium Domo approbata est et quamvis in superiori Parlamenti Anglicani Domo a Procerum non nullis impugnata fuerit, tamen et ibi
2558 rata fixaque fuit in magnam omnium, quibus honor | et con-
v scientia cordi esset, admirationem. Sed antequam ulterius progrediamur, hic habe litteras a quodam Iberno tunc Londini se tenente ad amicum circa has tragaediae partes in continentem Anglice exaratas :

" Domine.

(180) " Ad satisfaciendum tuae seriae postulationi, accipe brevem hanc sed exactissimam relationem modi, quo hic proceditur circa ea, quae Iberniam nostram spectant. Haud ignores generali Parlamenti Acto de retro spoliatis in integrum

restituendis lato insertam fuisse clausulam, ne scilicet nostrates, qui nupero bello se immiscuerant, illius sanctionis beneficium participarent, exceptis iis, qui in altero statuto deinde condendo et hactenus dilato nominarentur. Haereticorum autem Anglicorum, quibus Cromuellus Catholicorum Iberniae patrimonia concesserat, quosque in eo Regno stabiliverat, Commissarii ab ejusdem factionis conventiculo Dubliniae celebrato in Angliam destinati, adversus praefatum statutum hactenus dilatum, ne aliquot Catholicis faveret, praepararunt libellum supplicem haud minus injustitia et malitia plenum, quam si ipso diabolo authore fuisset consarcinatus. | Qui in eum collimat scopum, ut 2559
dictae Catholicorum possessiones usurpatoribus haereticis *per litteras patentes* denuo confirmentur, et nullus Catholicus Ibernus regio dono suum patrimonium recuperet, donec usurpatori jam possidenti alibi et aliunde tantundem providerit ante diem 21 Septembris anni 1661, sub paena cadendi omni suo titulo et jure in perpetuum.

(**181**) " Haec est summa illius diabolici libelli supplicis, qui senas papyri schedas continet, heri Parlamento porrectus, sed nondum examinatus. Quotquot ex natione Ibernica ex diversis mundi plagis huc favoris spe recens accesserunt, in miserrima sunt conditione, quod ante inter exteras nationes Catholicas, dum exularent, parum misericorditer habiti, nunc hic summa rerum penuria tabescant, adeo ut ne nudam quidem obtinere valeant facultatem redeundi in Iberniam, ipso etiam Rege (ut Munkus, jam Prorex, respondet) prohibente. Quinetiam illi Catholici nostrates, quibus omni possessione spoliatis facta est ab ipsis adversariis hactenus in Ibernia permanendi et huc modo trajiciendi potestas, haud ad uxores et liberos audent regredi, ne carceribus mancipentur. Illi etiam, qui in Ibernia pedem | figunt, durius tractantur. Neque enim ex una in 2559
alteram Provinciam transire permittuntur ad sua negotia v
peragenda, compluresque in vincula et carceres in dies conjiciuntur, haud scientes in quod vel quale vocentur crimen sine crimine. Saeva Cromuelli lata in Catholicos edicta majori quam hactenus crudelitate executioni mandantur. Nobilitati quoque severe interdicitur, ne in unum conveniant, adeoque ne sua gravamina communi omnium nomine Regi exponere valeant, contra ac pessimis quibusque retro temporibus factum vidimus. Epistolae omnes, quas Catholici inter se huc ex Ibernia vel hinc illo transmittunt, Dubliniae ab adversariis reserantur. Ipsissimi Judices a Cromuello in Ibernia stabiliti, renovato per

Regem mandato in officio persistunt. Carolus Cootus, Brohillus, Richardus Cootus, Oliverus San Jonius, Kingus, aliique ejusdem fermenti, olim non Catholicorum modo Iberniae, sed etiam Regis hostes longe infensissimi pinguiorem jam quam sub ipso Cromuello conditionem sortiti ad praeclarissimos honores et onera publica ibidem a sua Majestate provecti fuere. Juramen-
2560 tum *Suprematus*, quo Regem esse Supremum | Ecclesiae Caput asseveratur, ab omnibus exercitus ducibus et militibus exigitur ex industria ut solis Catholicis militia interdicatur.

(**182**) " Denique Catholicorum Iberniae status nunc sub Rege in integrum restituto deplorabilior est, quam ante fuerat sub usurpatoribus et regicidis. Nec propterea de Regis in nos benevolentia dubitamus, sed adeo manus habet ligatas ut actum sit de nobis nisi Summus Pontifex, aliique Suae Sanctitatis interventu Principes Christiani suam apud Regem nostri gratia interponant authoritatem. Nec ambigendum, quin ipse Rex summopere desideraret hunc in modum impelli ut meliori in Parlamentum, aliosque haereticos niteretur praetextu boni publici ad nobis favendum." Sic ille, Londino 7° Septemb. 1660.

(**183**) Nec silentio praetereundum est quod hic verbis generalibus tangitur, nempe Brohillum Comitis Oreriensis, et Carolum Cootum Comitis Monratensis honore a Rege fuisse exornatum, illo in Momoniae, et hoc in Conaciae Praesidem cooptato ; Clotworthium quoque Vicecomitis Massarensis titulum obtinuisse, et alios ejusdem farinae nebulones praeclaris honoribus fuisse insignitos, quibus furca et funis debebatur. Porro exclusio Catholicorum Iberniae ab illo amnestiae Acto
2560 haud satis fuit dictis | oratoribus haereticis ex Ibernia
v Londinum missis nisi eosdem Catholicos omnibus etiam aliis intercluderent viis, quibus ad quascumque alias Regis gratias et favores ullus ipsis aditus pateret. Quare cum decretum esset ut Robertsus tanquam Proregis vicarius, vel (ut loqui amant) *Deputatus*, in Iberniam destinaretur, illi dubitantes ne ejus integritas ad crudeles suas suorumque machinationes secundandas flecti non posset, ita apud Aulam Anglicanam profecerunt ut Robertsi mandatum revocatum fuerit.

(**184**) Submoto grandi hoc machinationum suarum obstaculo Oreriensis, Clotworthius, et Mervinus portentosum illum et diu expectatum cerebri sui faetum, Actum scilicet a Rege circa Iberniam edendum cuderunt tanta impudentia ut non se sed Regem ibi loquentem introduxerint, cui reipsa Rex demum ad eorum et Ormonii votum subscripsit. Ad quod melius intel-

ligendum praemoneo *periclitatores* ibi vocari illos haereticos qui Catholicorum Iberniae bellantium agros anno 1642 a Parlamento Anglicano publicae venditioni expositos magna ex parte sed pretio vilissimo mercati sunt, sperantes futurum ut Iberni in illo bello Anglis succumberent, sed de ea re non certi, proindeque *periclitatores* vocati, quod suas pecunias cum tanto | jacturae periculo anticiparint. Qua monitione praevia jam illud 2561
crudelissimum Actum a Rege signatum ex Anglico Latine verto :

> " *Gratiosa suae Majestatis declaratio ad tranquillitatem sui Regni Iberniae et ad varia Jura, quae Periclitatores, milites, aliosque suos ibi subditos spectant, diffinienda.*

(**185**) " Carolus secundus Dei gratia Angliae, Scotiae, Franciae, et Iberniae Rex, *Fidei Defensor*, etc., omnibus nostris dilectis Regni nostri Iberniae subditis cujuscumque gradus aut qualitatis salutem. Cum Deo omnipotenti ex magna sua in nos et omnes subditos nostros misericordia et clementia, placuerit nos illis et illos nobis restituere modo tam mirabili et stupendis adeo circumstantiis mutuae benevolentiae et fiduciae quae (si vel minimus nos tenet tantarum benedictionum sensus) necessario corda nobis aeternum perfundant humili et grata agnitione obligationis, qua divinae Providentiae devincimur, quod ipsemet nostri gratia id dignatus sit operari miraculum, quale nullis nostris ipsorum conatibus absolvi potuerat. Arbitramur haud absonum esse a justo sensu, quem concipimus et concipere debemus de tenera affectione | bonorum subditorum nostrorum 2561
(qui ad nos ac se ipsos hac ineffabili benedictione cumulandos v
tantopere contulerunt) ut agnoscamus bonos nostros in nostro Iberniae Regno subditos optimas sibi vendicasse partes in hac Cromuellistas in Ibernia positos intelligit.
faelicitate procuranda, et promptos se exhibuisse in suis ad nos officiosis applicationibus et pariter redeundi ad obsequium et ad obedientiam erga nos, dum in partibus transmarinis maneremus, professos fuisse propositum, quod exinde tam egregie praestiterunt, et in praxim redegerunt. Non fuit tamen nobis proclive ullam hactenus edere publicam declarationem ad illud Regnum nostrum pertinentem, providendo et acquiescendo diversis ibi juribus et titulis, quorum nostra aliquatenus interfuit in honore et justitia curam habere differentium a difficultatibus, quae nobis in hoc Regno erant extricandae.

(**186**) " Acta Parlamenti anterius lata, in *Periclitatorum* securitatem apud illud Regnum, probe novimus, et audivimus de procedendi modo circa rem illam celebrato, quo magnam illius Regni latifundiorum partem occuparint plurimi tam ex hoc quam ex illo Regno nostro belli duces, milites, aliique, quorum causam nobis fuit decretum tractare cum maxima sollicitudine.

(**187**) " In memoriam bene revocamus inducias et pacem,
2562 quam faelicis memoriae Regius pater noster inter | nuperas perturbationes cum dicti Regni nostri subditis Ibernis pacisci compulsus fuit, eaque coactus delictorum ab ipsis ante commissorum plenam illis facere veniam ad eorum resipiscentiam et pollicitationem subministrandi magna suae Majestati subsidia. Ex quo tempore plures honorabiles et praeclari viri neque in ipsum, neque in nos (quod sciamus vel audiverimus) a fide desciverunt. Oblivioni etiam non tradimus pacem, quam ipsi postea, necessitate cogente, cum iisdem subditis nostris inivimus, ea tempestate, qua illi, qui sibi in hoc Regno authoritatem scelerate arrogaverant, odiosam illam Curiam ad charum patrem nostrum vita privandum erexerunt ; et nemini mirum sit, quod tunc cupierimus, licet difficilibus conditionibus, eas obtinere a propriis subditis vires unitas, quibus, cum Dei adjutorio, infame illud et horrendum parricidium praepediri potuisset. Quare non possumus, quin nos obstrictos arbitremur ad praestandum, quicquid ex ea pace illis debemus, qui promissis nobis factis honeste et fideliter steterunt, licet ipsis et nobis illorum promissorum fructus miserabiliter exciderit per in-
partes Nuncii. faelices eorum partes, qui quas a nobis alias expectassent, gratiarum omnium mulctam stulte contraxerunt. |

2562 v (**188**) " Ultimo etiam loco recordati sumus nec valemus quin semper recordemur eximiam affectionem a magna illius Nationis parte nobis, dum in partibus ultramarinis commoraremur, demonstratam, quando omni cum alacritate atque obedientia se ad nos receperunt ; mandatis nostris morem gesserunt ; et obsequio se applicuerunt a nobis praescripto, utique tunc temporis maxime nobis idoneo et convenienti, tametsi ab ipsis exhibito cum magno satis labore et difficultate. Quae ipsorum procedendi ratio nequit, quin nostra protectione, justitia, et favore dignissima existimetur.

(**189**) " Hae tamen omnes magni momenti considerationes et obligationes videbantur totidem obices praesentis juris bonorum nostrorum subditorum in illo Regno se tenentium, qui pariter

hisce diebus plurimum a nobis meruerunt. De quorum proinde securitate et lucro juxta ac indemnitate providendi onus nobis incumbere duximus. Et sic bonum illius Regni nostri stabilimen eo nobis apparuit magis difficile, et eatenus in corde nostro haud mediocriter diminuit depressitque gaudium, quo ob magnas, quibus inter hujus Regni nostri Angliae tranquillitatem et pacem perfruimur, | benedictiones nos sensimus cumulatos. 2563

De iisdem Cromuellistis loquitur.

(**190**) " Sed animum iterum ereximus, constanter sperantes fore ut, qui tanta nobis in Anglia operatus est, Deus, dignaretur hoc opus ad eandem in Ibernia perfectionem perducere, nec committere ut boni subditi nostri in uno Regno flerent dum jubilarent in altero. Haud mediocrem etiam hausimus consolationem, ubi habita cum diversis ex bonis nostris illius Regni subditis ordine et facultate conspicuis tam viris militaribus quam *Periclitatoribus* collatione, invenimus ipsis haud defuisse idoneam ejus, quae honori et justitiae nostrae incumbit, obligationis rationem, et eos libentissime consensisse ut ambabus partibus faveremus, atque illius Regni pax ac securitas, tanquam fundamento, nostra harum obligationum solutione niteretur, et ubi inter alios, quorum aeque atque ipsorum vel pluris interesset, multum temporis insumpsissent, libere ratas habuisse eas causae decisiones, quas nos in justa omnium emolumenta rationabiliter quadrare arbitraremur. Nec dubitare possumus quin omnes, qui a nobis gratiam meruerunt, tantum abesse ut in adversam partem plus nimio declinaverimus, ut etiam ipsis providerimus aeque ac post tantas tumultuationes et confusiones | et post tam faelices nostrae restitutionis circumstantias ipsi intra rationis terminos expectaverint, confiteantur et patienter maneant ulteriora nostri in se favoris et clementiae documenta ex illius Regni pace, concordia, et stabilimento juxta ac ex sua ipsorum ad eam rem cooperatione, obtemperando cum plena submissione hisce nostris super isto negotio decisionibus inferius magis exacte expressis et declaratis. 2563 v

(**191**) " Primo itaque loco ut jus illud a *Periclitatoribus* sibi vindicatum expediamus, tametsi quae impraesentiarum possident, latifundia et possessiones, si ad strictos legum apices examinarentur, invenirentur niti titulis admodum defectivis et invalidis, quod utique nullo modo ex illis Parlamenti Actis, quae ipsi sibi in sui juris fundamentum praetendunt, sequantur, sed videantur esse quaedam structura subsequenti ipsorum assensu suffulta in media finesque longe alios collineata potius

quam dictorum Parlamenti Actorum executio. Nos tamen cum simus semper, ubi non nisi nobis praejudicium infertur, propensiores ad consulendas naturales inclinationes nostras in misericordiam intentas (gratias agimus Deo quod id dicere |
2564 valeamus) quam positivam legis rationem, hisce declaramus terras omnes, tenementa, et haereditamenta ab omnibus, vel quibusvis *periclitatoribus* 7 Maii 1659 possessa, ex *periclitationis* pacto assignata aut concessa, fore ipsis, haeredibus et assignatis confirmanda et praestanda in perpetuum cum exhibitione sive correctione admensurationis juxta tenorem et directionem diversorum Actorum Parlamenti anno 17 et 18 Caroli latorum, ad Angliae vel *Plantationis* mensuram, exceptis imposterum excipiendis, et *Periclitatoribus*, quibus sive in parte sive in toto deest, quod debetur, esse satisfaciendum ex media parte Comitatuum Limerici, Tiperariae, et Waterfordiae in Momoniae Provincia, ex Comitatu Regis, Comitatu Reginae, et Mediae Orientalis atque Occidentalis Comitatibus in Lageniae Provincia, et ex Duni, Antrimiae, atque Ardmachae in Ultoniae Provincia Comitatibus nondum in dictos *Periclitatores* distributis, sicut et ex agris in Louthiae Comitatu (excepta apud eundem Comitatum Baronia Atherdiensi) et in praefata Lageniae Provincia publicatis, modo praefati periclitatores ante proximas Kalendas Maias poscant et constare faciant, quicquid ipsis deest. Porro nisi dictae terrae ad ea, quae ipsis desunt, supplenda distribuendae sufficiant, non nulla alia congrua lati-
:564 fundia | fisco addicta adeo in eorum satisfactionem assigna-
v bimus, ut in promptu, quae ipsis desunt, supplenda sint omnia.

(**192**) " Et cum belli duces ac milites nunc in exercitu nostro apud Iberniam merentes, quique antehac in Ibernia stipendia fecerunt, agros etiam ipsis in satisfactionem reliquiarum stipendiorum ob suum in illo Regno nostro servitium, habita uniuscujusque obsequiorum ratione, concessos obtinuerint, et eosdem juxta hanc dispositionem ex anterioribus praetensis statutis et ibi praevalescentibus tunc potestatibus derivatam possideant, tametsi dictarum potestatum incompetentia juste reddere posset easdem possessiones et latifundia quaestioni obnoxia in nostrum maximum lucrum, si metiremur illud emolumentum ex desiderio potius auctitandi aerarium nostrum quam ex liberali et prolixa misericordiae et clementiae nostrae profusione. Rationem tamen habentes epistolae nostrae ad Praefectum Generalem, Munkum, anno Regni nostri 12 Bredae datae, et diversarum nostrarum declarationum ac pro-

clamationum spectantium ad exercitum et dilectos nostros in Ibernia subditos, quo juxta ac tenebantur, concurrerent pro sua virili ad nostri restitutionem ; dignamur ex speciali nostra clementia et favore declarare et hisce declaramus omnes belli duces et milites, ipsorum haeredes | et assignatos, qui dicto 2565
exercitui in Ibernia ascripti fuere et in eo nunc recensentur, quibusque agri collati sunt in stipendiorum reliquorum solutionem ob suum in illo Regno nostro obsequium militare, quique per generalem Iberniae *Conventionem* vel quidvis aliud actum publicum, juxta praefatum edictum nostrum die superioris Aprilis 4ª Bredae datum, submissionem nobis et obedientiam professi sunt, fruituros latifundiis, quemque suis, in ipsos stipendiorum reliquorum vice ob servitium in Iberniae Regno praestitum collatis, sicut eorum quisque possidebat ad dictum mensis Maii diem septimum an. 1659, in plenam praefatorum stipendiorum reliquorum solutionem, quorum loco agros (sicut praelibatum est) pro suo quisque titulo reportarunt ; idque ita ut omnes et singuli recepta semel aequali cum aliis in eodem casu constitutis proportione, sint aeternum intercludendi jure exigendi aut recipiendi ulteriorem satisfactionem ob dictum obsequium, etsi non nisi tredecim solidorum in libras singulas, vel circiter, recepissent solutionem.

(**193**) " Excipimus semper ab omnibus ejusmodi distributionibus in dictos *Periclitatores* et milites faciendis omnes et singulas possessiones, in quibus procurandis largitio, fucus, perjurium, et testium subornatio accessit vel adhibita fuit, sicut et eam cujusvis patrimonii, quod hac declaratione modo praefato restituendum pronunciavimus, falsa vel indebita admensuratione | distributam portionem, modo fraus et crimen 2565
ante diem 20ᵐ Decembris an. 1661 retegatur. Excipimus etiam v
possessiones omnium et singulorum exceptorum in quodam Acto inter hoc praesens Parlamentum apud Westmonasterium recepto, quod inscribitur *Actum liberae et generalis veniae, indemnitatis et Amnestiae.* Excipimus etiam eas omnes terras quae praedia ecclesiastica communiter vocitantur, quae Archiepiscopos, Episcopos, vel alias cujuscumque generis personas ecclesiasticas olim concernentia *Periclitatoribus*, militibus, vel aliis in sortem obvenerunt. Nec hoc placitum extendetur ad ullum ipsis impertiendum beneficium, qui quavis aperta actione per ipsos post nostri restaurationem probabiliter facta vel facienda conati sunt vel conabuntur paci publicae intercedere vel quamcumque nostrae in integrum restitutionis aut

Gubernationis aversionem manifestarint. Cum sit rationi valde consentaneum, ut qui tanta misericordia a nobis demonstrata abusi fuerint, eandem non participent. Excipimus denique omnia illa latifundia, statuta, pignorationes, sententias, locationes, terras, tenementa, et haereditates, aliosque proventus et lucra, quae subditorum nostrorum cuicumque diversae vendicationum
2566 et fisci | curiae apud Iberniam decreverint modo illa decreta non fuerint hactenus refixa, licet bona promissa adhuc possideantur et illis, qui ea decreta impetrarunt, denegentur a *periclitatoribus*, militibus et aliis, quibus eadem in partem cesserunt, et quibus nunc eodem modo, quo aliis per hanc declarationem prospicitur, est satisfaciendum.

(**194**) " Et cum agri *periclitatoribus* et militibus (sicut praelibatum est) concessi multis legalibus implicationibus obnoxii sint et onerari possint, nobis placet ulterius gratiose declarare praefatos *periclitatores* et milites tantundem recepturos ex latifundiis in Comitatu Kildariensi fisco adjudicatis (exceptis Christophori Eustacii, qui vulgo Eustacius *furiosus* appellatur, in eodem Comitatu et alibi terris ac patrimonio, quae volumus et jubemus ut ipsi et haeredibus protinus restituantur) in satisfactionem omnium statutorum, recognitionum judiciorum, hypothecarum, dotium, fundorum dotalium, locationum in vitam, vitas, vel certos annos, redituum aut aliarum id genus impeditionum ipsorum possessionibus annexarum, modo ejus-
2566 modi gravamina manifestentur ante 22^um^ | diem Octobris 1661
v coram illis, qui ad rem illam discutiendam post editam hanc declarationem omni congrua festinatione delegati fuerint.

(**195**) " Cum complures belli duces, qui nostro obsequio in Ibernia devoti, ibidem praeclare se gesserunt, multaque incommoda tolerarunt, ob potestatum tunc illic praevalentium iniquum gubernium et injustitiam nullum exinde praemium mercedemque reportasse moleste feramus ; eapropter ulterius gratiose volumus palam facere, omnes authoritate munitos belli duces, eorum haeredes vel assignatos, qui in legionibus, turmis, vel manipulis in Ibernia conscriptis, vel ex Anglia transportatis ullo tempore ante diem Junii 1649 quintam sub Regio patre nostro vel sub nobismet in bello Ibernico militaverant, quique alii sunt ab iis, qui in stipendii militaris a die Junii anni 1649 quinta ipsis debiti compensationem fundos receperunt, accepturos, quemque juxta meritum, stipendiorum reliquorum ipsis debitorum solutionem ex territoriis hic nominatim subnexis, videlicet ex agris, tenementis, et haereditamentis fisco

addictis in Wicloae, Longfordiae, Letrimiae, et Dunnangalliae Comitatibus ; ex omnibus | fundis, tenementis, et haereditamentis publicatis sed necdum distributis in Conaciae Provincia et Clarae Comitatu intra mille passus secus flumen Sinenense vel mare collocatos, quod *Lineae milliare* communiter nuncupatur. 2567 Ex omnibus domibus et tenementis in Ibernia confiscatis in variis municipiis muro cinctis et *corporatis*, ac eodem spectantibus, nec adhuc in *periclitatores* aut milites in *periclitationum* et reliquiarum satisfactionem translatis latifundiis, solutione prius facta illis Protestantibus, qui redemptionis chartis vel contractibus locatoriis confisi, aedes construxerunt vel repararunt, aut pomaria vel hortos plantarunt, exceptis domibus, tenementis, et haereditamentis in oppido Wexfordiensi jam Martino Noello et Joanni Arthero concessis et impraesentiarum per eosdem possessis, quae tam ipsis quam haeredibus et assignatis confirmabuntur. Ex beneficio resultante ex . . . . . et sententiis judiciariis, ubi latifundia nondum *periclitatoribus* aut militibus cesserunt. Exceptis semper iis locationibus, statutis, et sententiis judiciariis, quae quibusvis Ibernis, | quorum bona fisco accreverunt, in D. Jacobi, Marchionis Ormoniae, Dispensatoris familiae nostrae, vel in D. Marchionissae uxoris patrimonium competunt, aut competierunt. 2567 v Ex unius anni reditu et emolumentis agrorum concessorum belli ducibus et militibus in reliquorum stipendiorum compensationem anno 1653 et exercitui nunc ibidem extanti, sicut diversae possessiones jam dictae valebant anno 1659 ; et denique ex sesquianni reditu et proventibus solvendis (juxta reditus anno 1659 ex latifundiis receptos) ex terris collatis in stipendiorum reliquorum solutionem illis belli ducibus et militibus, quibus provisum fuit, quique dictarum reliquiarum solutionem acceperunt annis 1655, 1656, et 1657.

(**196**) "Et ulterius declaratur omnes belli duces ante annum 1649 auctoratos, quibus ab anno 1649 nullae possessiones in obsequiorum militarium mercedem transcriptae fuerint, citra moram ex tota cautione in stipendiorum reliquorum ante annum 1649 debitorum solutionem superius assignata satisfactionem accepturos juxta 12 solidos et asses senas in libram ipsis debitam, et tunc residuam totius cautionis | jam dictae partem inter omnes et singulos auctoratos belli duces jam dictos, quibus ob servitia ante annum 1649 apud Iberniam praestita stipendiorum reliquiae competunt, esse juxta justitiae distributivae regulas aequa lance dividendam. 2568 Qui praefati omnes reditus et pro-

ventus ratione et modo a nobis praescribendo numerabuntur, dictaeque domus, praedia, et tenementa via et modo a nobis assignando in praenominatos fines et usus distribuentur et transcribentur ita ut antedictus unius anni reditus infra biennii spatium paribus et aequalibus portionibus, media scilicet parte utroque anno, pendatur, et praefatus sesquianni proventus intra triennium paribus et aequalibus portionibus, media scilicet proventus annui parte in annos singulos solvatur. Ad quod obsequium militare aestimandum et ad determinandas stipendiorum reliquias praedictis belli ducibus auctoratis competentes necdum censas, idoneae a nobis personae in promptu delegabuntur.

(**197**) " Quae omnes sic diffiniendae ante diem 29 Septembris anni 1661 determinabuntur, et varia bona fisco addicta
2568 ac in praedictam officialium | militarium, qui ante annum
v 1649 meruerint, securitatem designata mox nostrae causarum fiscalium tabulis expungentur, cujus rei noster dictae curiae Baro atque alii ministri praesenti placito jubentur curam habere, eandemque rite executioni mandare, dictaeque cautiones in praefatos usus praesentium virtute eorum fidei committuntur et creduntur, quos Dux Albemarlensis, exercituum nostrorum Praefectus Generalis, et D. Marchio Ormoniae, familiae nostrae *Dispensator*, a nobis hoc placito in eum finem authoritate muniti, designarint quatenus ipsorum interventu dictae cautiones in emolumenta et fines praenominatos, quam fieri potest optime, transcribantur et stabiliantur, iidemque illis, quorum opera in hoc negotio expediendo usi fuerint, congrua et idonea assignent salaria ex praedictarum cautionum proventibus numeranda.

(**198**) " Illi etiam *Protestantes*, quorum patrimonia *periclitatoribus* vel militibus in satisfactionem cesserant, vel aliter quibusvis aliis collata fuerant, in priores mox possessiones postliminio restituantur, et, qui dictis eorum patrimoniis dimovebuntur, periclitatoribus vel militibus aliunde aequalis valoris, pretii et aestimationis compensatio assignetur. |
2569 Provisum tamen est ut nullus, nullique hujus acti beneficium
facti ex Catholicis haeretici. sibi vendicent, qui ante 15^{m} Septembris 1643 rebellionem amplexi sint et decreta procurarint, quibus sibi de agris apud Conaciae Provinciam aut Clarae Comitatum, anteriorum possessionum vice prospexerunt. *Periclitatoribus* quoque vel militibus aut aliis D. Jacobi Marchionis Ormoniae, et familiae nostrae Dispensatoris, patrimonio jam dimotis vel imposterum dimovendis tantum aestimatione et valore in compensationem apud

Caterlaghae Comitatum ascribatur, quantum ejusdem *periclitationis* vel reliquorum stipendiorum nomine occupaverant. Nemo porro hunc in modum transmovendus proventuum, dum priores agros possideret, decerptorum rationem reddet. Provisum semper est, ne hoc nostrum edictum vel ulla res aut materia in eo contenta intelligatur de ullis terris, tenementis, vel bonis haereditariis ab eodem Domino Jacobo, Marchione Ormoniae, domus nostrae Dispensatore, vel ab ullo suorum antecessorum, Baronum Archloensium, Vicecomitum Turlensium, vel Ormoniae aut Ossoriae Comitum antehac quovis tempore hypothecae suppositis, donatis, vel dimissis cuicumque personae vel personis titulo feudi, praedii clientelaris vel fundi beneficiarii in vitam | vel certos annos aut cujuscumque 2569
alterius possessionis vel boni permutatione. Nec de ullis agris, v
tenementis, aut bonis haereditariis ab eodem Domino Jacobo, Ormoniae Marchione, locationis titulo mediate vel immediate derivatis, nec de ullis ejus manneriis, proindeque publicata vel publicationi obnoxia cujuscumque personae vel personarum jura in dictas terras, tenementa, vel bona haereditaria (ut praelibatum est) nulli competant *periclitatori*, militi vel alteri cuicumque praeterquam eidem Jacobo, Marchioni Ormoniae et haeredibus.

(**199**) " Provisum etiam est ut hoc ad nullas terras, quas ullus a Jacobo, Ormoniae Marchione vel D. Marchionissa, uxore, velut eorum maneria tenuerit, extendatur, sed omnia ejusmodi latifundia ab eodem Jacobo et D. Marchionissa, amborumque haeredibus eodem tenurae modo, iisdem reditibus et obsequiis, quibus antehac, imposterum teneantur, non obstantibus quibuscumque in hac nostra declaratione contentis, quae contrarium praeseferre videantur. Et quandoquidem Insequinniae Comes ob servitium egregie praestitum et quod a nobis steterit, patrimonium recuperavit et nunc Acto Parlamenti statutum est ut in dictarum suarum terrarum possessionem iterato mittatur. | Nos gratiose volumus praesenti placito ulterius patefacere 2570
ut is juxta ac ordinatum est, suas possessiones postliminio recipiat, iique, qui exinde transmovendi sunt et justum titulum in aequalem satisfactionem sibi vendicant, aequa lance, sicut alii in simili casu constituti, solutionem adipiscantur.

(**200**) " Et cum audiamus complures proprietarios Ibernos, Papisticae religionis sectatores, nupera usurpata authoritate inter illorum temporum perturbationes haud aliam ob causam, quam quod essent Papistae, patrimoniis fuisse excussos et

decretis sibi procuratis jam in Conaciae Provincia et Clarae Comitatu agros possidere in priorum hereditatum compensationem. Quod cum ipsis consentientibus evenerit, possemus illaesa justitia ipsis hac in parte, remedium denegare. Verum adeo cupimus neminem, cui ex clementia aliis damnum non illatura subvenire valeamus, re sua destituendum, ut declaremus omnes insontes Papistas, eos utique qui suam in Regium Patrem nostrum fidem atque obsequium probaverint, seque nihil unquam nec in ipsum nec in nos a die 22 Octobris 1641 patrasse docuerint, quamvis nunc in Conaciae Provincia aut Clarae Comitatu priorum patrimoniorum vice latifundia
2570 possideant, decreta in eum finem deprecati, in | dicta tamen
v sua patrimonia ante 2m Maii 1661 restituendos, ita ut praefatae terrae in Conacia et Clarae Comitatu, quae dictis Papistis in sortem obtigerint, nobis permittantur, quo aliis vel ipsis earum proprietariis Ibernis, quatenus hoc edicto non excluduntur, satisfaciamus. Quod si praefatae terrae in Conacia et Clarae Comitatu positae, aut ulla earum pars a quocumque ejusmodi Papista suis possessionibus, quas jam recuperaturus est, exturbato fuerit venundata, is emptori, haeredibus, et assignatis receptum pretium numarium rependet, et quicumque sive solutionis sive in integrum restitutionis jure easdem terras obtinuerit, antequam in earum possessionem missus fuerit, praefatum emptorem de necessariis eorundem latifundiorum reparationibus et quibuscumque meliorationibus recompensabit. Cautum etiam est ut quicumque sive periclitator, sive miles, ulli ejusmodi Papistae locum cessurus, praesenti possessione dimovebitur, subinde in aliis agris fisco adjectis, aequalis valoris, pretii et aestimationis satisfactionem assequatur.

(**201**) " Praeterea quandoquidem Iberniae urbes et oppida *corporata* nunc Anglorum coloniis referta sunt, qui proprias facultates in meliorationes haud mediocriter impenderunt, artes quoque et opificia in illud Regnum nostrum intulerunt, et ibi
2571 stabiliti ad illius Insulae pacem et | tranquillitatem haud mediocriter conducunt, quorum Anglorum interturbatio et demigratio multis modis maximum afferret praejudicium ; propterea provisum semper est ut iis omnibus religionis Papisticae cultoribus ex quibuscumque Iberniae urbibus et oppidis *corporatis*, qui publicae securitatis ergo intra quodvis municipium suis patrimoniis detrusi fuerant, statim satisfiat ex publicatis agris, tenementis, et haereditamentis juxta sua municipia ad plenum patrimoniorum, quibus in dictis municipiis deturbati fuerant,

valorem, pretium, et aestimationem, et ut nominatim Corcagiae, Yeoghelliae, et Kinsaliae Papistici incolae habeant terras confiscatas necdum distributas in Baroniis Barrimoriae et Muskriae in Comitatu Corcagiensi secundum diversa diplomata ipsis super hac re concessa. Provisum porro est ut in casu innocentium Papistarum intra dictas diversas civitates et oppida corporata, qui modo jam dicto bonis exuti fuerant, penes suam Majestatem sit restitutionem eodem modo impertiri, quod prospectum est in casu aliorum innocentium Papistarum.

(202) " Gratiose etiam dignamur ut possessiones et domus in quamcumque personam vel personas distributae in satisfactionem cujuvis aeris crediti vel | publicorum debitorum contractorum 2571
ob annonam militarem, arma, vel apparatum bellicum ad v
sustentandas in Ibernia vires nostras ineunte rebellione suppeditatum, concedantur in solutionem eorum debitorum, quae inter eadem, diversis eorum casibus rite examinatis, dignissima existimabuntur consideratione et satisfactione, iis proportionibus quae aequitati et justitiae maxime congruere judicabuntur.

(203) " Clementer etiam volumus pronunciare terras Georgio, Albemarlae Duci, exercituum nostrorum Scotiae, Angliae, et Iberniae Praefecto Generali decretas ob stipendiorum militarium reliquias et obsequium in Ibernia praestitum, juxta ac agros stipendiorum reliquorum titulo ab ipso comparatos, quos et modo possidet, latifundia quoque transcripta in Rogerum, Oreriae Comitem, Carolum, Comitem Montrathensem, Richardum, Colloniae Baronem, Chidleium Cootum et Thomam Cootum, Armigeros, viduas et haeredes Simonis Harcourti et Guillelmi Pennii, Equitum, viduas et haeredes Georgii Cooki Chiliarchi, Theophili Jonii et Georgii Auscoughi, Equitum, et orphanos Eugenii O Conallii, ob eorum in bello Ibernico obsequium et perpessiones, sicut et in Richardum Uriallum et Thomam Crostwastum collatas possessiones centum libris annuis locandas, eaque omnia latifundia, | tenementa, et 2572
haereditamenta, quae Arthurus, Valentiae Vicecomes a quibuscumque personis eadem donationis, ordinationis, aut dispositionis a potestatibus nuper usurpatis vel ab earum ulla derivatae titulo possidentibus emerat, esse praefatis omnibus eorumque haeredibus et assignatis secure relinquenda et confirmanda. Sancimus etiam ut Legionis Instructori majori, Georgio Raudonio, possessiones ascribantur in solutionem ipsi debitarum reliquiarum et apparatuum bellicorum in Iberniae usus suppeditatorum. Provisum semper est et hoc placito nostro palam

facimus eo nos animum non intendere ut hoc nostro consulto ullius, qui hac ipsa nostra sanctione restituendus est, justus et legitimus titulus infirmetur vel evacuetur, sed siquae ex praefatis possessionibus juxta hanc declarationem primaevo proprietario relinquenda sit, tunc ejus loco assignentur alia latifundia aequalis valoris, census, et aestimationis.

(**204**) " Et sicut non possumus quin luctuosam et deplorabilem conditionem, in quam nostrum Iberniae Regnum immani insurrectione anno 1641 incepta redactum fuit et etiamnum redigitur, extrema cordis tristitia in memoriam revocemus et
2572 jam | ante oculos positam maesti intueamur, adeoque ejusdem
v in nos, in coronam et dignitatem nostram obstinatos machinatores et promotores horreamus ac detestemur, sic etiam rationibus hac nostra declaratione anterius expressis permoti denegare non possumus aequas omnes et rationi consentaneas, quae ad praesentem statum nostrum quadrent, conditiones iis ex natione Ibernica, qui non modo tempestivis documentis se criminum paenituisse demonstrarunt, sed etiam in fide erga nos praescriptaque nostra perseverarunt.

(**205**) " Et ut justitia ac misericordia nostra in componenda hac controversia se mutuo, quam possumus proxime, complectantur, et concurrant, diverso modo ii nobis considerandi sunt, quibus justus in praefatorum articulorum pacis beneficium titulus competit, et ii, qui dictae paci colla non subdiderunt vel certe post submissionem factam ab eadem desciverunt. Quae bina posteriora hominum genera illius quem secus participarent, favoris mulctam commiserunt. Duplici etiam modo de iis, qui eosdem articulos amplexi sunt, eidemque paci sine ulla postea defectione obtemperarunt, nobis est decernendum velut de iis,
2573 qui in illo nostro Regno pedem | figentes, decretis postulatis antiquorum patrimoniorum vice latifundia impetrarunt, et de iis, qui in exteras regiones transportati, per magnas difficultates coierunt, in unum confluxerunt, et sub nostro vexillo militarunt.

(**206**) " Itaque juxta haec rationum momenta aequum ducimus manifestare quod ad eos spectat qui dictos articulos amplexi eidem paci morem gesserunt et constanter adhaeserunt, domique se continentes, postulatis decretis, in Conaciae Provincia vel Clarae Comitatu agros obtinuerunt, hos scilicet
Quanta crudelitas debere stare pactis nec contra suum ipsorum actum esse sublevandos, cum in sui juris locum maluerint gaudere parte satisfactionis quam nostrum expectare reditum vel nostro se in partibus exteris submittere imperio, sicut alii praestiterunt.

Quod si horum conditio dura videatur, non possunt cum ratione sperare ut a nobis amplius sint refovendi quam nostri in Anglia et Ibernia amici expectent ut omnes quas turbulentis temporibus pro suis compositionibus solvere compulsi sunt, quasque si potuissent, non solvissent, sibi pecunias rependamus.

(**207**) " Quod siqui justum ejusdem pacis titulum sibi vendicantes, decreta de terris anteriorum haereditatum loco, in Conacia vel Clarae Comitatu | obtinendis impetrarunt, nec 2573 juxta diversa ejusmodi sua decreta terras abstulerunt, nos v ulterius declaramus, nisi ante Kalendas Novembris anni 1661 ejusmodi terris sibi decretis impertiti fuerint, subinde post dictam diem ipsis pro iisdem esse aliunde satisfaciendum.

(**208**) " Quod autem ad eos spectat, qui nobiscum perstiterunt, aut sub nostris insignibus ultra maria fideliter meruerunt, aequum judicamus et rite declaramus (nisi ipsi sua industria postularunt et obtinuerunt decreta, et ex illis apud Conaciae Provinciam et Clarae Comitatum in priorum possessionum compensationem terras impetrarunt) restituendos in anteriora patrimonia, satisfactione ex residuis terris fisco adjudicatis et nondum in alios distributis, antea facta et legitimo ritu concessa tali *periclitatori* vel alteri personae jam memoratis, eaque aequalis valoris, pretii, et aestimationis possessioni, qua talis periclitator, miles, vel alia persona sic dimota fuerit ; ea tamen lege ut si dictae possessiones cuicumque oneri, aeri alieno, vel cuivis alteri legali impeditioni, ad quae solvenda tum ex Jure tum ex conscientiae regulis pars sic restituenda teneatur, obnoxiae fuerint, eademque onera, | debita vel impeditiones 2574 is, qui tales tunc terras cedere debet, vel ejus haeredes aut assignati exoneraverint aut solverint, eaedem personae, haeredesque et assignati, donec earundem impensarum solutionem receperint, praedictis possessionibus potiri queant et de facto potiantur et personarum sic dimovendarum nemo, ob possessionum, quibus dimoveantur, reditus aut proventus in jus vocetur, quos etiam reditus , proventus et redituum reliqua respective recipiant donec (ut praelibatum est) obtinuerint aliorum latifundiorum possessionem juxta ac satisfactionem rationi consentaneam ob domorum reparationes, et alias necessarias meliorationes factas et secundum ea, quae jam diximus, ad trutinam revocandas, in quibus etiam considerandae sunt factae ab inquilinis et conductoribus meliorationes. Sed ubi latifundiorum Dominus mulctam cepit, exinde contribuere debet ad rependendas eorum meliorationes, qui eandem mulctam

solverunt. Porro ne restaurationes et restitutiones, nisi mature in effectum perducantur, in multa partium omnium, quarum intersit, praejudicia differantur, edicimus haud ulteriorem temporis terminum ad rem illam absolvendam designandum, quam diem 23 Octobris 1661. |

2574 v (**209**) " Et quandoquidem complures, quorum plerisque hac nostra declaratione terminis generalibus provisum est, gratiam a nobis et favorem ob rationes, quas probe novimus, singulariter inierunt, potissimum Clanricardiae Comes; Midiae Occidentalis Comes; Fingalliae Comes, et Clancarthiae Comes; D. Vicecomes Germanopolitanus; D. Vicecomes Montgarrettensis; D. Vicecomes Dillonus; D. Vicecomes Taaffus; D. Vicecomes Ikirinensis; D. Vicecomes Netervillus; D. Vicecomes Galmoiensis; D. Baro Dunboinniae; D. Baro Trimlepolitanus; D. Baro Dunsaniae; D. Baro Superioris Ossoriae; D. Bermingamus; Athunriae Baro; D. Baro Stratbanensis; Richardus Butlerus Chiliarchus; Georgius Hamiltonus Eques Baronettus; Richardus Barnevallus Eques Baronettus; Edmundus Everardus Eques Baronettus; Valentinus Brounus Eques; Thomas Sherlocus Eques; Dermitius O Seachnusius Eques; Daniel O Brien Eques; Dominus Richardus Bellingus Henrici Bellingi Equitis filius; Richardus Lanus ex Tulskia Armiger; D. Edmundus FitzGeraldus Balymaloensis; D. Mac-na-Mara Greevaghensis. D. David Poerus Kilbolanensis; D. Donatus O Ceallaghanus |

2575 Clonminiensis; D. Jacobus Coppingerus Cloghanensis in Comitatu Corcagiensi; D. Georgius Fitz-Geraldus Tiroghanensis; D. Bernardus Talbotus Rathdunens et Conlius Geogheganus Donoriensis.

(**210**) " Hisce declaramus ipsos et eorum quemlibet absque ulteriori discussione debere postliminio recipere sua patrimonia juxta contentas in hujus nostrae declarationis clausula ultimo praecedente regulas et directiones spectantes ad eos qui nobiscum perstiterunt aut sub insignibus nostris ultra maria fideliter militarunt, quorum nomina magna ex parte hic subnectuntur:

(**211**) " D. Vicecomes Muscriae Chiliarchus; Leggius Subchiliarchus; Eduardus Scottus Legionis *Major*; Joannes O Nellus Carrikiensis ex Comitatu Tiperariensi Centurio; Terentius Brianus ex Palatio Griniensi in Comitatu Limericensi Centurio; Thadaeus Mac-Cartii Centurio pro locatione tantum in Comitatu Corcagiensi; Donaldus *Flavus* O Donovanus Killalmanensis in eodem Comitatu Centurio; Joannes Whitus Loghallensis ex Comitatu Limericensi Centurio; Donaldus O Kif Dromaghensis

ex Baronia Duhalliensi et Comitatu | Corcagiensi Centurio; 2575
Philippus Barraeus Dunbaghiensis ex eodem Comitatu Centurio; v
Thomas Brounus Barniensis ex Bearria, Beantria, et Comitatu Corcagiensi et Kierriensi Centurio; Franciscus Hacquet Dulliensis ex Comitatu Tiperariensi Centurio; Carolus O Shielus ex Comitatu Antrimiensi Centurio; David Dannanus Danaopolitanus ex Baronia Fermoiensi et Comitatu Corcagiensi Centurio; Dermitius O Brien Carrigiensis ex Comitatu Clarensi Centurio; Petrus Walshaeus Subcenturio; Richardus Barrius Robertopolitanus ex Baronia Barrimorensi et Comitatu Corcagiensi Subcenturio; Dermitius O Mulrianus ex Comitatu Tiperariensi Subcenturio; Eduardus Mandevillus Ballinensis ex Comitatu Tiperariensi Subcenturio; Daniel O Drisceol Carbriensis ex Comitatu Corcagiensi Subcenturio; Thadaeus O Culleanus alias *Totan* ex Comitatu Corcagiensi Subcenturio; Mauritius Fitz-Geraldus Ballinamartensis ex eodem Comitatu Vexillarius; Donaldus Mac-Carthy Dunedarrikensis ex eodem Comitatu Vexillarius; Georgius Camertonus ex Comitatu Kilkenniensi Vexillarius; Walterus Butlerus Shanballiduffensis ex Comitatu Tiperariensi Vexillarius; Petrus Cuirkaeus et Guillelmus Cuirkaeus | ex eodem Comitatu Vexillarii; Joannes 2576
Thadaei ex Carbria Vexillarius; Petrus Butlerus cognomento Niger ex Comitatu Tiperariensi Vexillarius; Milesius Rochaeus ex Comitatu Corcagiensi et Baronia Fermoiensi Vexillarius; Philippus Hoganus Halliensis ex Comitatu Tiperariensi Vexillarius; Eugenius Mac-Eganus Cognomento *Juvenis* ex Comitatu Corcagiensi *Adjutor*.

(212) "D. Baro *Castelli-Conaldi* ex Comitatu Limericensi; Mac-Carthius *Fuscus* Killbretanensis ex Comitatu Corcagiensi Tribunus; Cornelius O Drisceolus Dunnasidensis ex eodem Comitatu Chiliarchus; Guillelmus Butlerus Ballifoquensis Subtribunus; Guillelmus Barrius Rinquarranensis ex Comitatu Corcagiensi Centurio; Petrus Nagelus Monanemensis ex eodem Comitatu Centurio; Eugenius Mac-Cartius Clocerrensis ex eodem Comitatu Centurio; Arthurus O Kifaeus Glean-afriachanensis ex eodem Comitatu Centurio; Edmundus Mac-Suinnaeus Masaghlanensis ex eodem Comitatu Centurio; Cormacus Mac-Carthy Cloncalaghensis ex eodem Comitatu Centurio; Edmundus Poerrius Inchensis ex Comitatu Corcagiensi Centurio; Joannes Foxius Baligadenensis ex Comitatu Limericensi Centurio; Michael Morisaeus ex Clarae Comitatu Centurio; Dermitius O Sullevanus Kilmalocensis ex Comitatu

2576 v Kierriensi Centurio ; Dermitius O Sullevanus | Formoillensis ex eodem Comitatu Subcenturio ; Richardus Stapletonus Linsopolitanus ex Comitatu Tiperariensi Subcenturio ; Jacobus Pursellus Cnocanroensis ex eodem Comitatu Subcenturio ; Henricus Weisus ex Comitatu Waterfordiensi Subcenturio ; Geraldus Fitz-Geraldus Licfourensis ex Comitatu Kierriensi Subcenturio ; Georgius Shaius Kilkenniensis Signifer ; Maelmurius O Hallius ex Comitatu Ardmachano Signifer ; Daniel O Dunmanus Fornesciensis ex Comitatu Corcagiensi Signifer ; Philippus Hoganus Alehiensis ex Comitatu Tiperariensi Signifer ; Donnus O Culenus Courcipolitanus ex eodem Comitatu Signifer ; Florentius O Drisceollus Ballihanensis ex eodem Comitatu Signifer ; Gormanus Centurio ; David Boorkus Barnalahiensis ex Comitatu Tiperariensi.

(**213**) " Stephanus Butlerus Centurio ; Alexander Bernius ex Comitatu Roscomanensi Signifer ; Guillelmus Taaffus Chiliarchus ; Brienus Mac-Donachus ex Comitatu Sligoensi Subcenturio ; Eduardus Dillonus ex Midiae Occidentalis Comitatu Signifer ; Jacobus Fitz-Patricius Subchiliarchus ; Joannes Cassinus Subcenturio ; Edmundus Brenanus Signifer ; Eugenius O Conorus Ballenagarensis ex Comitatu Roscomanensi Legionis Instructor ; Walterus Costolachus ex Comitatu Maioensi Subcenturio ; Daniel O Conorus ex eodem Comitatu Vexillarius ;
2577 Walterus Hopus Mollingearrensis Centurio. | Turlochus Mac-Donell ex Comitatu Sligoensi Subcenturio ; Christophorus Mac-Donochus ex eodem Comitatu Signifer ; Geraldus Faerallus Centurio ; Carolus Mac-Donel Subcenturio ; Richardus Ferallus Signifer ; Carolus O Molous Centurio ; Edmundus O Mollous Subcenturio ; Alexander Mac-Donel Vexillarius ; Eduardus Sarsfieldus Centurio ; Jacobus Enis Subcenturio ; Felimius Dempsy Signifer ; Brienus Fitz-Patricius Centurio ; Milesius Brimingamus Subcenturio ; Conorus Maguirius Signifer ; Hugo O Conorus *Doun* Balintoberensis, Centurio ; Robertus Missetus Subcenturio ; Joannes Ferallus Signifer ; D. Vicecomes Iveaghensis ; Henricus Tuitaeus Subcenturio ; Felimius Curtanus Signifer ; Walterus Philippius Clanmorensis Centurio ; Hugo O Conorus Signifer ; Dudleus Costulous Centurio ; Rogerus O Conorus Subcenturio ; Geraldus Dillonus Portlikensis Centurio ; Joannes Dillonus Subcenturio ; Robertus Dillonus Signifer ; Matthaeus Moonius Centurio ; Joannes Flanellius Subcenturio ; Eugenius Suillevanus Signifer ; Rogerus Brenanus *Adjutor* ; Joannes Dillonus *Adjutor* ; Antonius French Judex et Causarum

Patronus ; Ulicus Boorkus Glinskensis ex Comitatu Galviensi, Eques Baronettus ; Franciscus Bernius Rodinensis ex Comitatu Roscomanensi Centurio ; Hugo O Nellus ex Ultoniae Provincia Centurio ; Felimius Magnesius ex eadem Provincia Centurio ; Hugo O Manninus Centurio ; Theobaldus Dillonus Breclonensis ex Comitatu Roscomanensi Centurio ; | Moriartus Clanchius 2577
Castelkelensis ex Clarae Comitatu Centurio ; Connus O Nellus v
Ardconellensis ex Comitatu Ardmachano Centurio ; Guillelmus Boorkus Turlachensis ex Comitatu Maioensi Subcenturio ; Joannes Mac-Donochus Cuscanensis ex Comitatu Sligoensi Subcenturio ; Joannes Cesius Centurio ; Brienus Magnesius ex Ultoniae Provincia Subcenturio ; Brienus Magnesius ex eadem Provincia Signifer ; Luisius Mac-Douillus ex Comitatu Roscomanensi Signifer ; Thomas Birnus ex eodem Comitatu Signifer; Guillelmus Talbottus Hagertopolitanus ex Comitatu Louthiensi Signifer ; Rogerus O Malreaninus ex Mulreanini Tullia in Comitatu Roscomanensi Vexillarius ; Eugenius O Kenius Clanborenensis ex Comitatu Galviensi Signifer ; Patricius Clentonus ex Comitatu Louthiensi Subcenturio ; Michael Mac-Donochus Colooniensis ex Comitatu Sligoensi Subcenturio ; Carolus O Flannius Cetabarensis ex Comitatu Roscomanensi. Nicolaus Walshaeus, Traliensis ex Comitatu Kierriensi, Armiger ; Franciscus Cochlanus Belclarensis ex Regis Comitatu.

(**214**) " Richardus *Grace* Chiliarchus ; Carolus Molous, Subchiliarchus ; Guillelmus Boorkus, Tribunus ; Stephanus Molous, Centurio ; Edmundus Fitz-Patricius, Centurio ; Artus Molous Turlochi, Centurio ; Joannes Cearvillus, Centurio ; | Nellus 2578
Morishius, Centurio ; Guillelmus Dullanius, Centurio ; Edmundus Boorkus, Centurio ; Eugenius Flatterius, Centurio ; Guillelmus Boorkus Redmundi, Centurio ; Teigus Cearvillus, Centurio ; Gerotus Ailmerus, Centurio ; Walterus Walshaeus, Centurio ; Walterus Butlerus, Centurio ; Theobaldus Butlerus, Centurio ; Guillelmus Stapletonus, Centurio ; Philippus Kenedius, Centurio ; Jacobus Devinus, Centurio ; Arthurus Molous, Centurio ; Patricius Dallachantius, Subcenturio ; Joannes Molous, Sub-, centurio ; Brienus Flatterius, Subcenturio ; Alexander Daltonus, Subcenturio ; Joannes Molous Geraldi, Subcenturio ; Simon Cochlanus, Subcenturio ; Daniel Kenedius, Subcenturio ; Eduardus Molous, Subcenturio ; Nicolaus Switmanus, Subcenturio ; Jacobus Hinanus, Subcenturio ; Oliverus *Grace*, Subcenturio ; Jacobus Comerfordus, Subcenturio ; Turlochus Carvillus, Subcenturio ; Jacobus Molous, Subcenturio ; Guil-

lelmus Fogartius, Subcenturio ; Antonius Crossius, Signifer ; Fanachus Molous, Signifer ; Guillelmus Tuiteus, Signifer ; Christophorus Russellus, Signifer ; Eugenius Gilmerus, Signifer ; Richardus Coddius, Signifer ; Daniel Higginus, Signifer ; Guillelmus Carvillus, Signifer ; Joannes Fitz-Patricius, Signifer ; Aeneas Reardan, Signifer ; Guillelmus Kellius, Signifer ; Petrus Valleus, Signifer ; Joannes Pindergastus, Signifer ; Teigus Carvillus, Signifer, Thomas Butlerus, Signifer ; Hoilus Walshaeus, |
2578 Arderiensis, ex Baronia Iverkiensi in Comitatu Kilkenniensi
v Tribunus ; Guillelmus Brounus Balrancanus ex Comitatu Wexfordiensi, Tribunus ; Oliverus Fitz-Harrisius ex Comitatu Limericensi, Legionis Instructor ; Robertus Walshaeus Boriedopolitanus ex Baronia Cnoctoferiensi in Comitatu Kilkenniensi, Centurio ; Turlochus Molous ex Baronia Ballaboiensi in Comitatu Regio, Centurio ; Nicolaus Plunkettus Dunsoghliensis, Centurio ; Joannes Meagherus Grangiensis ex Baronia Ikiriniensi in Comitatu Tiperariensi ; Henricus Rochfortus Kilbridensis in Comitatu Kildariensi.

(**215**) " Luiseachus O Ferallus, Tribunus ; Conaldus O Ferallus Tierlichensis ex Comitatu Longfordiensi Census Equestris Subtribunus ; Terentius Ferallus ex Comitatu Longfordiensi, Centurio ; Faghna Ferallus ex eodem Comitatu, Centurio ; Carolus Kellius Scrinensis ex Comitatu Roscomanensi Centurio ; Joannes Ferallus Rogeri ex Comitatu Longfordiensi, Centurio ; Carolus Ferallus ex eodem Comitatu, Centurio ; Gaspar Tuiteus ex Mediae Occidentalis Comitatu, Centurio ; Feriarchus O Hanlius Slievbanensis ex Comitatu Roscomanensi, Subcenturio ; Morachus O Flahertius Umanensis ex Baronia
2579 Ballinehinsensi in Comitatu Galviensi, Subcenturio : | Briennus Lenanus Falliensis ex Antrimiae Comitatu, Centurio ; Connus Mac-Enis Iveachensis ex Comitatu Dunensi, Subcenturio ; Andreas Fallonus Molindinopolitanus in Comitatu Roscomanensi, Signifer ; Teigus O Flahertius, Centurio ; Georgius Cusachus, Tribunus ; Petrus Lacius Brufensis ex Comitatu Limericensi, Tribunus ; Jacobus Veldonus, Centurio ; Joannes Talbottus Belgardinensis ex Comitatu Dubliniensi, Subcenturio ; D. Christophorus Russellus Setonensis ex eodem Comitatu ; D. Guillelmus Talbottus Haggeropolitanus ex Comitatu Louthiensi ; D. Thomas Cusakus Carrigiensis ex Comitatu Kildariensi ; D. Haroldus Kilnehevgensis ex Comitatu Dubliniensi ; Guillelmus Sheltonus, Centurio ; Terentius Molous Gortcurriensis ex Comitatu Regio ; Jacobus Eustacius Cala-

dinensis ex Comitatu Wexfordiensi ; Eugenius Wadricus Kilcheklensis ex Comitatu Wexfordiensi ; Arthur Linchaeus . . . . . ex Comitatu Midensi ; Rogerus Duighinus Correnſis ex Comitatu Regio, et Laurentius Bellewus ex Comitatu Louthiensi.

(216) " Licet autem non nulli, quibus magnarum perplexitatum, inter quas ad concilianda haec discrepantia emolumenta desudavimus, sensus non insit, arguant ita nos in certis casibus quasdam | personas judicasse dignas quae in 2579
primaeva patrimonia regrediantur ut tamen praeviae *repraesaliae* limitatione velut magna ecclipsi gratiam, quam facimus, obnubilemus. Ad hoc respondemus nobis jam non esse propositum ea jacere fundamenta, quae jaceremus si fabricae formam votis nostris respondentem designare possemus. Nemini autem non est proclive judicare quam arduum esset id efficere ut Angli post tot difficultates et expensas in controversiis forensibus dirimendis et diversis officiis ad praesentem, qua gaudent, possessionem obtinendam procurandis collocatas et post tot millenas familias, rebus apud Angliam distractis, in Iberniam translatas, ibidemque magnis inter aedificandum et aliter factis meliorationibus stabilitas pendentibus hisce accommodationibus (nisi repraesalia prius prospecta) extruderentur propriis laribus et facultatibus, sola utique sua ipsorum juxta ac familiarum suarum vivendi ratione, proindeque (ut majora incommoda sileamus) certo damno exponerentur. Quibus addiderimus illos ex Ibernorum numero, quibus hic satisfactionem decernimus, eos esse, qui nobiscum exularint, ac propterea peculio et pecuariis credibiliter destitutos debere cum minori inconvenientia expectare *repraesaliam*, quam alios modo jam | dicto detrudere, praesertim cum omnino certiores 2580
facti simus breve admodum temporis spatium suffecturum ad assignandas ipsis *repraesalias*, cuique suam, quod penes nos sit bona atque ampla publicatarum et nondum distributarum terrarum portio in hunc finem reservata.

(217) " Nec dubitamus quin ii, quos hoc excogitatum praejudicium maxime omnium tangit, modo has inconvenientias penitus considerent, easque brevi tantum duraturas ponderent, et praeterea mature perpendant quam magnam ac rationi consonam animorum alienationem contraria praxis, si a nobis fieret, procreare valeret, totum ratum gratumque habituri sint, tali patientia effecturi ut inter se et illos alios socios subditos cum ipsis in illo Regno nostro stabiliendos solidae concordiae fundamentum jaciant. Porro ne in ambiguitatem aut con-

troversiam quaestio veniat uter alteri in priorum bonorum restitutione facienda praeferatur, declaramus omnes innocentes *Protestantes* et eos qui Innocentes *Papistae* nuncupantur, (qui nullum unquam decretum obtinuerunt vel terras sibi in Conacia aut Clarae Comitatu assignandas curarunt) primo restituendos. Proximo deinde loco illos innocentes Protestantes et Papistas, qui decreta impetrarunt, eorumque vigore agros sibi in Conacia
2580 vel Clarae Comitatu | collatos abstulerunt, restitutionem
v adepturos. Eas autem *transplantatas* personas, quae possessionibus in Conacia vel Clarae Comitatu sibi decretis detrudendae sunt, hujus nostrae declarationis virtute compensandas ex aliis fisco adjudicatis latifundiis aequalis valoris, pretii, et aestimationis in dicta Conaciae Provincia, Clarae Comitatu vel alibi, antequam praefatis terris suis deturbentur, et tunc demum eos Papistas Ibernos, qui sub nostris insignibus in partibus exteris constanter militarunt et ad pacis articulos jus sibi vendicant, esse restituendos. De quorum jure et privilegio hac in parte siquae
crudelis executio concessionem evacuans controversia nascatur, ulteriori beneplaciti nostri intimatione praecipuo nostro apud illud Regnum nostrum Gubernatori vel Gubernatoribus, nostroque ibi Concilio facienda rem illam sententia peremptoria diffiniemus et determinabimus. Hoc tamen ita semper intelligatur ut siquae persona vel personae, quales in articulis proxime praecedentibus memoravimus, quampiam possessionum suarum partem haud de facto transcriptam nec aliis ob jam dictos fines in hac nostra declaratione expressos decretam invenerit, vel invenerint, talis persona vel
581 personae, haeredes, et assignati ad suas | possessiones respective restituatur vel restituantur.

(**218**) " Et ulterius pronunciamus quod quandoquidem multi rationibus maxime legitimis debita contraxerunt ad arma, apparatum bellicum, aliosque paratus necessarios, quo bellum in Ibernia ante annum 1649 proveheretur, suppeditandos, quos fide sua esse jusserunt et sic semetipsos litigio ac discrimini obnoxios reddiderunt, quod incommodum ex omni aequitate est declinandum. Eapropter post dictas *repraesalias* praefato modo factas, ejusmodi personis, haeredibus et assignatis fiet satis ex residuis, quae penes nos sunt, latifundiis.

(**219**) " Dignamur etiam ulterius declarare quod omnis *periclitator* et miles, eorum haeredes et assignati, in terris, tenementis et haereditamentis modo jam dicto collocandi et quilibet ad suum patrimonium (sicut praelibavimus) postliminio restituendus, nobis, haeredibus et successoribus quotannis in

perpetuum rependent sequentia vectigalia ; scilicet ex quolibet jugere in Lageniae Provincia asses tres, ex quolibet jugere in Momoniae Provinciae diobolum, ex quolibet jugere in Conaciae Provincia dipondium et ex quolibet jugere in Ultoniae Provincia assem, ascribendo (tantummodo inter pendendum praefatum tributum) centum quadraginta | perticas jugeri et perticae 2581
pedes sedecim cum semipede, et omnes illi, quibus ex domibus v
ac tenementis in diversis Iberniae civitatibus ac municipiis *corporatis* stipendiorum militarium reliqua numerantur, ex redituum singulis solidis vicenis solvant quotannis solidum unum et asses sex, modo census publicus in praefatas possessiones hunc in modum restituendas antea impositus non excedat vectigal hac declaratione reservatum. Sed si dictum tributum prius impositum vectigali hic imposito praestet, praefatum anterius vectigal tantummodo solvendum erit et dictae possessiones diversi reditus vel redituum publicorum hic reservatorum solutione eximentur. Nostra quoque ulterius stat sententia et hoc placito pronunciamus omnes agros, tenementa, et haereditamenta, quae in hunc modum hactenus *periclitatoribus* transcripta sunt, vel imposterum transcribenda erunt, a nobis, haeredibus et successoribus esse tenenda libero et communi *Soccagio*, sicut statutum anno Caroli 17° latum limitat et jubet. Omnia quoque in milites, quorum illud Actum mentionem non facit, et quibus non providet, collata vel conferenda praedia, tenementa, et haereditamenta, a nobis, | haeredibus et successoribus tenebuntur *servitio militari in* 2582
capite.

(220) " Omnibus rebus particularibus, quarum superius meminimus, plenum effectum sortitis, speramus fore ut illud pene dirutum Regnum per Dei bonitatem tranquillitate et ubertate reflorescat et hujusmodi insignibus justitiae, clementiae, et misericordiae nostrae testimoniis malefactores ab improbitate deterreantur, probique in fidei erga nos studiis ac mutuae inter se concordiae sententiis accendantur et animentur.

(221) " Sicut autem in hac nostra declaratione, eorum fecimus delectum mediorum, quae nostra prudentia et judicium nobis suggesserat ad illius Regni nostri quietem et pacificationem magis conducere ; sic necessarium esse ducimus porro manifestare, fixam esse mentem nostram ut Parlamentum in illo Regno nostro tempestive convocetur et praecipuo nostro Gubernatori vel Gubernatoribus, Sanctiori Consilio, eidemque Parlamento efficaciter intimetur, quatenus omnes articuli in hoc nostro

edicto memorati, et id genus alii, qui ad nostri ibi populi commodum necessarii censebuntur, ibidem legibus stabiliantur |
2582 ac ejusmodi actis rite receptis, tunc demum libera, et generalis
v venia, indemnitas, et praeteritorum amnestia fiat omnibus nostris ex et in Ibernia subditis, notoriis homicidiis tantummodo exceptis.

(**222**) " Et quia plus nimio compertum habemus, in decretis et sententiis judiciariis terrarum apud Conaciae Provinciam et Clarae Comitatum confiscatarum intuitu obtentis multum injustitiae ac fraudis intervenisse, totam illius negotii recensionem committemus praecipuo nostro Gubernatori vel Gubernatoribus pro illo tempore, sicut et Sanctiori nostro Consilio et delegatis vel eorum aliquibus, ut quicquid in iis processibus praeter aequitatis regulas gestum fuisse constiterit, eorum diligentia et prudentia ad rectum revocetur et suum cuique confirmetur, idoneum quoque statutum in Iberniae usum ad processus ibi judiciarios in quatuor Curiis constituendos ibidem condatur, sicut et alia sanctio ad ratificanda omnia decreta et sententias judiciarias in vindicationum et fisci Curia Dubliniae latas, quae ad vendicationes a subditis |
2583 nostris Protestantibus in Ibernia factas spectant, quo sic omnes nostri subditi legitime stabiliti et de vitis, proprietatibus et possessionibus securi redditi, ad reparandas tam diuturni et sanguinolenti belli ruinas ac desolationes absque metu in futurum se recipere, laetamque ac concordem vitam transigere valeant. Nos autem plus quam speramus futurum ut hac nostra procedendi ratione nemo non credat nullum plane proprium emolumentum nobis esse pretiosius subditorum nostrorum tranquillitate atque utilitate, cum parum nobis reservemus praeter animi oblectationem exinde haustam quod quicquid omnium interesset, ratum habuerimus renunciando magnis prope omnibus mulctis ad nos in illo Regno nostro legitime devolutis. Qua indulgentia si ad desideratum illum finem pertigerimus, is erit nobis pretio, quo eum comparamus, longe charior.

(**223**) " Ulterius etiam declaramus quod quandoquidem plures inter *periclitatores* et milites, facta grata aestimatione nostrae clementiae et favoris hac nostra declaratione expressi, ipsos in tranquilla bonorum, quibus gaudent, possessione et jure stabiliendo et renunciando magnis hisce lucris jure ad nos devolutis, motu proprio testati sunt animi propensionem et caeteris fratribus suis commodandi studium, contribuendo

plenos sex mensium proventus ex dictis terris (sicut | praelibatum est) in suarum diversarum *periclitationum* et stipendiorum reliquorum compensationem concessis recipiendos, eosque uno anno solvendos ad relevanda et resarcienda eorum damna, quos nostri causa praeclare se gessisse et nobiscum egregie tolerasse judicaverimus. Et Periclitatorum non pauci nostram gratiam et favorem in praefata pacificatione exhibitum considerantes, in evidentius suae gratitudinis experimentum ulteriores aliorum sex mensium reditus pleni valoris nobis donant ; non possumus quin hanc eorum liberalis et benevoli animi exhibitionem nobis ratam gratamque esse profiteamur, et ubi Parlamenti Actum ad rationes et fines supradictos nobis procuratum fuerit, id gratiose acceptabimus juxta ac illud eorum benevolentiae atque obsequii specimen promeretur. 2583 v

(224) " Et ultimo declaramus *Protestantium* colonias esse plantandas, municipia erigenda, templa extruenda et proventus ministris praedicantibus providendos intra agrorum periclitatoribus et militibus conferendorum limites et terminos, sicut ii, quos nos delegabimus et mandato muniemus, praescripserint.

(225) " Cautum omnino sit ut haec nostra declaratio ad nullum et nullos eorum extendatur, qui se ullatenus immiscuerint conjurationi et machinationi intercipiendi nostrum Castrum Dubliniense anno 1641, | et ad nullum nullosque eorum, qui sederint pro Tribunali in praetensa celsa justitiae curia inquirentes in regii Patris nostri faelicis memoriae vitam, vel qui sententiam in ipsum tulerint, vel executionis instrumento calculum aut sigillum apposuerint, vel securibus Amazoniis armati satellites egerunt 30° Januarii 1649, operam dantes ut sanguinaria mortis sententia executioni mandaretur. 2584

(226) " Provisum denique est et hoc placito declaratur nec hoc edictum, nec in eo contentam rem ullam esse extendendam ad confirmandum ulli periclitatori, militi, vel alteri personae distributionem, aut concessionem terrarum, tenementorum vel haereditamentorum, quae ante diem 23^{am} Octobris anni 1641 ad quamcumque civitatem aut municipium maritimum et *corporatum* pertinuerint, sed ea nostro relinquenda esse arbitrio, iis praefatorum locorum municipibus restituenda, qui illa gratia et favore nostro digni censebuntur. Periclitatoribus vero, militibus, et aliis, quibus dictae terrae, tenementa aut haereditamenta ulla ex parte in sortem cesserant, aliunde provi-

debitur ea methodo, qua ipsis prospicitur in aliis casibus per hanc declarationem.

" Datum apud Regiam nostram, Aulam Albam 30 Novembris 1660 anno Regni nostri 12."

(227) Circa hoc crudelissimum et fraudulentissimum |
2584 Actum observo 1°, haereticis omnibus per universam Iberniam
v suas possessiones, quibus ante bellum caeptum gaudebant, quasque ex parte longe maxima Iberniae Catholicis dolo vel violentia extorserant, hic restitui, proindeque iterum in throno collocari pseudo-episcopos et pseudo-ministros, sed prae aliis haereticis hic triumphasse Ormonium, qui Regem ab anno 1651, quo ex Anglia in Galliam evasit, foris semper secutus, et cum eo in Angliam hoc anno 1660 regressus, per hoc Actum obtinuit non solum suum atque uxoris patrimonium, quale ad belli initium possidebant, sed etiam, cum plurimi Catholici, ante caeptum bellum magnam illius patrimonii partem legitimorum contractuum emptionis, vel hypothecae, vel locationis per plurimos annos duraturae, vel aliorum ejusmodi pactorum titulis tenuerint, ille a Rege hic assecutus est ut horum jura ipsis in illud suum atque uxoris patrimonium competentia quatenus confiscationi obnoxia sibi dono regio transcriberentur quo patrimonium solidum, liquidum et ab omni onere immune recuperaret. Accedit eum etiam obtinuisse omnia bona fisco adjicienda ex iis, quae ejus majores ab anno circiter 1178 continua lineae masculinae serie in Ibernia hactenus florentissimi in alios quocumque titulo transtulerint, vel alienarint. Huic
2585 porro Ormoniae | Marchioni non deerat nec industria, qua Catholicos illarum tot tantarumque possessionum dominos iis Jure Anglico multandos doceret, nec magna apud Regem atque ejus ministros haereticos iisdem Catholicis infensissimos fides, qua litem multatitiam in sui favorem dirimendam et sententiam exequendam curaret. Qui rerum exitus demum nos docuit sua ab initio, in progressu, et usque ad belli finem interfuisse ut Catholicorum Iberniae possessiones si non omnes, certe magna ex parte fisco addicerentur, proindeque illi nec bello in haereticos praevalerent, nec securas pacis conditiones a Rege obtinerent, nec ipsi pacis quamlibet iniquae cum illis initae articuli executioni mandarentur, sed *tendiculis* ab ipso
Prov. 1. *contra insontes absconditis* Catholici illaquearentur, et pax illa tanquam non a se sed ab ipsis violata refigeretur, et sic Catholicorum possessiones proscriberentur, quo ille non solum

vastas possessiones praesertim ecclesiasticas sub retro Principibus haereticis ab ejus decessoribus Ormoniae Comitibus pessime partas haud restituere cogeretur, sed etiam aliis aeruscationibus et artibus aeque malis rem augeret. Quod totum ab ipso tot tantisque artificiis ad annos superiores memoriae proditis praestitum fuisse vidimus, ut demum cum Rege in Angliam hoc anno 1660 regressus tragaediam absolverit, *sed domus impiorum delebitur. Tabernacula vero justorum germinabunt.* | Prov. 14.

(228) 2°. Non solum haeretici per hanc declarationem bona, 2585
quae ante caeptum bellum possidebant, recuperarunt, sed v
etiam *periclitatoribus* haereticis vastissimae Catholicorum Iberniae possessiones decretae sint, licet eas vili emerint, pecunia non Catholicis, imo nec Regi sed rebelli Parlamento Anglicano ad belli initium data et pene tota collocata in rebellione Anglicana adversus Regem alenda, usqueadeo ut ipse Rex in hac declaratione pronunciet illorum *periclitatorum* a nefario Cromuello in agrorum Ibernicorum possessionem ex parte missorum jus fuisse nullum, sicut legere est in § *Primo itaque loco.*

(229) 3°. Hic Rex vastissima Catholicorum patrimonia a Cromuello magna ex parte suis sicariis et regicidis militibus haereticis concessa, iisdem confirmat, et horum *periclitatorum* ac militum conditionem longe meliorem quam sub ipso Cromuello fuerit, reddit, licet eorum militum titulum invalidum fuisse ipse fateatur. Vide § *Primo itaque loco* et § *Et cum belli duces* ; et § *Et cum agri.*

(230) 4°. Licet Cromuellus sicariis anno 1649, quo ipse in Iberniam trajecit, deindeque in eam Insulam ex Anglia transvectis latifundia Catholicorum transcripserit, aliis tamen haereticis, | qui ante annum illum 1649 in Catholicos 2586
bellaverant, agros non assignavit. Verum Rex et his etiam Catholicorum possessiones liberaliter distribuit § *Cum complures,* et § *Et ulterius declaratur.*

(231) 5°. Aliis etiam haereticorum generibus vastissima Catholicorum Iberniae patrimonia per eandem declarationem conceduntur, §. *Gratiose etiam dignamur,* § *Clementer etiam volumus, et* § *Et ulterius pronunciamus.* Et denique ut haeresis et haeretici altissimas in Ibernia radices agant, per universum hoc Actum decernitur, praesertim § *Et ultimo declaramus.*

(232) 6°. Quod ad Catholicos pertinet, ex his, quae diximus, satis liquet eorum conditionem hoc Acto evasisse deplorabilem. Ne tamen in haereticorum infamiam id nationibus exteris

usquequaque innotesceret, et ut ipsis Iberniae Catholicis praeter infinitas alias fraudes in hoc etiam fucus fieret, praefata Regis declaratio eo condita fuit artificio ut ejus architecti exteros et posteritatem illius venenum celarint, quam potuerint fraudulentissime. Nam licet Rex (§. *Et cum audiamus*) magnificis verbis statuat ut Innocentes *Papistae* postliminio restituantur, ipse
2586 tamen | ibidem hanc concessionem satis enervat, declarando
v Innocentes Papistas esse "*qui* (inquit) *suam in regium patrem nostrum fidem atque obsequium probaverint, seque nihil unquam nec in ipsum, nec in nos a die 22 Octobris* 1641 *patrasse docuerint.*" Sic ibi Rex, qui suam super hoc articulo mentem clarius enucleavit hunc in modum :

> " *Quis sit Innocens Papista in Ibernia censendus declarat Angliae Rex Carolus secundus.*

(**233**) " Cum ex nostro praefato edicto multi Protestantes et Papistae suas possessiones recuperare debeant, et alia bona ejusdem valoris, pretii et aestimationis iis periclitatoribus, militibus, atque aliis, qui eas penes se habent, assignanda sint, in his exequendis has sequentes directiones observabitis. Nempe ut in integrum non restituantur velut Innocentes Papistae ii, qui ad vel ante inducias 15° Septembris 1643 pactas a rebellium (Catholicorum) partibus steterunt, nec qui bona sua, sive realia sive personalia, in rebellium regionibus possederunt, nec qui ullo tempore ante pacem anno 1649 initam Catholicorum Romanorum faederi nomen dederunt, nec qui in Regis authori-
2587 tatem Nuncio, Clero, vel Pontificiae | potestati unquam adhaeserunt, nec qui adversus Regem vel adversus derivatam a Rege Gubernationem faedus percusserunt, nec qui, quod Regis authoritati adhaeserint, excommunicati, deindeque, agnita ob id culpa, absoluti fuerunt, nec qui titulos in suas possessiones mutuantur a quocumque, qui cujusvis ex praedictis criminibus reus expiravit, nec qui articulis pacis ad suas possessiones recuperandas institerunt, nec qui in partibus Regis, patris nostri, vel certe nostrae ipsorum authoritati morem gerentibus commorantes cum adversa parte consilia communicarunt, vel clandestina ei nuncia significarunt, nec qui ante pacem anno 1646 vel 1649 contractam in quocumque ex Catholicorum Consessibus aut Conciliis sederunt vel ullo mandato aut authoritate ab ipsis vel ipsorum ullo derivata nixi in rebus gerendis pro-

cesserant, nec qui Oratores aut Commissarios ad agendum cum quavis externa Papistica potestate, quo exterae vires in Iberniam introducerentur, facultate munierunt, nec qui id genus negotia peragenda susceperunt, nec qui antequam Clanricardiae Marchio Regni clavo se abdicasset, in velites proscriptos et errabundos praedones se induerunt." Sic Rex.

(**234**) Ex his constat longe paucissimos in tota Ibernia fuisse postliminio restituendos tanquam | *Innocentes Papistas*. Nam 2587
Confaederati Iberniae Catholici Faederis juramentum in ipsorum v
districtu toties et tanta sedulitate atque imperio ministrandum et suscipiendum curarunt ut paucissimi fuerint, qui id non susceperint. Quod autem ad Catholicos urbium et oppidorum, in quibus interea hostes haeretici dominabantur, indigenas spectat, illos pene omnes haeretici ante contractam cum Ormonio anno 1649 pacem, alios primis, alios posterioribus belli annis ita deturbarunt ut ad Catholicorum Iberniae Confaederatorum fines transire compulsis dicti faederis Juramentum hac ratione ministrandum et necessario suscipiendum fuerit.

(**235**) 7°. Cum ergo paucissimi Ibernorum tanquam *Innocentes Papistae* juxta hanc Regis declarationem suas possessiones recuperarint, restat ut ad aliud Ibernorum genus transeamus, qui faederi Catholico nomen dederint, proindeque ab Anglis non *Innocentes*, sed *nocentes Papistae* ita habiti fuerint ut tamen pace cum Rege contracta tanquam peccatorum paenitentes et resipiscentes veniam obtinuerint. De quo secundo Ibernorum genere Rex agit §. *Et sicut*. §. *Et ut justitia*, et sequentibus. Et horum quoque Ibernorum conditionem haec declaratio deplorabilem reddidit. Nam licet omnes pene Iberniae Catholici, Antrimio excepto, pacem cum Ormonio, Prorege, 17 Januarii 1649, conclusam atque ab ipso Rege, | Carolo secundo nunc 2588
regnante haud semel confirmatam alii citius, tardius alii, ita amplexi sint, ut ipse Eugenius O Nellus ejusque exercitus et adhaerentes, qui omnium maxime intercesserant, demum se submiserint, et ejusdem pacis articulos, aliasque appendices meliores per pactionem 12 Octobris 1649 initam participarint, deindeque Regi et Ormonio in rebelles Anglicos praeclarissime et fidelissime militarint, pacem tamen illam Rex mandato a se ad annum 1648, dum Walliae Princeps esset, dato contractam, et a se ad annum 1649 jam Rege confirmatam, mense Augusto an. 1650 in Scotia urgentibus Calvinistis Scoticis revocavit, sperans futurum ut ea prudentia mundana suas partes haere-

ticas, in quibus majorem fiduciam ponebat, auctitaret, et illa ratione triumphum conficeret. Verum ea spe frustratus et ejus copiis haereticis anno 1651 apud Angliam a Cromuello profligatis, in Galliam reversus praefatam pacem cum Ibernis
Annot. p. 194. initam confirmavit, authore vel ipso Bellingo. Qui P. Joanni Poncio, pacem illam a Rege in Scotia turpiter revocatam fuisse recensenti, respondens: "Cur (inquit) ad maledicendum loquacissime silentio praeterire voluisti, Regem quam primum sui juris esset, ultro indulgentiorem in Ibernos fuisse et pace
2588 stabilita, authoritate publica Regioque | sigillo munita
v Marchioni Clanricardio, viro vere Catholico, Regni illius Regimen contulisse et confirmasse. Sed haec forte Ponci eodem consilio siles, quo tuos in tractatum cum Duce Lotharingiae commentarios promulgas, scilicet ne Rex immunis a crimine crederetur, cui necessitas dominari poterat." Haec Bellingus, qui eodem anno 1651 paulo ante Regis in Gallias regressum, ex Ibernia in Franciam trajecerat, ibique ita Ormonio, Regis Achati, adhaesit, ut haec Regis famae vindicandae ergo postea Parisiis anno 1654 typis mandata probe resciverit. Quibus non obstantibus, Rex hoc anno 1660 in Angliam redux, eandem pacem denuo refixit, ut Puritanorum atque aliorum sectariorum avaritiae, ambitioni, odioque in Catholicos impotentissimo iterum acquiesceret, et ea via rebus suis in Catholicorum ruinam consuleret. Quod si quis dixerit Praelatos per acta Jacobopolitana in Ormonium anno 1650 edita meruisse ut pax illa
Annot. p. 124. rescinderetur, Bellingus Ormonium non expulsum, sed lubentem recessisse respondet, et Poncio asserenti Ormonium tunc in Ibernia, quamvis esset Prorex, nulli tamen aut paucissimis imperare potuisse repugnans idem Bellingus: "In hoc (inquit) Poncium mendacem praedicabunt pacis initae ex Comitiorum decreto assertores, Regni proceres, si duos excipies, Catholici in tribus Provinciis milites et duces fere omnes. Dic amabo
2589 Ponci, qui hoc facilius poteris, | quinam illi sunt, qui debitam Regiae in Marchione Ormoniae authoritati obedientiam fulminata illa excommunicatione (Jacobopolitana) subtraxerint? Ultonienses procul dubio numerabis; sed nec hos ipsos aperte pro Praelatis declaratos accepi. Galviam et Limericum, urbes munitas adjicies. Sed et hae n quaquam censurarum indigebant interminatione ut officio et obsequio deessent; ea namque omnes Iberniae civitates munitas, si Kilkenniam, Clonmelliam, et Kilmalociam excipies, a suscepto bello pertinax inobedientia pervasit ut praesidiarios milites non nisi ex Praetoris Urbani

mandato reciperent, tributaque haec solverent, alia ad libitum respuerent ita ut in Respublicas liberas assurgere viderentur. Quod et ipse dixisses, Ponci, si paucos menses quam illae censurae promulgatae essent, nec Proregis imperio, nec Praelatis id enixe supplicantibus, praesidium Limericum intromitti comperisses." Haec Bellingus, quibus addo illas censuras deinde a Congregationis Jacobopolitanae Commissariis, Praelatis, fuisse suspensas ; partes conditionibus a consessu Loghreaghensi praescriptis ad concordiam suo loco fuse relatam rediisse ; Regem ipsum (sicut dictum est) postea suam declarationem antea in Scotia adversus Iberniae Catholicos editam revocasse, et pacem cum ipsis anno 1649 initam confirmasse, | ac ratam 2589
habuisse ut Clanricardius ab Ormonio Ibernia abituro in suum v
Vicarium cooptatus, atque ab illis Comitiis admissus eam provinciam, novo etiam mandato regio munitus, obiret. Ormonium quoque suis publicis latrociniis et perfidia meruisse non solum ut exploderetur, sed etiam ut ultimo supplicio afficeretur, aliaque posterius in ipsum Clanricardium non fuisse patrata, nisi Regno ejus culpa indies magis magisque pereunte, et populi incolumitate suadente ut in ipsum insurgeretur, nec tamen praeterquam (si cum tanta aliorum multitudine comparentur) paucos in eum insurrexisse. Ex quibus liquet non Iberniae Catholicos sed Ormonium et Clanricardium pacis anno 1649 initae articulos violasse, nec a Rege in Angliam ad annum 1660 regresso eandem pacem nisi iniquissime fuisse rescissam.

(**236**) 8°. Rex tamen in sua declaratione Ibernos dividit in *Innocentes* et noxios vel nocentes. Innocentes suis bonis donandos statuit ; sed hos paucissimos juxta ejus mentem, fuisse ostendimus. Non-Innocentes, qui Confaederatorum bello nomen dederant, in duas iterum dividit classes, nempe in eos, qui vel pacem cum Ormonio contractam non admiserint, vel ab admissa resilierint, et eos qui eam amplexi ita fuerint ut deinde | nunquam ab ea resilierint. Nec nisi hoc secundum Catholicorum 2590
genus Pacis beneficio impertiendum decernit. Ex tot autem tantisque Catholicorum possessionibus in haereticos ab ipso per declarationem distributis liquet Iberniae Catholicos illos nec innocentes nec pacis beneficio impertitos, fuisse longe plurimos. Quinetiam ipsos, qui pacem admiserint, et nunquam resilierint, in duas subalternas dividit classes nempe, in eos, qui in Ibernia pedem figentes, et a Cromuello in Tomoniam vel Conaciam transplantati non nullam terrae ibi portionem, ne fame cum uxoribus et liberis perirent, impetrarunt, et in eos qui nullam

hujusmodi portionem procurarunt. Et hos sólos, non autem illos, Rex postliminio restituendos statuit. Quod sane summam redolet crudelitatem. Quibus accedit omnes Iberniae civitates et oppida, deturbatis civibus Catholicis, inter hoc nuperum bellum, exindeque, haereticis referta, per hanc declarationem (sicut habetur §. *Et cum audiamus*) iisdem haereticis decerni, flocci habita omni aequitate, quae contrarium praestandum suaderet. Nam ex illis civibus et oppidanis Catholicis alii ad hujus belli
2590 initium | praesertim Corcagienses, Yeoghellienses, Kin-
v salienses, et Vadipontani, prae nimia in Regem fide, non aliis Iberniae Catholicis fidei studio in haereticos bellantibus, sed ministris regiis, iisque haereticis, et eorum viribus Anglicanis eadem animarum peste infectis portas aperuerunt, eaque ipsorum summa in Regem fide factum ut ab haereticis in Regem re ipsa rebellibus deturbati sint. Alii autem cives et oppidani Catholici Confaederatis ita adhaeserunt, ut pacem cum Ormonio contractam participarint. Quorum majores (de utroque civium Catholicorum genere loquor) Angliae Regibus non solum Catholicis sed etiam haereticis, etiam in bellis a Natione Ibernica fidei causa gestis, tanta animorum firmitate obtemperarunt, ut per ipsos toties steterit, quominus Iberni Anglicum et Catholici haereticum jugum excusserint. Quare summa ingratitudine et injuria nunc suis municipiis et municipiorum praerogativis ab iisdem haereticis Anglicanis excluduntur, licet justo Dei judicio factum ut in praefatae suae obedientiae haereticis adversus Catholicos praestitae paenam in illud infortunium se demum praecipitarint.

(**237**) 9°. Ex his liquet Ibernorum, tantae multitudinis comparatione, paucos juxta hanc declarationem fuisse post-
2591 liminio restituendos. Qui et ipsi quam | iniquis conditionibus postliminio restituendi essent, habes §. *Quod autem*.

(**238**) 10°. Licet hic statuatur ut illi Iberniae Catholici, qui Regi in exteris regionibus, praesertim in Belgio, adhaeserant, suas possessiones recuperent, et quamvis haec declaratio prolixam eorum nomenclaturam complectatur, horum tamen (si cum tanta aliorum ex ipsis multitudine comparentur) pauci fuere, quibus essent in Ibernia patrimonia. Quare eorundem alii longe plures declarationi inserti sunt, non ut patrimonia recuperarent, sed ut saltem in patriam Insulam impune remeare et reliquam ibi vitam degere valerent, secus ab haereticis exagitandi.

(**239**) 11°. Quicquid haec declaratio Iberniae Catholicis

concedere videtur, aliis ejusdem declarationis clausulis fraudulentissime insertis ex parte maxima evacuatur, praesertim cum Clotworthius, Audleius Mervinus, Eques, aliique haeretici, qui sectariorum in Ibernia positorum causam Londini procurabant, obtinuerint ut declaratio illa Regia executioni in Ibernia mandaretur juxta quasdam malignas instructiones ab ipsis in Ibernorum perniciem consarcinatas. Quae quanto malitiae aestu excogitatae fuerint tanquam ex ungue leonem, discas ex sequenti documento. Siquidem Cromuello | tyrannidem 2591
exercente, decretum fuit ut nemo in tribus Angliae, Iberniae, v
et Scotiae Regnis impune permaneret, nisi qui in Actum illius tyranni menti consonum et novo tunc Regimini, quod Regi exitiale erat, conforme jurasset. Hoc Actum anno 1653 in Ibernia Cromuellistae tunc in ea Insula dominantes tanto furore propagarunt, ut crudelissimam ea res in Ibernorum reliquias persecutionem aliis persecutionibus additam concitarit. Itaque illi ipsi haeretici, qui tunc Cromuello in Regem et Catholicos militabant, quique illud Actum tanta violentia et barbarie intruserant, et Cromuellum, quoad vixit, adoraverant, jam ex Cromuellistis Regii rogarunt ut quotquot Ibernorum in illud Actum Juri regio exitiale jurarint, tanquam laesae Majestatis rei, patrimonia non recuperarent, sed ea sibi ipsis, tanquam nunc in Regem fidis decernerentur.

(**240**) 12°. Iidem Cromuellistae, jam regii, a Rege obtinuerunt ut tres ex ipsorum numero, in omnium articulorum executionem, Iberniam sub Rege moderarentur. Quo factum ut Eustacius, Juris Anglicani consultus, in Regni Cancellarium cooptatus, et Brohillus, nunc Ororiae Comes ac Momoniae | Praeses, nec 2592
non Carolus Cootus tunc Comes Montrathensis et Conaciae Praeses, in Triumviros, Regni *Justitiarios*, asciti fuerint, aliis Regni magistratibus inferioribus in alios Cromuellistas a Rege ad ejusdem colluvionis haereticae votum distributis, et denique per praefatam Regis declarationem (§. *Sicut autem*) concesso ut Parlamentum in Ibernia ex eadem haereticorum colluvie conflandum convocaretur, quo omnes declarationis praedictae articuli ad ipsorum mentem interpretandi et id genus alii in eorum commodum tendentes, et ad ipsorum votum atque ab ipsis cudendi in Acta Parlamentaria in Angliam transmittenda, atque ibi a Rege confirmanda transfunderentur. Quod totum ita in Catholicorum ruinam successit, ut luctuosam hanc tragaediam hic non nisi per transennam et levi penicillo adumbremus. Et haec quidem sunt, quae circa crudelissimam

illam Regis, seu potius Regi extortam declarationem notanda habui. Qui licet in Angliam regressus, ab haereticis pene vim passus sit ut illi Catholicorum ruinae suam manum atque authoritatem accommodaret, culpa tamen non caret, cum Regibus potius prae aequitate in seditiosos subditos sustinenda moriendum, quam ad eorum insolentiam in tyrannidem con-
2592 sentiendum sit. | Praeterea Rex per transactiones cum illorum
v rebellium legatis ante regressum in continente absolutas in illam Catholicorum ruinam consenserat, nec a rebellibus in Angliam admissus erat nisi ea conditione ut sceleratam eorum mentem etiam in his secundaret. Quare suo commodo tractus in Catholicorum perniciem apud ipsam continentem eorum votum libens acquieverat, licet tunc pace inter Gallum et Hispanum conclusa, facile posset viribus Catholicis partim domesticis, partim exteris in sua Regna transfundendis illorum haereticorum proterviam frangere et Catholicos atque ipsam Ecclesiam Britannicam in ipsius Monarchiae robur et perenne firmamentum postliminio restituere. Quo justitiae debito segniter spreto, metuendum est ne solium Regium conditionibus adeo iniquis recuperatum, non sit recuperatum nisi ut altius corruat in excidii Catholicorum et pacis suo paternoque jussu contractae, contraque fidem publicam tam horribiliter violatae paenam justissimam. Quod dico, Deum rogans ut Rex Spiritus Sancti gratia potenter illustratus paenitentiam agat, et hanc atque omnem aliam Omnipotentis vindictam a se amoliatur. Sed pergamus.

(**241**) Rex multis Ibernis de se bene meritis privata dedit
2593 mandata, quibus sua in Ibernia | recuperarent, et in patriam Insulam impune transirent, ibique a tot aerumnis respirarent. Verum postea ad haereticorum jam dictorum instantiam litteras in Iberniam scripsit, quibus mandavit ut soli suae declarationi circa Iberniam 30 Novembris 1660 datae insisteretur, et omnia ejusmodi mandata privata nullo loco haberentur. Quo factum ut ea obtinuisse multum dictis Catholicis nocuerit. Triumviri enim Iberniae Justitiarii, suum Regimen exorsi sunt ab edicto in omnes ejusmodi Ibernos adeo lato, ut eos ad statum desperatum redegerint antea pecuniis reliqui peculioli venditione vel alia aliqua difficili industria collectis et in praefata Regis mandata obtinenda impensis apud Aulam Anglicanam emunctos, et tunc in Ibernia omni spe illa adeo frustratos, ut multi viri nobiles hac miseriae accessione atque auctario pene ad mortem contabuerint.

(**242**) Praeterea relatu dignum est, quod sectariis inter se dissidentibus, Rege in Angliam regresso, successit. Id autem ut melius ponderetur, rem ab origine, sed breviter, repeto. Itaque ad hujus belli initium Scotiae Calvinistae in Carolum I^m^ insurrexerunt, quibus deinde Angliae Parlamentarii in rebellione coaluerunt ex Calvinistis seu Praesbyterianis aut Puritanis (nam haec tria nomina pene idem | sonant) 2593
Independentibus, Anabaptistis, Tremebundis, et aliis multis v
hydrae haereticae capitibus compacti, solis Protestantibus cum Catholicis a Rege stantibus. Quibus partibus Regiis demum depressis, Parlamentarii in partes abierunt, unaquaque eorum secta novae Reipublicae principatum affectante ita tamen ut reliquis eorum sectis minus praevalere valentibus, praecipua Independentibus cum Praesbyterianis controversia intercesserit, et Independentes demum Reipublicae clavum sibi arrogarint ac violenter arripuerint, praesertim ab anno 1647 usque ad Cromuelli, eorum coryphaei, mortem. Qua factum ut alii sectarii, Independentium et Cromuelli tyrannidem Neroniana duriorem pertaesi sicut ante saepius, ita tunc Regem invitaverint in instrumentum, quo libertatem recuperarent et Independentes deprimerent, sperantes sectam, quique suam, sub Rege triumphaturam vel certe usuram liberrimo impiorum dogmatum suorum exercitio. Verum Rex domum reversus, ubi altiores egisset radices quam ut a sectariis implacabili annorum superiorum odio inter se discordibus sibi metueret, suam et paternam sectam *Protestanticam*, adeoque pseudo-Episcopatismum ad primos nuperi belli Anglicani annos a | Parlamen- 2594
tariis in Anglia, a Puritanis in Scotia et ab Iberniae Catholicis in sua Insula extinctum iterum in throno collocavit, binaque faedera, Confaederatorum Iberniae Catholicum, et haereticorum Puritanicum a sectariis in tribus Regnis dum rebellarent, susceptum, in quod etiam ipse anno 1650 in Scotia juraverat, damnavit, ignique palam comburenda curavit.

(**243**) Lepida autem interea difficultas emersit, quam paucis dicam. Tanto siquidem pseudo-Episcopos et pseudo-Episcopatismum sectarii adversarii prosecuti sunt odio, ut non solum ad annos superiores omnia eorum vestigia deleverint, sed etiam possessiones ecclesiasticas Catholicorum pietate, dum Ecclesia Britannica floreret, olim concessas, deindeque post introductam haeresim pseudo-Episcopis eatenus ab heterodoxis Angliae Principibus permissas publicarint, atque in laicos varios varie distribuerint. Parique modo egerunt cum pseudo-Collegiis,

Universitatibus, et Capitulis, quorum alumnos, tanquam *Episcopatismo* infectos, eique adhaerentes dissiparunt, proscriptis eorum possessionibus. Denique eo demum processum est confusionis, ut ipsis ministellis haereticis, qui apud sectarios
2594 instar parochorum sunt, templisque plerumque | spretis, omnes
v cujusvis conditionis, etiam mulieres, et ubique etiam in plateis et compitis, prout *spiritus* diaboli *dabat eloqui illis*, ministellorum officiis fungi solerent concionantes, in secta quisque sua, sacra biblia falsantas, et sectarum numerum sine fine multiplicantes,
Act. 1. unoquoque affirmante se *accepisse virtutem supervenientis Spiritus Sancti*, et suam sectam, tanquam veram religionem aliorum sectis praeferente. Denique nusquam gentium et nunquam ante ab homine condito spiritus erroris et mendacii tot tantasque et tales seminavit haeresum vertigines et confusiones Bablyonicas, Cromuello religionem susque deque habente, et aliis statistis identidem supplicantibus ut illa multiplicandarum sine fine religionum licentia Regimini etiam civili funesta cohiberetur, et Parlamentum de omnium aliqua, tanquam optima, deligenda deliberaret, illamque solam, caeteris cum fide Catholica extirpatis, propagaret. Quae propositio subinde facta sed semper suspensa fuit, tanquam peractu impossibilis, excepto quod sectarii pene omnes et ante omnes nefarius Cromuellus, semper operam dederint, ut fidem Catholicam extirparent, instar daemonum ipsos impellentium, qui omnes, quotquot sunt, in bello veritati indicendo conspirant, caetera sine fine inter se
2595 dissentientes. Rege autem | (sicut dixi) religionem *Protestanticam* et *Episcopatismum* haereticum restituere cupiente, et pseudo-Episcopis pene omnibus illo eorum exterminii intervallo jam mortuis, in quaestionem venit, quo pacto sine Episcopis rite consecrantibus novi Episcopi consecrarentur? Sed difficultatem solvit salutis aeternae incuria et indies renascens errandi facilitas, qua factum ut Rex, *Ecclesiae Caput, ex plenitudine potestatis* Episcopos et Archiepiscopos *Protestantes* in suis Regnis multiplicarit, ipsisque possessiones et proventus episcopales restituendas curaverit.

(**244**) Inter hanc religionum haereticarum confusionem haeretici Anglicani in Ibernia positi nescio quoties sectas mutarunt, sicuti nunc proprias vertigines, nunc illam haeresim, quam pars in Anglia dominans vel verisimiliter (nam religionem in politiae statera ponderabant) dominatura profitebatur. Hinc factum ut sub Rege *Protestanticam*, sub Puritanis *Puritanicam*, et sub Cromuello, Independentium coryphaeo, de facto

tamen nunquam de religione sed de non religione sollicito, *Independentismum* eorum multi secundarint, quo partis in Anglia praevalentis imperio et auxilio, Catholicorumque | Iberniae ruina et infortunio suas fortunas stabilirent. Sed 2595
Rege Carolo 2° jam in integrum restituto, cum ipsorum, saltem v
primorum capitum, interesset ut ejus sectam foverent, ad ipsius genium illis aliis sectis, quibus Monarchia ad annos superiores nunc naufragante nunc extincta, indulserant, bellum indicere caeperunt. Verum Angliae obstinatiores Independentes, Puritani, Anabaptistae, *Tremuli*, et alii de mendacio in mendacium ita sine lege ruentes ut ab ipsis haereticis *fanatici* vocarentur, *Episcopatismum* et *Protestantismum* a Rege resuscitatum amplecti nolentes, nec inter se nisi in discordia concordantes, clandestina conventicula, quaeque secta suum, frequentabant, adeo ut restinguendae Monarchiae causa reditum sit in Anglia ad crebras conspirationes, a quibus Rex haud injuria sibi ruinam metuens, edicto publico illis sectariis clandestinorum conventiculorum frequentationem interdixit. Quo in Ibernia accepto, Triumviri, Iberniae utique Justitiarii, quos ad acti frontispicium subscripsisse vides, et Regii ibi Consiliarii, qui ad ejusdem calcem manus apponunt, aegre ferentes suos olim consectarios rebellionis macula notari, edictum | in Ibernia 2596
(ubi etiam a diversarum sectarum haereticis Regi saltem secta adversantibus similia conventicula frequentabantur) reformarunt, insertis etiam Catholicis, licet non ignorarent, quanta esset inter Catholicos et illos sectarios animorum et emolumentorum distantia. Actum illud, cui etiam novos aliquot pseudo-Episcopos, tanquam Regio in Ibernia Concilio ascriptos, manus apposuisse video, hic ex Anglico Latinum habe :

"*Per Illustrissimos DD. Justitiarios et Concilium.*

"Mauritius Eustacius, Cancellarius. Orreriensis. Montrathensis.

(**245**) "Quandoquidem multorum fide dignorum testimonio nobis significatum fuit, haud paucos illicitos consessus nuperis diebus in multis hujus Regni partibus fuisse habitos a Papistis, Praesbyterianis, Independentibus, Anabaptistis, et Tremebundis, aliisque fanaticis personis magno numero convenientibus per multas centurias et non nunquam millenos eadem coitione |

2596 v concurrentibus et congregatis, aliis quidem praetensa quadam externa jurisdictione, aliis praetensa domestica authoritate a Praesbyterianismo, aliis sub Ecclesiarum in unam congregationem coalescentium larva, iisque omnibus contumacibus et in Regiae authoritatis suae Majestatis legumque in Regno stabilitarum contemptum vergentibus, et, nisi remedium mature adhibeatur, bonae in Regno Gubernationis, pacis, et tranquillitatis perturbationem minantibus. In quibus congressionibus non nulli ex proprii cerebri suggestione ausi sunt constituere jejunia publica et dies humiliationis vel gratulationis pro suae Majestatis subditis, et conferre sacros ordines, et inducere in beneficia ecclesiastica, et *Ministros*, quibus ex hujus Regni legibus titulus legitimus competit, privare ad suum beneplacitum suis arbitrariis mandatis, per brachium eorum ex suis parochianis, qui se ipsis associant, et cum ipsis pergunt. In quibus coitionibus non verentur obloqui viris in dignitate constitutis et lutum in legitimi magistratus faciem projicere; imo genuina ipsius Principatus jura usurpare et in manifestas hujus Regni leges invehi. Nos ergo, Domini Justitiarii, et Concilium, haec considerantes et cordi habentes mature praevenire | 2597 multas luctuosas inconvenientias et calamitates, quas oportet necessario fluere ex his tumultuosis procedendi modis, nisi antevertantur, et ponderantes quam evidentia pericula universo Regno intentant; aequum duximus declarare omnibus suae Majestatis dilectis subditis, omnes ejusmodi sive Papistarum, Praesbyterianorum, Independentium, Anabaptistarum, Tremebundorum, sive quarumlibet aliarum fanaticarum personarum caetus esse in semetipsis prorsus illicitos et publico Regni bono periculosissimos, ideoque omnes suae Majestatis subditos, sive ecclesiasticos sive laicos, stricte interdicimus et intercludimus convocandis aut conciendis ullis ejusmodi congressionibus sub praetextu dierum humiliationis vel agendi Deo gratias, vel dierum *consistorialium*, aut alio colore quocumque; vetamusque ne illis intersint, nec sententias exequantur, nec exequendis intersint, nec quovis modo executioni assistant, secus de contrario in ipsorum perniciem responsuri.

(**246**) "Et per praesentes ulterius pronunciamus quod sicut inordinatis et seditiosis id genus conventibus hactenus celebratis veniam prompte condonaverimus ducti spe resipiscentiae 2597 v in futurum, | sic siquae persona vel personae quaecumque imposterum ullas ejusmodi congressiones convocare ausae fuerint, aut aliis quibuscumque convocantibus ad illas confluxerint,

aut ulla earum mandata, sententias, vel acta distribuerint, vel in vulgus sparserint, vel imposterum executioni mandaverint, aut astiterint executioni cujuscumque ex praefatis mandatis, sententiis, actis, vel ullius partis eorum ; nos strictam perinde temporis praeteriti ac futuri rationem exigemus.

(247) " Et sicut persuasum habemus Reverendissimos Patres Archiepiscopos et Reverendos admodum Episcopos nulla non usuros debita cura atque industria ut eos, qui ad has turbulentas ac seditiosas molitiones seducti fuerunt, convertant ad obediendum et vivendum conformiter justis hujus Regni legibus, sic per praesentes requirimus et ipsis injungimus juxta ac omnibus Gubernatoribus, Irenarchis, Vicecomitibus annuis, et aliis cunctis suae Majestatis dilectis subditis et officialibus quibuscumque, ut non permittant ejusmodi consessus sub specie religionis celebrari intra suas varias provincias, diaeceses, Comitatus, | aut districtus in futurum, sed omnes ejusmodi 2598
personas sic congregatas apprehendant et obstringant sufficientibus vadimoniis ad respondendum de illis illicitis coitionibus et omnibus aliis jam dictis abusibus et confusionibus sive coram duumviris vel coram Irenarchis in eorum sessionibus juxta criminum qualitatem aut gravitatem ibi tractandas secundum legem, sicut intendunt suae Majestatis obsequium et hujus Regni prosperitatem ac faelicitatem.

(248) " Exigimus etiam ab omnibus ducibus, officialibus, et militibus copiarum suae Majestatis, et quibuscumque aliis suae Majestatis subditis, quoties occasio se obtulerit aut eorum assistentia postulata fuerit, ut his nostris praescriptis debitae executioni mandandis presto sint et assistant. Quod non negligant. Et postulamus ab omnibus Praetoribus urbanis, Vicecomitibus annuis, cunctisque aliis civitatum, Comitatuum, et municipiorum *corporatorum* officialibus, ut hoc edictum mox publicandum et promulgandum et in omnibus locis publicis juxta diversos suos districtus affigendum curent. Datum apud Concilii Aulam Dubliniae 22 Januarii 1661.

Joannes Ardmachanus. Ja. Margetsonus electus Dubliniensis. Montgomerensis. | Michael Boylus electus Corcagiensis, 2598
Cluanensis ac Rossensis. Henricus Tich- v
burnus. Robertus Forth. Robertus Meredithus. Theophilus Jonius."

(249) Hoc edicto promulgato, graviora tormenta iis, quae

sectariis hic intentantur, Catholicis ante supra modum vexatis infligebantur. Eorum fores vix claudebantur ob continuam scrutationem, qua eorum aedes lustrabantur. Eorum ecclesiastici avellebantur ex lectis et in carceres conjiciebantur. Magnates et nobiles, ne gladio quidem in praeclarae conditionis signum et ornamentum se cingere permittebantur. Nemini angustos illos Conaciae et Tomoniae limites, quibus Iberniae proceres et nobilitatem nefarius Cromuellus circumscripserat, quantumcumque urgens necessitas premeret, egredi licebat. Qui Regi apud exteras nationes militaverant, vix patriam attingebant, cum magna ex parte carceribus mancipabantur. Et ubi aliquod sperabant obsequiorum et tolerantiae praemium, non aliud quam vincula et ergastula assequebantur.

(**250**) Eodem anno 1661 convocatum fuit Dubliniae in | 2599 Ibernia Parlamentum ex solis vel pene solis rusticis, illis Cromuellistis, quibus Rex Catholicorum patrimonia transcripserat, aliisque paucioribus haereticis, et inter hos ex pseudo-Episcopis compactum, in quod desiit et conversa est *generalis Iberniae Conventio*, seditiosissima utique et rebellis eorundem Cromuellistarum Congregatio et confaederatio Dubliniae in quodam eorum conventiculo seu pseudo-Comitiis generalibus cum de Regimine post Cromuelli mortem et post abdicatum dominatu ejus filium mutando ageretur, percussa, eoque spectans ut Rex non nisi certis illis conditionibus nationi Ibernicae exitialibus et Cromuellistarum colluvioni utilissimis admitteretur. Ad hujus *Parlamenti Rusticorum* exordium Mauritius Eustacius, Cancellarius haereticus et trium Regni Justitiariorum unus, 18 Maii 1661 orationem habuit Anglicam tunc, etiam Londini, typis mandatam, ex qua quam deploranda ibi fuerit Catholicorum Iberniae causa, colligimus. Eam proinde hic Latine legas :

" Cancellarii Iberniae Oratio
ad *Rusticorum Parlamentum*
18 Maii 1661 habita.

" Illustrissimi Domini et viri nobiles.

(**251**) " Clarissimi Domini Justitiarii, qui eo dignantur | 2599 honore ut summopere Regiam suae Majestatis personam hodie v in Parlamento gerant, gratulantur quod post tam magnas perturbationes, tumultus, et confusiones, quae per multos annos superiores nullam hujus Regni partem non pervaserant, spec-

tabilem hunc caetum et consessum ordinato hoc et pulchro modo congregatum et Reverendissimos Ecclesiae Patres in prioribus stationibus collocatos inque antiqua et indubitata sua jura restitutos videant et intueantur Judices sicut ab initio et Consiliarios nostros sicut ab exordio.

(252) " Certus sum quod si sapientissimus Daniel inter nos biennio elapso diem hanc et res has magnas, quas oculis nostris vidimus, et auribus audivimus, quaeque jam evenerunt, praedixisset, et futurum ut captivitas nostra tam cito finiretur, praenunciasset, parvum ipsi fidem habuissemus. Quinimo, si Angelus ad haec fausta nobis nuncia significanda missus fuisset, dubito quin ipsi non credidissemus. Quae enim hodie ante oculos nostros peracta intuemur, humanum transcendunt captum, sunt Dei miracula, sunt Omnipotentis prodigia, et esse debent mirabilia in oculis nostris. |

(253) " His addiderim (quod hodiernae solemnitatis apex 2600
est et complementum) nos hodie non tyranni vel usurpatoris personam repraesentare (sicut nonnulli nuper praestiterunt) sed referre personam naturalis Domini et Regis nostri, Caroli secundi, Dei gratia Angliae, Scotiae, Franciae, et Iberniae Monarchae, et vos legitimam ab eo authoritatem derivasse, in unum convocatos ad deliberandum cum ipso *de arduis et urgentibus Regni negotiis*.

(254) " Gaudemus etiam quod perspiciamus *generalem Iberniae Conventionem* in Parlamentum conversam et *corruptionem unius esse generationem alterius*. Et quorsum hoc. Nam licet *generalis Iberniae Conventio* pro tempore, quo duravit, maxima cum laude processerit, haud tamen absolverit opus, in quod animos intendimus. Neque enim *Conventio* nec *gratiosa suae Majestatis declaratio*, nec aliud praeter quam Parlamentum, ultimam magno, quod praestandum est, operi manum imposuerit.

(255) " Id verum est *Conventioni* haud defuisse excellentes cogitationes in magnum hujus Regni bonum collineantes, eandemque harum non paucas usque | ad partum produxisse. 2600
Verum viribus ad edendum caruit. Quare ejus Commissarii v
inter alia a sua Majestate postularunt ut convenienti festinatione Parlamentum convocaretur, quo complura ab ipsis suae Majestati praesentata ad hujus Regni utilitatem in sanctiones transfunderentur. Et hunc quidem in modum huic Phaenici placuit ardente qua Patriam prosequebatur, affectione

deflagrare, ut ex ejus cineribus alius excellentior (sicut hodie completum est) renasceretur.

(256) " Haec in summa sufficere possent in rationem ob quam haec Comitia fuere convocata. Sed ejusdem rei rationes modo magis particulari vobis exponam, idque quam brevissime. *Summa sequar vestigia rerum*, ampliorem relicturus enucleationem prosequendam ab Illustrissimo Domino Primate Ardmachano ascito in Prolocutorem Aulae Procerum *pro tempore*.

(257) " Praecipua et potissima vos hoc tempore in unum conciendi occasio est ut *meum et tuum* unicuique stabiliatur, quo spectant magna hujus mundi jura et emolumenta, ita ut unicuique constet quid sit *meum et tuum*. |

2601 (258) " Probe scitis haec esse illa, ex quibus tot in hoc mundo nascuntur disceptationes. Haec plerumque bellis inter Principes et controversiis in societate civili originem praebent. Et quam arduum sit hoc praestare vos latere nequit, cum tanta impraesentiarum sit earum, quae singulos concernunt, possessionum incertitudo, ut nemo prope dicat : haec vel illa latifundia ad me spectant. Incertitudo autem (sicut omnes noverimus) mater est contentionum, et raro hominibus animus est tranquillus donec de possessionibus securi reddantur. Lex testatur *libere-tenentem* non posse incertum unico casu excepto. Sed sicut rerum conditio nunc stat in hac natione, *libere-tenens* pendet animi in plerorumque hominum casibus. Sed quis est nominatim ille casus ? Est (sicut magnus legis nostrae magister docet) *in consideratione legis*, et ideo *libere-tenens* per legem est stabiliendus, matura consideratione habita antequam stabiliatur.

(259) " Primus genus eorum, quibus de legitimarum possessionum securitate et stabilimento prospiciendum est, sunt *Periclitatores*. Vocavi legitimas posse siones. Nisi enim nunc |

2601 v sternenda basis aequitati consonet, superstruenda fabrica nec firma erit, nec durabit. *Nisi Dominus aedificaverit domum,*

Ps. 126. *in vanum laboraverunt qui aedificant eam.* Et certe nulla non suadet ratio, ut suae justae possessiones his sartae tectae reddantur. Hi enim vere erant *periclitatores*. Nam cum nulla humanitus superessent media, quibus Iberniae fere perditae vel auxilia suppeditarentur vel ipsa recuperaretur ; cum rebelles Aquilonares seu Ultonienses instructo exercitu degrassarentur et instar inundationis obvia quaeque deportarent ; cum urbem Vadipontanam unicum tunc inter nos et ipsos superstes propugnaculum, vicenis eorum millibus obsiderent ; cum hujus Regni civitati metropolitanae, Dubliniae obsidio intentaretur,

totaque circum nos late patens vicinia pene deflagraret ; cum nihil audiremus praeterquam tympanorum crepitacula, buccinarum clangores, equorum hinnitus et calcitrationes ac machinarum bellicarum fulminationes ; cum excidium commune nulli Anglo | in hoc Regno non immineret ; cum in omnibus 2602
partibus audiremus praescriptum militare : *occide, occide*, etc., idque nulla aetatis aut sexus habita ratione ; tunc hi generosi *periclitatores* crumenas aperuerunt et nobis suppetias subministrarunt cum bello jam prope succumberemus. Nunquid ergo his hominibus praestanda sunt promissa modo convenienti juxta solemnem susceptionem statuti lati anno Caroli 17°? Huic rei recta cum ratione adversabitur nemo.

(260) " Proximum hominum, quibus prospiciendum est, genus, sunt milites, qui et ipsi sunt veri *periclitatores*. Vitas enim in manibus gestarunt et semetipsos, suaque omnia nostri causa et ad nos praeservandos, periculis exposuerunt, praesertim ex his dignis ii, qui vulgo vocitantur *triginta novem*, qui in maenium ruinis steterunt et stationes defensarunt donec recentes ex Anglia copiae ipsis suppetias venissent. Hi non, sicut usurpatorum tempore, sunt postponendi, sed ipsorum velut qui rebellium insultui et furori obviarunt, ratio habenda est singularis.

(261) " Periclitatores absque his parum profecissent, et | milites sine periclitatorum crumena haud multum praevaluissent. 2602
Quis enim suis stipendiis militat ? Periclitator autem et miles v
societatem coeuntes hoc magnum opus promoverunt et digni sunt, quibus rationabili decentique modo satisfiat.

(262) " Aliud est hominum genus, qui oblivioni tradendi non sunt, nominatim antiquus *Protestans* et Innocens Papista, in quorum jura inquirendum est. Siquidem lex nostra axioma habet, nempe *antiquum titulum mori non posse*.

(263) " Si Nathobi vinea alicui in sortem obtigisset, consultius ipsi foret ea se abdicare. Non est nobis (sicut vetus fert adagium) diripiendus Petrus ut Paulo debitum solvamus.

(264) " Constituti estis modo hujus causae judices et (ne multis) vestrum est suum cuique tribuere ; quod supremum est justitiae munus. Et hunc in finem, in unum estis convocati. Quod si, quas Reverendissimus in Christo pater, Illustrissimus D. Episcopus Dunensis, suo sermone | monitorio tradidit, 2603
quasque vestris omnium cordibus impressas vellem, regulas sequamur, non aberraverimus. Sua Majestas magna prudentia viam ad arduum hoc opus absolvendum *declaratione* sua vobis

demonstravit. Quod nisi praestitisset, res vobis factu difficillima superesset. Statutorum etiam formulae sunt vobis in eum finem praeparatae. Deus sapientia et consilio ad id peragendum, quod sapientes et sobrios viros decet, vos impertiat. *Gratiosa suae Majestatis declaratio* sit huic magnae fabricae in lapidem angularem. Sed dolandus, quadrandus, et ad structurae mensuram laevigandus est hic lapis. Nihil enim est ex omni parte perfectum. Et nunc cum hujus Parlamenti conciendi causas amputatis ambagibus, vobis patefecerim, caetera Illustrissimo D. Primati Ardmachano ulterius amplificanda et absolvenda relinquerem. Sed permittatis ut in memoriam vobis revocem, idque paucis, non nulla eorum magnalium, quae sua Majestas, ex quo in integrum faeliciter restituta est, in nostri gratiam patravit.

2603 v (**265**) " 1°. Cum a *generali Iberniae Conventione* per | Commissarios suae Majestati (quo Ecclesia et Respublica apud hoc Regnum in tuto ponerentur) praesentatae essent 23 supplices postulationes, sua Majestas ipsis postulationum nullam denegavit, sed vel *in terminis* concessit, vel quas sic haud ratas habuit, sua Majestas ad Dominos Justitiarios et Concilium suum remisit concedendas.

(**266**) " 2°. Ubi *Conventio* nihil eorum, quae postulaverant, non obtinuissent, sua Majestas gratioso placito longe nobis plura concessit, quam a *generali Iberniae Conventione* fuere postulata.

(**267**) " 3°. Sua Majestas terras omnes fisco suo Regio in Ibernia addictas et publicatas, quas certus sum plures esse quam omnes ejus decessores, Angliae Reges et Reginae, ex quo Ibernia primitus debellata fuerat, obtinuerint, honorabilibus Commissariis reliquit distribuendas et disponendas secundum aequum et bonum. Quod opto illi ita praestent ut nullius juri non satisfaciant. Sua Majestas nullum ex his patrimoniis, ne quidem in saltus, lucos, venaria, vel similes usus contra ac juste et legitime posset, sibi reservavit. |

2604 (**268**) " 4°. Suae Majestati gratiose placuit Parlamenti hodie inchoandi nobis facere potestatem. Quam si nobis denegasset, ejus omnes *Conventioni* factae concessiones, omnes ejus favores in *Declaratione* contenti, vastaque illa, quae parem non agnoscit, cunctarum suarum in hoc Regno confiscatarum terrarum transcriptio corruerent, et ad nihilum reciderent. Nulla siquidem dictarum concessionum absque Parlamento stabiliri posset. Quo etiam spectat et nobis considerandum venit, qua Par-

lamentum nostrum exordiendum esset die, non utique alia quam eadem ipsissima, qua Parlamento in Anglia incipiendum foret, quasi sua Majestas pari utriusque Regni sollicitudine teneretur instar Reginae Didus, quae Aeneae dixit: '*Tros Tiriusque mihi nullo discrimine agetur.*' Vel certe quasi existimaret Angliae Parlamentum haud potuisse res Ibernicas stabilire; sicut re ipsa non potest.

(269) "5°. Sua Majestas ad exercitum in Ibernia conservandum et sustentandum suos omnes in hoc Regno statos juxta ac casuales reditus, et quicquid suum dici posset, nobis transcripsit. Hoc sua Majestas absque Parlamento praestiterit, ideoque id *ex gratia speciali* fecit.

(270) "Postremo, sua Majestas tanto aere alieno, quod | dum exularet, in partibus exteris contraxerat, non obstante, 2604
nobis ex propria crumena novissime transmisit (ad stipendiorum v
partem exercitui sine nostri gravamine numerandam) una quidem vice viginti, altera vero triginta librarum millia, quo ejus hic populus copiarum militarium sumptibus partim levaretur. Quod si sua Majestas plus patrare potuisset, utique patrasset.

(271) "Scire cupitis quid habita horum ratione ab Illustrissimis Dominis, Justitiariis, gestum sit? Sane ultra modum expedit ut hoc vos non celetur, ideoque vobis hujusce rei rationem paucis reddam.

(272) "Jam exercitus in eum est redactus ordinem, quem sua Majestas ex Anglia suggesserat. Cui ut mos gereretur, illi primo integram cataphractariorum et officialium legionem exautorarunt. 2°. Quadraginta equitum globos in triginta reduxerunt. 3°. Centum et sex centuriarum pedestrium duces redegerunt ad triginta sex. Et ultimo mille, sexcentos et quinquaginta milites privatos stipendiis expunxerunt; quod Regno erit magno levamini. Vobis etiam dicam exercitui deberi 23 mensium stipendiorum reliqua. Quorum octo sunt menses a suae Majestatis restauratione. |

(273) "Et nunc tempus urget ut nosmet intra nos recolli- 2605
gamus et consideremus, quid retribuamus et quo pacto suae Majestati tanta ejus beneficia rependamus? Haud ignoratis a quo dictum sit, quibus multa conceduntur, ab illis multa exigi. Et nunc ingenue fateor me verba deficere. Sua Majestas plus nobis elargita est quam verbis assequi valeo; plus condonavit quam exprimere possum. Sed plus donarit quam condonarit, haud diffinire queo? Hoc unum dixerim quod

donavit condonando et nisi prius condonasset, non donasset, neque nos ad recipiendum fuissemus idonei.

(274) "Nonne maximas quasque, quibus sacra Majestas offendi posset, injurias, etiam nostram omnium rebellionem, quod delictum Magiae comparatur, devoravit? Quinimo nonne in totius orbis stuporem, et in eorum, qui fidissimi et obsequentissimi ejus subditi erant, gravem animi dolorem, complures ex manifestis et notoriis suis inimicis supra modum praemiis affecit? Nonne vos his magnis censuum reliquiis sibi pendente exilio debitis donavit? Neque enim quicquid usurpatoribus in manus solvistis, vos vel in minimo eximere iis poterat, quae
2605 supremo feudi Domino haud injuria debebantur, | sicut
v Illustrissimi DD. Justitiarii vos edocebunt. Omnia, quae vestra sunt, vitae quoque et possessiones manebant nuperrime Regis misericordiam, nihilque poteratis vestrum appellare. Si ipsi totum quod vestrum est, rependeretis, nihil retribueretis quod ipsius ante non fuerit. Sed ejus misericordia ex sua justitia triumphum reportavit; quamobrem *benedictus Deus*. Quare etiam corda vestra dilatentur, et memineritis tempore opportuno reddere Regio nostro Caesari, quae sunt Caesaris, certique estote reddere quae sunt Dei Deo. Haereses omnes et prophanationes ab Ecclesia procul facite. Nisi enim Ecclesia, quae est *columna veritatis*, recte collocetur, tota structura citra dubium in terram decidet. Sed vereor mihi, ne me immisceam provinciae alterius, cui speciale incumbit onus fuse disserendi de hac materia, et ibi exordiendi, ubi ego finem facio. Illustrissimum Dominum Primatem Ardmachanum intelligo, a sua Majestate designatum Aulae Procerum Prolocutorem pro tempore. Quod ego suae Illustrissimae Dominationi tractandum relinquo, vosque in Aulam vestram dimitto, Prolocutorem electuros." Haec ille, qui per ultima verba intelligit electionem Prolocutoris Aulae Inferioris. |

2606 (275) Ex hac haeretica Cancellarii haeretici oratione nobis constat 1°, illam colluvionem haereticam in Ibernia positam ita in Regem peccasse, ut non praemia, sed gravissimas quasque paenas meruerint. §. *Nonne maximas*. 2°. Regem tamen non solum ipsis delictorum veniam fecisse, nec solum ipsorum bona Fisco obnoxia non confiscasse, sed etiam ad ipsorum instantiam viginti tria postulata a *Conventionis generalis* Commissariis ad eum allegatis in Catholicorum ruinam interposita, imo longe plus concessisse, et tot tantasque Catholicorum innocentissimorum, imo de Rege optime meritorum possessiones

tamquam confiscatas ipsis transcripsisse. §. *Primo. Cum a generali*, et sequentibus. 3°. Hos ipsos latrones fuisse a Rege cooptatos in hujus causae inter eos et Catholicos controversae Judices et Commissarios. §. *Constituti*, et §. *Tertio. Sua Majestas.* 4°. Ipsos inter alia a Rege obtinuisse ut hoc iniquissimum *Parlamentum Rusticorum* in Ibernia convocaretur, hique omnes favores aliique ipsis a Rege concessi in Acta Parlamentaria transfunderentur, et hoc Parlamentum eo fine perniciosissimo fuisse celebratum. §. *Id verum est.* §. *Praecipua.* §. *Probe scitis.* §. *Primum genus.* §. *Proximum.* §. *Quarto. Suae Majestati.* 5°. Hoc pseudo-Parlamentum Dubliniae caepisse eodem die, quo in Anglia hoc ipso anno 1661 Parlamentum Anglicanum. §. *Quarto. Suae Majestati.* Sectarii enim in utroque Regno mutuam sibi operam in Catholicorum ruinam | praestabant. Quare eodem tempore utrobique conjuratis 2606
sedendum erat ut Parlamentum Anglicanum pseudo-Parlamenti v
Rusticorum Dubliniae celebrati Acta ter nefaria secundaret, et Rex eadem ad eorum votum rata grataque haberet, tanto aequitatis praejudicio condita ut ipse Cancellarius id fateri non erubescat, et inter alia haec habeat : " *statutorum etiam* (inquit) *formulae sunt vobis in eum finem praeparatae.*" Sic ille. § *Constituti.* Ex quo, aliisque ejus locis nobis constat, quae in illio Parlamento decreta fuere, ante fuisse a Rege concessa, usqueadeo ut statutorum in eodem Parlamento condendorum formulae, eo nondum inchoato, fuerint praeparatae, non tam ut ibi conderentur quam ut jam condita Parlamenti robore et authoritate munirentur. 6°. Cancellarii haeretici ad haereticos illa nobis exhortatio ponderanda est : " *certi* (inquit) *estote reddere quae sunt Dei Deo. Haereses omnes et prophanationes ab Ecclesia procul facite.*" §. *Nonne maximas.* Quo intolerabili verborum abusu ante omnia instat ut fidem Catholicam tanquam haeresim extirpent. Qua certe monitione tanquam superflua Cancellarius supersedisset. Unde apposite subdens : " sed (inquit) vereor mihi, ne me immisceam provinciae alterius, cui speciale incumbit onus fuse disserendi de hac materia et ibi exordiendi, ubi ego finem facio." Haec Cancellarius de pseudo-Primate Ardmachano loquens. Cui et ipsi superfluum erat suos illos | auditores haereticos ad decernendam in illo Parlamento 2607
fidei Catholicae extirpationem exhortari cum ipsi eadem impia voluntate flagrarint.

(276) Reliqua illius anni 1661 parte quam grave fuerit Catholicorum Iberniae sub illo triumviratu jugum, conjectari

potest ex sequenti Acto, quod Dubliniae eodem anno exeunte latum hic ex Anglico Latinum habe :

> " *Per Dominos Justitiarios et Concilium occasione interceptarum litterarum cujusdam Papistici sacerdotis indicantium conspirationem eo tendentem ut disturbetur tranquillitas Regnorum suae Majestatis.*
>
> " Mauritius Eustacius, Cancellarius. Orrerius. Mountrathius.

(277) " Cum nos, Domini Justitiarii, 6° Decembris 1661 receperimus litteras a Thoma Asho, Alexandro Jepsono, Henrico Martono, Centurione, et Staffordo Lightbourno, quatuor ex suae Majestatis in Comitatu Midiensi Irenarchis, 2° ejusdem mensis datas, quibus aliam inclusam per dicti Staffordi Lightbourni manus ad nos transmiserunt epistolam Dublinia 18 Novembris | 2607 1661 a quodam Jacobo Dermoto, sacerdote vel fratre Papistico v scriptam et directam ad quendam Jacobum Feilanum, Praesbyterum Papisticum, Kildalkiae in Comitatu Midiensi se tenentem, qui, cum anteriora edicta generalia ad capiendos sacerdotes Papisticos exiissent, ipseque juxta eadem a praefatis personis prehendendus, atque in eum finem domus, in qua se teneret, obsessa esset, postica tamen evadendi viam invenit, et sic in vicinam paludem dilapsus, dum praeceps in fugam se daret, ejus Missale manibus decidit, in quo praefatam epistolam repererunt dictae personae, a quibus praedicta epistola missa fuit ad nos, Dominos Justitiarios. Nos autem ut eam legimus, in ea reperimus has expressiones : 1° ubi memoratur quomodo nos (haec sunt verba, quae in dicta epistola continentur) maligne ipsos persequimur, haec verba subduntur : *Nisi processerimus et ipsos tempestive praevenerimus.* Itaque dubio procul aliquid inter se moliuntur, in quo procedant et nos praeveniant.

(278) " 2°. Postquam in eadem epistola traditur nobis innotescere quicquid ipsi faciunt, haec verba circa nos sequuntur: *Nempe nos adhuc magnum negotium prorsus latere.* Quare | 2608 citra dubium circa magnum aliquod negotium conspirant, quod ille nos prorsus latere scribit. Quae, nec non aliae monitiones ex variis hujus Regni partibus significatae efficiunt ut justam habeamus causam nobis persuadendi esse in motu mala inter

ipsos et alios male affectos Ibernos ac Papistas suae Majestatis Regni hujus nec non bonorum ejus in ipso subditorum quieti atque incolumitati intentata. Ad quae melius exequenda, et ad eorum, qui hunc populum seducant, numerum augendum non desunt (sicut ex praefata epistola liquet) plures ex illo praetenso Clero Papistico recens ex partibus ultramarinis appulsi, quibus collectae fiunt in populo ea ratione tripliciter onerato, nempe ut verbi Dei *Ministri* suae Majestatis authoritate inter ipsos stabiliti, deindeque praefatus praetensus Clerus ab externa potestate authoritatem derivans et tertio ii, qui recens appulsi sunt, sustententur. Unde sequitur duplicem jurisdictionem in populum exerceri in ulteriorem ejus oppressionem et depauperationem. Praeterea illa epistola continet non nulla, quibus magna suae Majestatis | Regiae personae, 2608
authoritati, et Regimini injuria irrogatur. v

(279) "Nos ergo, Domini Justitiarii, aequum judicavimus haec binis Parlamenti Domibus nunc in hoc Regno sedentibus communicare et habita ab ambabus Domibus circa praedictam epistolam et multas alias monitiones ab aliis multis Ibernis et Papistis, aliisque ad publicam Regni quietem disturbandam missas deliberatione, Commissarii ab utraque Parlamenti Domo, 7° hujus mensis, hora 8° pomeridiana ad nos, Dominos Justitiarios, tunc consultantes venerunt et varia nobis media ad tranquillitatem hujus Regni servandam conducentia obtulerunt. Quibus consideratis, et in prosecutionem annexae monitionis et desideriorum utriusque Domus Parlamentariae in hoc Regno, per praesentes declaramus et publicamus, et conformiter his stricte injungimus ac praecipimus omnibus, qui *transplantati* fuerant, et (ex quo transplantati erant) ex Conaciae Provincia vel Comitatu Clarensi exierunt, (iis, qui suae Majestatis authoritate apud aliarum trium Provinciarum ullam sua patrimonia de facto recuperarunt, vel quorum velut postliminio restituendorum specialem suae Majestatis declaratio 30 Novembris 1660 data facit mentionem, vel quos non nulli inter utriusque Domus Parlamentariae membra | ita sibi in famulos asciverunt 2609
ut juxta normam debitam eorum nomina in tabulas publicas relata sint, exceptis) ultimo praesentis mensis Decembris die, vel ante, in eadem loca, in quae (sicut praelibatum est) respective *transplantati* fuerant, remigrent et absque speciali licentia a nobis, Dominis Justitiariis, vel alio suae Majestatis Gubernatore aut Gubernatoribus hujus Regni pro tempore hac ex parte obtenta inde non discedant. Siqui autem praefatorum,

exceptis iis, quos superius excepimus, post ultimum praesentis mensis Decembris diem in quavis hujus Regni parte praeterquam dicta Conaciae Provincia vel Clarae Comitatu absque licentia (ut dictum est) reperti fuerint, tunc, et eo casu, quivis vel plures inter suae Majestatis Irenarchas ex Comitatu, in quo ejusmodi persona vel personae (sicut praelibatum est) inventae fuerint, per praesentes authorizantur et jubentur ut ejusmodi personam et personas omnes praehendendas atque in ejusdem Comitatus carcerem conjiciendas curent, illic remansuras donec ulterius a nobis, vel alio suae Majestatis Gubernatore vel
2609 Gubernatoribus hujus Regni | pro tempore extituris ordinatum
v fuerit. Porro licet nondum idoneum esse judicemus ut omnia quae circa eorum consilia rescivimus, palam faciamus, hoc tamen declarandum duximus, nempe nos eorundem tantum rescivisse ut id justam nobis praebuerit causam adeo mature deliberandi ut nostris consultationibus suae Majestatis exercitus in ea positus sit conditione, et civitates, oppida, propugnacula, ac praesidia ita vallata munitaque, ut non dubitemus quin ejus authoritate (Deo auspice) valeamus mox reprimere quamcumque aggressionem sceleratorum hominum stultitia vel malitia moliendam in hujus Regni tranquillitatis publicae perturbationem. Et sic scelerum authoribus atque actoribus justa erit causa se suorum malefactorum paenitendi. Datum Dubliniae in Concilii Aula 10 Decembris 1661.

Deus salvet Regem.

Joannes Ardmachanus. Ja. Dubliniensis. Hen. Midensis. Guillelmus Caulfield. Ja. Donelan. J. Temple. Paulus Davisius. Robertus Forth. Robertus Meredithus."

(280) Nonnulla mihi circa crudele hoc edictum, ejusque conditiones, et horum malignitatem atque impudentiam |
2610 dicenda sunt. A Triumviris Justitiariis exordior, qui tres ante Cromuellistas nunc autem non modo regios agunt sed etiam in tota Ibernia sub Carolo 2° moderanda collegas et regios Justitiarios gerunt. Ex quibus Brohillus et Cootus, tunc Oreriae et Montrathiae Comites nec non Momoniae et Conaciae Praesides, specialem mentionem merentur. Qui ambo quanta perfidia et crudelitate rebellibus Angliae Parlamentariis et Cromuello in superiori bello adversus Carolum 1^m^ et Carolum 2^m^, nunc regnantem adhaeserint, suis locis fusius retulimus, nec hic nisi malam eorum memoriam refricamus. Sed nec hi ipsi nec alii

innumeri in Ibernia positi Cromuellistae Anglicani nisi Anglia utcunque resipiscente coacti et vasta mercede, Catholicorum patrimoniis, aliisque magnis multisque emolumentis a Rege concessis flexi ad fucatum hoc Caroli 2[1] obsequium (ut ante tetigi) redierunt. Qui regiorum, praesertim Catholicorum sub Cromuello carnifices, et regii nominis sub illo tyranno hostes infensissimi, nunc eodem genio pessimo, pari feritate sed dissimili praetextu sub Rege in Iberniae Catholicos velut Regi et rebus regiis metuendos saeviunt, saeviendique ansas cum datas non inveniant, acceptas excogitant et comminiscuntur ut veterem rebellandi libidinem | in suis cordibus non mortuam sed 2610
latentem, proindeque ipsa obsequii simulatione altius fotam v
aliqua resipiscentiae larva pallient : Ut obsequii a Catholicis Regi, ejusque patri exhibiti memoriam aboleant. Ut Regis odium ipsis concilient. Ut non desit cur in ipsos grassentur. Ut ipsi jam soli regiae authoritatis assertores habeantur et bona male parta restituere non cogantur. O frontes aeneae audacia armatae si non anteriorum rebellionum et aliorum tot tantorumque scelerum, certe tantae et tam notoriae vos pudeat impudentiae.

(**281**) Quid enim ad Catholicos Regi re ipsa purgandos vel ab eorum fautoribus excogitari, quodque evidentius vestrae tyrannidis argumentum produci posset hoc edicto. Cujus, benevole lector, te rogo ut mecum momenta ponderes. Ac 1° quidem epistolam, de qua in hoc suo crudeli edicto loquuntur, in illo *Missali* repertam fuisse non aliter constare videmus quam ex nebulonum, Cromuellistarum, hostium, persecutorum Ecclesiae, et de facto persequentium, ac partium non adversarum modo sed et infensissimarum atque iniquissimarum testimonio, quod propterea habendum est pro falsissimo. 2°. Illam epistolam ne ipsi quidem sanguinolenti edicti | con- 2611
ditores omnium Catholicorum sed nec ullius partis Catholicorum nomine, atqui ab uno tantum sacerdote vel Religioso privato ad alterum scriptam fuisse affirmant. Faciamus autem fuisse cur secundum sua dogmata haeretica in hos duos animadverterent. Nunquid propterea in Catholicos omnes nedum innocentissimos, sed etiam Regi fidissimos, saeviendum. 3°. Verba epistolae in medium producta aliter intelligantur. Cum ergo non aliam illi Ecclesiae persecutores suae continuae et continuatae tyrannidi causam praetendant, et tam leve ac frivolum fundamentum in frequentibus Cromuellistarum Comitiis agitatum crudeli illi edicto in basim sternant, planum

Ps. 63. est quod " narraverunt ut absconderent laqueos. Dixerunt : Quis videbit eos. Scrutati sunt iniquitates. Defecerunt scrutantes scrutinio."

(282) Inhumana illa sanctione apud Iberniam recens edita factum est ut nobilitati Iberniae ex tribus aliis Regni Provinciis sub Cromuello in Conaciam et Tomoniam transplantatae et relegatae, exinde, etiam tunc sub Rege, ne negotiorum quidem procurandorum causa digredi liceret, exceptis illis paucis, quos
2611 in edicto excipi | vides. Ex quo (ut obiter dicam) observandum
v est quam iniquum in Iberniae Catholicos fuerit illud Cromuellistarum pseudo-Parlamentum Dubliniense, in quo tantum abest ut Iberniae Catholicis sedere licuerit ut etiam ne accedendi quidem et suam causam vel apud ipsos Cromuellistas agendi facultatem obtinuerint. Et hoc quidem est illud Parlamentum liberum quod Catholicis pace Ormonica promissum fuisse vidimus. Porro paucis septimanis interjectis non nulli e Clero Ibernico, qui sparsim Londini se tenebant, nullam persecutioni in Ibernia ansam facturi reliquam et conjurationis Catholicis affictae suspicionem a se suisque amolituri acto Anglico subscripserunt, quod tunc Londini typis mandatum hic Latine verto :

" *Serenissimae Regis Majestati humilis*
Remonstratio, Agnitio, Protestatio, et
Supplicatio Cleri Iberniae Romano-Catholici.

(283) " Tuae Majestatis fideles subditi, Clerus Romano-Catholicus Iberniae Regni, tuae Majestati humillime repraesentant praesentem suum statum et deplorabilem conditionem, nempe indispensabili mandato Regis Regum 1° ipsis incumbere
2612 curam animarum et | gregum, quibus praesunt, regimen in administrandis sacramentis et populo erudiendo et ipsos inter illam perfectam obedientiam, quam ex conscientiae legibus tuae Majestatis imperatis praestare tenentur, obrui calumniis et severam pati persecutionem.

(284) " 2° Cum ex clientela, quam Majestati tuae debent, et vovere tenentur, obligationem contraxerint revelandi omnes, quae ad ipsorum notitiam pervenerint, conspirationes et machinationes in tuam personam ac regiam authoritatem struendas ; ipsis tamen velut conspiratoribus et Anglorum inter se excidium molientibus obstrepi sine illo fundamento quod aequi arbitri judicio ullum praebeat praetextum existimandi culpam adeo turpem esse ullatenus probabilem.

(285) " 3°. Ipsis tot et tam diversa affingi crimina, quot pollent artificiis adversarii et cum ipsis integrum non sit comparere ad se purgandos, omnibus figmentis et delationibus in eos cusis perinde haberi fidem atque indubitatis veritatibus, et (quod majorem perniciem arguit) laicos, in quorum animas ex charactere sacerdotali jurisdictionem exercent, sub omnium hujusmodi criminum ipsis falso aspersorum onere ingemiscere, quod praecipuum adversariis consilium sit efficere ut Iberni, quorum possessionibus | gaudent, habeantur minime idonei, 2612
nulloque modo digni qui tuae Majestatis misericordiam par- v
ticipent.

(286) " 4°. Nullam non sufficere ansam ad ipsos habendos dignos, qui exterminentur, quasi Romano-Catholicus Clerus, quos illi omnibus criminibus obnoxios esse arbitrantur, forent aut esse deberent adeo perfecta hominum societas ut nemo omnium esse deberet malus aut a prudentiae virtute alienus. Hinc omnes quocumque sive vero sive falso arguuntur crimine, quod vel eorum uni imputatur, et quasi nihil diceretur, nullaque scriberetur epistola nisi ex communi omnium consensione universus Clerus dare cogitur ejus delicti paenas, cujus quivis ipsorum postulatur. Haud nos latet quo habeantur odio Catholici omnes ob calumnias, quibus religionis nostrae dogmata et nostra a Papae jurisdictione dependentia asperguntur. Nos autem Majestatem tuam rogamus veniam utraque vindicandi per annexam hic protestationem, quam facimus coram Deo et tua Majestate sincere, et vere sine ulla aequivocatione et mentali reservatione.

(287) " Agnoscimus et confitemur Majestatem tuam esse verum et legitimum Regem nostrum, absolutum hujus Regni Iberniae, aliorumque omnium tuae Majestatis Dominiorum Principem et | Supremum Dominum. Quare agnoscimus et 2613
profitemur nos sub peccati paena teneri ad obtemperandum tuae Majestati in omnibus rebus civilibus et temporalibus aeque ac quoscumque alios tuae Majestatis subditos et sicut hujus Regni leges et Regiminis regulae a nobis exigunt ; nosque, non obstante quacumque Papae vel Sedis Romanae potestate, vel praetentione, vel cujuscumque generis aut qualitatis sententia, vel declaratione lata, vel ferenda a Papa, ejus decessoribus vel successoribus vel a quacumque potestate spirituali vel temporali emanante vel derivata ab ipso vel ejus Sede contra tuam Majestatem vel Regiam authoritatem, semper professuros et pro virili praestituros fidele nostrum obsequium

et veram clientelam tuae Majestati, et palam ejuramus ac renunciamus omni extraneae potestati tam Papae quam Principum, spirituali perinde ac temporali, quatenus idonea videatur vel praetendat nos eximere, liberare, vel absolvere ab hac obligatione, vel ulla ratione nobis faciat potestatem aut copiam ciendi tumultus, bellandi vel inferendi ullam violentiam tuae Majestatis personae, regiae authoritati, coronae aut Regimini, cum omnes simus parati non solum ad aperiendas et palam faciendas tuae Majestati, tuisque ministris
2613 omnes proditiones in tuam | Majestatem vel ipsos moliendas,
v quae nobis innotuerint, sed etiam ad profundendas vitas in tuendam Majestatis personam et regiam authoritatem, et ad repulsandas, quam possimus diligentissime, quascumque conspirationes et invasiones in tuam Majestatem machinandas vel cudendas quocumque praetextu, vel suffulciendas patrocinio extraneae potestatis vel authoritatis cujuscumque.

(**288**) " Praeterea profitemur absolutos omnes cujuscumque religionis Principes, et supremos Gubernatores esse Dei in terris Vicarios et ipsis deberi obedientiam, cuique juxta sui Principatus leges respective, in quibuscumque rebus civilibus et temporalibus. Quapropter protestamur hic adversus omnem doctrinam et authoritatem contrariam. Sustinemus etiam impium et verbo Dei dissonum esse, siquis propugnaret quod ulli privato subdito liceat perimere vel occidere unctum Domini, suum Principem, licet diversae religionis. Abhorremus quoque et abominamur ejusmodi praxim velut detestabilem et sceleratam.

(**289**) " Haec cum sint nostrae religionis placita quatenus ad clientelare obsequium spectantia, et obedientia tuae Majestatis praescriptis nec non dependentia a Sede Romana nullatenus detrahens de perfecto illo obsequio, quod natalium jure, ex omnibus etiam legibus tam humanis quam divinis, tuae |
2614 Majestati, naturali et legitimo Principi nostro Supremo, exhibere tenemur. Provoluti ad tuae Majestatis pedes humiles supplicamus ut digneris nos protegere adversus severam persecutionem, quam patiamur ob solam nostrae religionis professionem, relinquentes eos, qui sunt vel imposterum erunt aliorum criminum rei (neque enim ullo unquam tempore defuerunt, qui partim scriptis, partim operibus, ejusmodi reatus contraxerint) coercitioni, quam leges praescripserint.

Fr. Oliverus Darcius, Episcopus Dromorensis.

Fr. Georgius Dillonus, Franciscanus, Iber-

norum Franciscanorum Parisiis Guardianus. Fr. Philippus Rochaeus, Franciscanus, Sacrae Theologiae Lector Generalis. Fr. Antonius Gearnonus, Franciscanus ex suae Majestatis, Reginae matris, Capellanis. Fr. Joannes Everardus, Franciscanus, Confessarius, et Concionator. Fr. Antonius Nash, Franciscanus, Confessarius, et Concionator. Fr. Guillelmus Linchaeus, Franciscanus, Confessarius. Fr. Nicolaus Sallus, Franciscanus, Confessarius, et Concionator. Jacobus Cusacus, Sac. Theologiae Doctor. Cornelius Fogorty, Protonotarius Apostolicus et Civilis ac Canonici Juris Doctor. Daniel Douganus, Theologus. Fr. Henricus Gibbonus, Augustinianus, Confessarius et Concionator. Fr. Redmondus Morus, Dominicanus, | Confessarius, et Con- 2614
cionator. Bartholomaeus Bellewus. v
Dionisius Fitz-Rana. Bartholomaeus Flemingus. Fr. Redmondus Carronus, Sac. Theol. Lector Jubilatus. Fr. Simon Vafer ex eodem Ordine, Sac. Theologiae Lector. Fr. Jacobus Caverleyus, Franciscanus, Confessarius, et Concionator. Fr. Joannes Fitz-Geraldus, Franciscanus, Confessarius et Concionator. Fr. Theobaldus Boorkus, Franciscanus, Confessarius et Concionator. Fr. Matthaeus Duffus, Franciscanus, Confessarius et Concionator. Fr. Petrus Geogheganus, Franciscanus, Confessarius et Concionator. Fr. Petrus Walshaeus, Franciscanus, Sac. Theologiae Lector, et Romano-Catholici tam saecularis quam Regularis Iberniae Cleri Procurator."

(290) Horum ultimum, P. Petrum Walshaeum, libelli Anglicani in Nuncium, ejusque censuras, ad annum 1648 Kilkenniae editi authorem, nefarium tot tantorumque scelerum architectum, invenio, Ibernia nupero bello ab haereticis debellata, in Hispaniam ex illa sua patria insula trajecisse. De

quo Episcopus Laghleniensis, tunc dierum in Hispania exul, indidem ad P. Richardum O Ferallum Capucinum Ibernum in Urbem scribens : " Petrus (inquit) Walshaeus, Franciscanus, multorum malorum author, publicus contemptor Nuncii Apostolici et sui legitimi superioris contumax violator obedientiae (ut alia omittam) venit Madritum rutilans armis et vestibus,
2615 quasi intendens splendescere | montes ex eis, qui vilibus uti debebat. Ex mandato sui Ordinis Generalis fuit vestibus et armis spoliatus, carceri mancipatus, capite coronatus non corona aurea sed rasis comis, quas facile nutrivit, adepta libertate, quam et facilius brevi post tempore obtinuit et (uti ferunt) procurantibus aliquibus fratribus sui Ordinis, fuit dimissus et in Angliam reversus tam rutilans armis et vestibus atque Madritum petierat, non obstante quod fuit supradicti libri contra Illustrissimum Dominum Nuncium editi et tantorum malorum author. Quid ergo sperandum, si cuique licet impune male agere." Haec ille Portivediae 12 Novembris 1656.

(**291**) Petri nulla mihi posterior occurrit mentio usque ad subscriptionem praefatae Protestationis Regi apud Angliam ad ineuntem annum 1662 praesentatae ad cujus Londini typis mandatae calcem idem Petrus addidit appendicem pariter Anglicanam eodem folio excusam, cui et 3° Februarii 1662 subscripsit lectorem monens praefatum actum quinque circiter hebdomadis tunc elapsis ex Ibernia a Catholico Regni Clero, ut Regi praesentaretur, missum fuisse sed imperfectum aut non authenticum, quia subscriptionibus haud munitum, quod illi, a quibus missum fuerat, non considerassent opus esse ut subscriberent. Eos autem ex Iberniae Clero, qui tunc Londini commorabantur, ubi Regem subscriptiones desiderasse intellexissent et praefati acti tenorem ac genuinum sensum serio discussissent, 11° et 15 Januarii 1662 eidem subscripsisse,
2615 expectantes futurum | ut reliqui e Clero Ibernico tam apud
v Iberniam in cryptis et speluncis latitantes ac persecutionem declinantes, quam alii ex sua Insula exules atque in varias Europae plagas dispersi, ad primam occasionem, pariter manus apponerent. Ibidemque promisit opusculum propediem in lucem edendum, quo omnes nedum Iberniae sed etiam Angliae, Walliae, et Scotiae ecclesiastici ad subscribendum inducerentur, quos etiam omnes eadem sua appendice instantissime rogavit ut subscriberent.

(**292**) Verum tantum abest ut alii ejus exhortationibus acquieverint ut etiam ei et reliquis, qui subscripserant, velut acti

Clerum Catholicum, praesertim Ibernicum, non spirantis authoribus obmurmurarint et obstrepuerint. Quod Universitas Lovaniensis Latine redditum damnavit censura multas paginas continente. Cujus non priorem (quo censurae fundamenta ibi posita adversarios laterent, nec ipsis nisi contra ventos dimicandum esset) sed ultimam tantum partem Belgii Internuncius tunc promulgandam censuit, quae hic sequitur :

> " *Judicium Facultatis Theologicae Lovaniensis super eadem formula postulatum a membris quibusdam primariis Cleri Ibernici, aliisque in dignitate constitutis.*

(293) " Quamvis Serenissimo Magnae Britanniae atque Iberniae Regi ea a Catholicis ditionum suarum incolis fidelitas | et obedientia debeatur, quam Catholicis olim ipsius prae- 2616
decessoribus subditi sui ìtidem Catholici de jure debuerunt ac juxta Christianae disciplinae praescriptum impendere consueverunt, quamque caeteris Regibus ac Principibus similiter Catholicis sui respective vassalli vel olim debuerunt vel etiamnum debent. Quia tamen supradicta formula complectitur amplioris obedientiae promissionem quam possunt Principes saeculares a subditis suis Catholicis exigere, aut subditi ipsis praestare, et non nulla insuper continet sincerae professioni Catholicae religionis repugnantia, idcirco pro illicita prorsus et detestabili habenda est. Quapropter quicumque praefatam professionis formulam nondum signarunt, cohibere se a signatura obligantur sub sacrilegii reatu. Quicumque autem signarunt, refigere signaturas suas constringuntur sub consimili reatu, incauta namque definitio salubriter dissolvenda est. Nec ea dissolutio reputanda est praevaricatio sed temeritatis emendatio. Ita post maturam consultationem aliquoties iteratam censuimus ac decidimus Lovanii in plena facultatis Congregatione sub juramento indicta ac servata die 29 Decembris gloriosi Pontificis Thomae Cantuariensis, Angliae quondam Primatis, martyrio consecrata, anno Dominicae Incarnationis 1662.

Sequebatur : *Decanus et Facultas Theologica Academiae Lovaniensis.* Et inferius : *de Mandato Dominorum meorum, Decani et Sacrae Facultatis* :

Georgius Lipsius S. Facultatis Theologicae Bidellus et Notarius juratus." |

2616 v (**294**) Praefatam etiam *Protestationem* et obsequii formulam Romae displicuisse nemo dubitet, damnatamque ibi fuisse rumor percrebuit, licet nulla in eam Romae lata censura ad meas manus pervenerit. Porro P. Petrus (sicut in dicta sua appendice promiserat) librum Anglicanum Londini in lucem edidit, quo suam Protestationem et praefatam obsequii formulam, quam ipse ita cuderat ut alios Londini ad subscribendum induxerit, defendere conatus est. Ille suus liber, quem non vidi, ubi Romam transmissus esset, quidam ibi illius linguae peritus juxta provinciam sibi commissam ita legit ut aliquot ejus propositiones censurae subjiciendas excerpserit, sicut hic sequuntur :

" *Quaedam Propositiones excerptae ex libro Anglicano P. Petri Walsh.*

(**295**) " In Libri istius frontispicio omnes dicit esse caecos et duces caecorum, qui non subscripserint dictae suae Protestationi et maledicendos pronunciat qui censura dignam duxerint.

(**296**) " In dedicatoria dicti libelli epistola docet eos, qui Regis placito obsistunt, non prodiisse ex semine eorum per quos salus facta est in Israel.

(**297**) " Fol. 8°. Docet exceptiones non subscribentium quocumque modo acceptas eorum vel impietatem vel imprudentiam
2617 declarare. Quia destruunt (inquit) potestates | sublimiores Principum et crimina inducunt Laesae Majestatis.

(**298**) " Fol. 13°. Ridet quorundam excusationes adversus ejusmodi subscriptionem deductas ex voto vel juramento in Ordinibus sacris suscipiendis facto de obedientia et fidelitate Summo Pontifici praestanda et observanda.

(**299**) " Fol. 20. Probare conatur Episcopum Romanum semper fuisse subditum Imperatoribus eo modo, quo Episcopus Cantuariensis Regi Angliae, talemque adhuc futurum si Imperator eum non emancipasset, Principatuque donasset non ut sibi, quod (inquit) stultum foret, imperaret. Consequenter damnat falsam quorundam sophisticorum theologiam atque adulationem, qui indirectam quandam potestatem Pontifici in Reges tribuunt et vel solam probabilitatem hac in parte horret tanquam a neotericis inventam ut viam nequitiae et impietati sternerent.

(300) "Fol. 22°. Ostendit Pontificem nullum posse deponere Regem nec suscitare Catholicos ad bellum in eum gerendum pro tuendis suis praetensionibus.

(301) "Fol. 24. Docet Papam non esse competentem Judicem ad determinandam infallibiliter absque Concilio Generali ullam in fide controversiam, multo minus aliquid in favorem sui.

(302) "Fol. 25. Docet nec simul cum Concilio Generali posse Summum Pontificem quempiam | suis bonis et authoritate 2617
privare. v

(303) "Fol. 26. Seditionis, rebellionis, inveteratique in Regem odii quemvis accusat sacerdotem *Protestationi* non subscripturum. Deinde Patriam illam deplorat, quae tales pastores omnium rerum inscios habeat.

(304) "Fol. 27. Demonstrare contendit persecutionem adversus eos non esse aut unquam fuisse propter veram fidem sed propter ejusmodi opiniones haud Catholicas, nullaque nixas ratione nisi abortiva et extravagante authoritate duorum authorum Parisiis manu tortoris combustorum, et passionibus paucorum quorundam Pontificum via facti adversus Principes et Respublicas procedentium, qui propterea a toto mundo condemnantur.

(305) "Fol. 32 accusat trium nationum sacerdotes, qui semper tenuerunt Pontificem posse Principem haereticum deponere. Quapropter praefatam suam *Protestationem* omnibus ad salutem necessariam esse affirmat utpote qua docetur, Papam id non posse nec etiam subditos a Juramento Fidelitatis eximere.

(306) "Fol. 50 ut omnes ad subscribendum provocet, docet Papam non ausurum dictam suam *Protestationem* magis condemnare quam Ecclesiam Gallicanam caeterasque Catholicas, ne universus orbis ipsum non infallibilem sed falsum esse proclamet.

(307) "Fol. 51 loquitur de Bulla Pauli V adversus Juramentum a Jacobo Rege promulgatum, quam | improbat 2618
et fol. 52° invehitur in quosdam desperato modo zelosos, qui advolarint Romam ut fallaciis Papam inducerent ut illud Juramentum impium esse declararet.

(308) "Fol. 53. Docet quomodo Bullae et Rescripta Pontificum debeant rejici tanquam paenae obnoxia et quod nulla nova Bulla sit alicujus momenti, nisi accedat Principis placitum. Publicantem vero tales Bullas ait puniendum.

(309) "Fol. 59°. Docet totius orbis praxim esse ut ad

Principem a gravamine appelletur non obstantibus quibuscumque Bullis etiam receptis.

(**310**) " Fol. eodem. Docet se suosque subscriptores animadversuros in Pontificis *fallibilitatem*, si solus condemnet istam suam *Protestationem* etiam haereseos. Sin autem una cum Concilio vere Oecumenico similiter definiat, tum sibi suisque recurrendum vel ad Ecclesiam toto orbe diffusam ni malint pati ut in errorem inducantur.

(**311**) " Fol. 64. Agnoscit in Pontifice potestatem pure spiritualem, in qua fide semper se fuisse et futurum fatetur.

(**312**) " Fol. eodem. Dicit se legere in non subscribentium cordibus magnam et ultimatam rationem cur non subscribant, nempe ut illis liceret instillare ac infundere hominum animis rebellionem adversus Regem, etc.

(**313**) " Fol. 70. Docet nullum subditum aut magnatem, nec
2618 subditos | omnes simul et magnates posse pro quovis gravav mine aut ullo imaginabili casu absque peccato mortali sumere arma adversus suum Principem, licet omnia subvertat ; idque fuse prosequitur sequentibus fol. 73, 77, usque ad 95^{m}, ubi pro coronide asserit Christianos teneri omnia soli providentiae Divinae relinquere, cum Deus melius sciat an finis ob quem orbi Christiano religionem concesserit (salus scilicet electorum, qui loca Angelorum supplere debent) in prosperitate potius quam adversitate Ecclesiae obtineatur ; ubi non obscure videtur asserere Deum in concedenda orbi Christiano religione non intendisse nisi salutem praedestinatorum.

(**314**) " Fol. 102. Docet maledictum esse, quicumque huic suae doctrinae contradicit, nec posse aspirare ad ministerium Christi aut praedicare Evangelium nisi velut Lutheri discipulum.

(**315**) " Fol. 104. Provocat omnes ad subscribendum *Protestationi* saepius dictae, nulla habita ratione spiritualium suorum superiorum, imo spreto eorum dissensu. Nam (inquit) sicut juxta Apostolum obedire oportet magis Deo quam hominibus, sic pariter (ait iste) Regi quam subditis, scilicet ejusmodi superioribus spiritualibus.

(**316**) " In reliquis omnes Catholicos Angliae, Scotiae, et Walliae rogat et exhortatur ut dictae suae *Protestationi* aut statim subscribant aut similem ipsi condant, et maxime in-
2619 vitat ad hoc PP. | Jesuitas, ne amplius populum clanculo instruant suis probabilitatibus et falsa doctrina, adversus scilicet hanc suam sanam aut verius insanam." Hactenus propositionum illarum collector.

(317) Idem Pater, Petrus Walshaeus, Carolo 2° de ejus reditu et Regnorum recuperatione gratulatus est epistola Anglicana, authoris impietatem multis modis spirante. Nam ibi Regi haeretico Franciscanus et sacerdos turpissime assentitur, etiam vernilibus blanditiis scriptorem haereticum redolentibus, cum ipsi *defensoris Fidei, sacrae Majestatis, piissimi et religiosissimi Principis* titulos attribuat, ejusque Patrem, Carolum 1^m^ (in vita et morte haereticum) *beatae memoriae* fuisse dicat, et ipsum Carolum 2^m^ *Constantino Magno non minus religionis zelo ac pietate, quam imperiali Britanniae authoritate successisse* affirmet. Regem quoque ibidem alloquens: " Tuae (inquit) Majestatis Catholici Iberniae subditi et illius Nationis non minus Clerus quam populus ad sua vota quotidiana et perpetua pro tua sacra persona offerenda se prae omnibus aliis, etiam suae religionis alumnis, teneri agnoscunt, idque modo magis particulari illi ex eo Clero, qui inter fatales nuperi Iberniae belli discordias pro ipsorum viribus, in sua quisque vocatione, tuae Majestatis jura ardentius asseruerunt. Populum, | cui obsequendum esset, magis Catholice docuerunt, et Nuncii, 2619
suarumque in illo Regno partium injustis procedendi modis se v
manifestius opposuerunt, iique ecclesiastici, qui haud aliam ob causam, quam quod *beatae memoriae* patri tuo, tuaeque Majestati, tuasque tunc in Iberniae vices gerenti, Duci Ormoniae, hac ex parte fideliter studuerint, semper hactenus passi sunt omne praejudicium, persecutionem et violentiam, cui caecus zelus vel pejor inordinati animi impetus eos reddere posset obnoxios, usqueadeo ut eorum non nulli personales tulerint indignitates, incarcerationes, et insidias eorum vitis structas praeter inhabilitates cujuscumque promotionis ecclesiasticae omnibus inflictas, adeoque per multos annos duraturas." Haec ille, qui etiam ad suae epistolae calcem se prae aliis ex Iberniae Clero omnibus jura regia pro conscientia et cordis propensione palam sustinuisse, et pariter eo nomine prae ceteris exagitatum fuisse ostentat. Quibus verbis fidem habet ab eo intelligi suum carcerem Madritensem superius tactum, quo quicumque sua apud Franciscanorum Generalem fide atque intercessione eum liberarunt, tristi docuerunt experientia, quantum Ecclesiae praejudicent, qui apostatis et incorrigibilibus Monachis crudeli misericordia patrocinantur. Si enim ille nebulorum coryphaeus carcere, triremium servitute, imo patibulo dignissimus, haud illo | ergastulo dimissus fuisset, nec animae suae, nec Ordini 2620
Franciscano, nec Dei Ecclesiae postea obfuisset, sed tonsus,

humiliatus, jejuniis maceratus, flagellis subinde exceptus, et carcere salubriter squalens reliquis vitae diebus tot tantorumque scelerum ad annos superiores in Ibernia patratorum et justas dedisset paenas et paenitentiam egisset, juxta Nuncii mentem, qui litteris ex Gallia anno 1649 in Urbem scriptis institit ut ad Inquisitionis vel aliud Romae tribunal citaretur.

(**318**) Praefatae etiam Protestationi Regi porrectae subscripsisse videmus P. Redmundum, seu Raimundum Carronum, Franciscanum Ibernum, tot malorum in Ibernia anno 1649, exindeque ita patratorum author ut tamen anno 1650 in sui Ordinis Capitulo Provinciali se submiserit. Qui paulo post in continentem reversus et nunc in Belgio, nunc in Francia commoratus, demum Parisiis sub suo P. Georgio Dillono, in Franciscano Ibernorum Conventu aliquot annos posteriores pedem fixit ; sed Rege in Angliam regresso suum Ormonium, Regis Achatem, in eam insulam secutus, et ipse alterum librum eodem spectantem lingua pariter Anglica Londini in lucem edidit. Ex quo Romam transmisso quidam ibi illius sermonis
2620 callens (nam opusculum ipsum non vidi) | propositiones, quas
v magis noxias arbitratus est, excerpsit censurae subjiciendas, quas hic habe :

> " Extracta ex Libro Fr. Raymundi Carroni, Minoritae, Londini nuper edito, cui titulus *Loyalty asserted*, l. *subditi in Principem obsequium assertum*, Anglico idiomate conscripto.

(**319**) " Pag. 1ª et 2ª dicit Christum nihil habuisse cum rebus temporalibus agendum, ne quidem quatenus cum rebus spiritualibus annexae sunt, illamque potestatis directae et indirectae distinctionem (qua utuntur communiter Theologi ad asserendum in Ecclesia ejusque Praelatis, praesertim Summo Pontifice, extare potestatem saltem indirectam in res temporales quatenus spritualibus annexas) vanam et impertinentem esse dicit. Et vero in Christo nullam fuisse potestatem immiscendi se rebus temporalibus ne quidem indirectam, nec in talibus competentem judicem fuisse. Imo tam vere eum extitisse Caesaris et Pilati subditum quam alium quempiam, palam et saepius asserit.

(**320**) " Pag. 3ª. Ex hoc infert multo minus Pontifices, aliosve superiores spirituales aliquid posse in temporalibus nec Christum

ipsum ut | sacerdotem et hominem potuisse immiscere se 2621
aut judicare de temporalibus, nec unquam factum fuisse ut sacerdotes temporalia ullo modo tractarent. Quod probat hoc versu Virgiliano :

' Jupiter in caelis, Caesar regit omnia terris.'

(321) " Pag. 4ª. Docet in Scripturis clarum esse omnes animas, nulla excepta, jure divino et sub paena damnationis aeternae obligari ad obediendum Regibus et superioribus quantumcumque sceleratis, nec proinde in Summo Pontifice aut alio quovis esse potestatem eas ab ista obedientia absolvendi aut liberandi, cui (inquit) ipse Christus cum Apostolis subditus fuit.

(322) " Eadem pag. docet in Ecclesia nullam esse potestatem exteriorem coactivam sed solum directivam, docendo scilicet, praedicando, etc.

(323) " Pag. 5ª docet potestatem Petro traditam ligandi et solvendi esse pure spiritualem, nec per ordinem ad ullas res terrenas, sed solum caelestes et divinas.

(324) " Pag. 30 dicit eos, qui docent Summos Pontifices posse deponere Reges aut supremos magistratus in aliquibus casibus, aut docent Summum Pontificem esse infallibilem, vel (proh nefas et facinus) Episcopum Romanum esse caput Ecclesiae, perturbatores esse Ecclesiae et Catholicae unitatis, novos Evangelistas, in nullo haereticis meliores, imo sectis omnibus et sectariis pejores. |

(325) " Pag. 33 dicit se de censuris domi ac foris minime 2621
sollicitum esse, easque parvi pendere. V

(326) " Eadem pag. dicit actiones temporales esse penitus supra limites et sphaeram potestatis spiritualis, etiam indirecte.

(327) " Pag. 35 docet potestatem Summi Pontificis in universali Ecclesia non magis esse juris Divini quam sit Episcopi potestas in sua diaecesi, aut Parochi sive Pastoris in sua parochia.

(328) " Pag. 38 docet neminem sive Regem sive subditum posse de suo jure seu possessione deponi per potestatem indirectam, utpote invalidam, chimaericam et ingeniose inventam novitate, speculatione, aut metaphysica praecisione.

(329) " Pag. 39 docet Principem temporalem seu saecularem posse temporaliter punire Summum Pontificem.

(330) " Pag. 41 docet Mahometicum esse religionem plantare aut etiam defendere vi vel armis.

(331) " Pag. 46 docet Summum Pontificem nihil posse in

universali Ecclesia plusquam potest Episcopus in privata civitate.

(**332**) " Pag. 51 docet Summos Pontifices Imperatoribus tam fuisse subditos quam fuerint reliqui homines, nec aliam habuisse exceptionem seu immunitatem in rebus temporalibus, quam
2622 eam, quae | iis ab Imperatoribus concessa sit.

(**333**) " Pag. 56 docet posse Catholicos uti mediis temporalibus, puta Regis seu magistratus depositione, pro tuenda vita corporali, bonis, liberis, et uxore, si aliud non supersit remedium sese liberandi a vexatione et tyrannide, at vero pro tuenda et liberanda religione id non posse nec debere." Haec excerptor.

(**334**) Non dubitemus quin haec opuscula non solum absque Praelatorum permissu impudenter edita, proindeque vel ex hoc capite prohibita, sed etiam aliunde temeraria, scandalosa, falsa, impia et haeretica Romae horrori fuerint, licet nulla eorum censura Romana ad meas manus pervenerit. Porro hi duo sub Regis Angliae atque Ormonii, Mecaenatis sui, alis, Londini tunc a Pontificis Maximi et aliorum suorum Praelatorum coercitione tuti Sedis Apostolicae fulminationes susquedeque habuisse videntur. Ex quo forsan conjectandum est ipsos, aliosque Ormonistas, qui praefatae Protestationi hoc anno 1662 Londini subscripserunt, ad annos anteriores, praesertim an. 1648 et 1649 eodem spiritu sed populum celato et sub pietatis ac boni publici larva tunc Catholicis propinato in Nuncium, ejusque fautores insurrexisse, eosque forsan non vere sed ficte praesertim
2622 ad annum 1650 palinodiam | cecinisse, vel certe anno 1662
v ad vomitum rediisse, excepto P. Petro Walshaeo, quem nusquam reperio ullum unquam paenitentiae signum prae se tulisse. Eum autem non ab Iberniae Clero sed ab aliquibus suis forsan Ormonistis tunc Londinum in rerum gerendarum Procuratorem missum fuisse colligo quod alii e Regni Clero eum haberent talem, cui Ecclesiae Ibernicae causam procurandam non committerent.

(**335**) Dixi alibi Illustrissimum Dominum Edmundum O Rellium in Archiepiscopum Ardmachanum et Iberniae Primatem ab Alexandro VII cooptatum in Patriam Insulam remigrasse. Qui ubi ad annum integrum suo ibi gregi praefuisset, profuissetque, suae Provinciae Ardmachanae Synodum in 15^{m} Octobris 1660 indixit. Cujus acta, ipso (credo) deinde procurante, typis mandata fuere, sicut hic sequitur :

" Ad Dei Omnipotentis gloriam
et Ecclesiae Catholicae exaltationem.

(336) " Acta, statuta et decreta facta et ordinata in Concilio Provinciali Ardmachano habito et celebrato apud Clunilih in parochia de Killeo Diaecesis Ardaghadensis praefatae Ardmachanae Provinciae, die octavo mensis Octobris S. Birgittae viduae sacro, praesidente Illustrissimo D. Edmundo Archiepiscopo Ardmachano et totius Iberniae Primate; | praesentibus etiam Reverendissimo Midensi, Procuratore Reve- 2623
rendissimi Kilmorensis; Reverendo admodum D. Philippo Mac Crolly, Clogherensis diaecesis Vicario Apostolico, sacrae Theologiae et Juris utriusque Doctore; Procuratore Vicarii Apostolici Cluanmacnosensis; Procuratore Vicarii Apostolici Derensis; Vicario Generali Ardaghadensi; Vicario Generali Dunensi et duobus Vicariis Generalibus Coneren.; Vicario Generali Rapotensi; Vicario Generali diaecesis Dromorensis; Abbate Ardmachano Canonicorum Regularium; Abbate S. Mariae de Asservaigh Ordinis Cistertiensis; Abbate Monasterii de Deserto, Can. Reg.; Abbate S. Mariae de Kinlia; Priore de Tristernagh Canonicorum Regularium; Priore S. Patricii Canonicorum Regularium; Priore de Duuennis Canonicorum Regularium; Decano Ecclesiae Ardaghadensis; Procuratore Decani Derensis; Procuratore Decani Kilmorensis; Decano Rapotensi; Procuratore Abbatis De Clunes, Can. Reg.; Archidiacono Kilmorensi; Procuratore Archidiaconi Clogherensis; Priore Colidiorum Ecclesiae Cathedralis Ardmachanae; Procuratore Fratrum Minorum Sancti Francisci; cum multis Theologis saecularibus et Regularibus ad id vocatis, et aliquibus etiam aliis ex reliquis Provinciis.

(337) " Primo post Litanias omnium Sanctorum, Sacrum, Concionem et invocationem Spirtus Sancti, lecto hymno *Veni Creator Spiritus*, declarandum esse duximus, | sicut per 2623
praesentes declaramus, protestamur, et notum facimus nos v
nihil aliud in hac nostra conventione meditari, velle, aut intendere, quam Dei omnipotentis gloriam, religionis Catholicae exaltationem, animarum salutem, Regis et Regni tranquillitatem, securitatem, et pacem, reddentes ea, quae sunt Caesaris, Caesari, et ea quae sunt Dei Deo.

(338) " 1°. Statuimus ergo, sancimus, et ordinamus ut singuli Parochi catechizent, exhortentur, aut concionentur ad populum singulis diebus Dominicis et festis solemnioribus sub paena

quinque solidorum monetae Anglicanae in pios usus per Ordinarios respective convertendorum, toties quoties in hoc pastores respective deliquerint. Quod si ad decem septimanas continuas in hoc quisquam negligens fuerit, eo ipso, beneficio privatus existat.

(339) " 2°. Statuimus et ordinamus ut omnes, qui olent de Jansenismo aut quomodolibet olere reperientur, aut de haeresi alia quacumque a Sede Apostolica damnata, eo ipso sint inhabiles et incapaces cujuscumque Praelaturae, dignitatis, et beneficii etiam minimi, in hac nostra Provincia Ardmachana. Proinde ne (quod Deus avertat, et nos formidamus) in ovina pelle subintrent in Dominicum gregem multifaria haeresi
2624 jamdudum agitatum lupi rapaces ; supplicamus | humillime, eaque, qua decet, submissione, Sedi Apostolicae, rogantes quatenus nullus in posterum promoveatur ad dignitates aut beneficia quaecumque in hac Provincia sine commendatione Illustrissimi Domini Primatis et Ordinarii ejus jurisdictionis, in qua talis promotio expectabitur.

(340) " 3°. Statuimus et ordinamus ad confusiones et superstitiones, quae forte subrepere possunt, praeveniendas et in posterum evitandas, ut nulli omnino liceat circumire cum crucibus, baculis, pedis, campanulis, nolis, scutellis, tintinnabulis, catenis, cingulis, lapillulis, cum baculo S. Patricii, velo S. Brigidae, Evangeliis S. Columbae, aut similibus, aut tales Reliquias vel quasi Reliquias populo exponere, sub paena excommunicationis sine speciali licentia et approbatione Ordinariorum respective. Similiter sub iisdem paenis statuimus ut nulli utantur orationibus (vulgo *Orrha*), insufflationibus aut similibus, quae superstitionem sapere possunt, sed iis tantum orationibus et caeremoniis, quae sunt ab Ecclesia approbatae. Item statuimus et ordinamus ut nullus omnino sacerdos, sive saecularis sive Regularis, utatur alia forma, benedictione,
2624 caeremoniis, aut verbis, quam iis, quae communiter | habentur
v in fine Missalis Romani ad benedicendam aquam, sub paena praefata.

(341) " 4°. Cum audiamus aliquos de utroque Clero in Provincia Dubliniensi diebus Dominicis et festivis ter eodem die celebrare, et subinde bis diebus ferialibus, ne malum illud et inusitata praxis in nostram Provinciam serpat, statuimus et ordinamus quod nullus in nostra jurisdictione audeat aut praesumat celebrare ultra secundum sacrum diebus Dominicis et festivis. Et hoc ipsum indulgemus tantum curam animarum

habentibus ; idque urgente necessitate. In ferialibus autem nullus praesumat secundum sacrum celebrare sub paena suspensionis.

(342) " 5°. Statuimus et ordinamus quod qui praetextu Missionis inventi fuerint sine superiorum suorum licentia, admissione, et approbatione Ordinariorum, vagari, corrigantur juxta jus commune, sive saeculares sive Regulares sint, ab Ordinariis locorum respective.

(343) " 6°. Statuimus et ordinamus ut nullus audeat in impedimentis matrimonii dispensare virtute cujuscumque Indulti aut privilegii sine eo quod prius approbetur ejus authoritas aut facultas ab Ordinario loci, et in hoc statuto includimus etiam Regulares, sub paena suspensionis ad libitum | Ordinarii. Deinde praecipimus ut nullus Parochus recipiat 2625
hujusmodi dispensationes a Regularibus etiam Societatis Jesu, sine Ordinarii licentia sub paena suspensionis.

(344) "7°. Ad abusus in posterum tollendos et compescendos, statuimus et ordinamus, ut quicumque sive saecularis sive Regularis fuerit, qui pro beneficio aut officio obtinendo aut retinendo aut pro se vindicando de suo superiore aut competitore recurrat ad brachium saeculare quodcumque sive Catholicum sive haereticum sit, praeter notam infamiae eo ipso incurrendae, sit ipso facto inhabilis et incapax ejus beneficii aut officii, pro quo taliter recurrerit. Laicus etiam se immiscens huic casui sit excommunicatus.

(345) " 8°. Statuimus et ordinamus ut singuli Ordinarii in suis respective diaecesibus eligant immediate post reditum ad propria examinatores et magistros caeremoniarum juxta mentem sacrosancti Concilii Tridentini, sine quorum magistrorum aut Ordinarii respective approbatione in scriptis obtenta nullus ex noviter ordinatis aut in posterum ordinandis accedere praesumat ad Missae celebrationem sub paena Interdicti ad sex menses.

(346) " 9°. Statuimus et ordinamus ut furtum excedens | 2625
valorem quinque solidorum monetae Anglicanae sit casus v
reservatus respective Ordinariis locorum. Cum furibus numeramus fautores, receptores, consilium dantes, et furtive ablata scienter ab eis ementes.

(347) " 10°. Statuimus et ordinamus quod omnes sacerdotes saeculares, qui ex hac nostra Provincia fugerunt, aut proscripti fuerunt, exceptis iis, qui actualiter incumbunt studiis, redeant in patriam infra quinque menses ab harum notitia. Alioquin

contra hoc statutum peccans sit incapax beneficii aut officii obtenti aut obtinendi intra nostram Provinciam.

(**348**) " 11°. Statuimus et ordinamus ut sit uniformitas jejunii in tota Provincia, quod liceat vesci lacticiniis, omnibus feriis sextis totius anni, etiam Quadragesimae, in una refectione, dicendo quinquies *Pater et Ave* pro statu Ecclesiae toties quoties, vel solvendo unum solidum monetae Anglicanae semel in anno in usum seminariorum. Excipimus tamen ab hoc privilegio feriam sextam Parasceves, sicut et ferias quartas Cinerum et Majoris Hebdomadae. Inter lacticinia adnumeramus caseum. Declaramus item quod ex vigiliis B. Mariae Virginis sola ea
2626 obliget, | quae est Assumptionis, ad jejunium et abstinentiam.

(**349**) " 12°. Statuimus et ordinamus ut siquis repertus fuerit aliquid moliri, machinari, aut verbis aut factis attentare contra Serenissimum Regem nostrum Carolum 2^m^, et de eo convictus fuerit, ab officio et beneficio suspendatur per Ordinarium ; nec non ipso facto excommunicatus et inhabilis ad quascumque functiones intra hanc Provinciam obeundas censeatur.

(**350**) " 13°. Statuimus et ordinamus ut SS. Concilium Tridentinum in diaecesibus Midensi, Cluanmacnosiensi, et in Comitatu Lovidiae ea reverentia admittatur, qua receptum est ante annos octoginta in reliquis diaecesibus Provinciae Ardmachanae, sicut per praesentes illud SS. Concilium, quoad totum et ejus omnes partes, admittimus, amplectimur, veneramur, et accipimus de assensu et consensu totius Concilii nostri et ipsius etiam Episcopi et Cleri Midensis et Procuratoris Vicarii Apostolici Cluanmacnosiensis et ejusdem Decani.

(**351**) " 14°. Statuimus et ordinamus quod nullus Parochus seu sacerdos saecularis sub paena excommunicationis exigat ullum quaestum nisi quater in anno, in quibus de consuetudine solent fieri oblationes pecuniariae.

(**352**) " 15°. Statuimus et ordinamus quod non bibatur
2626 *aqua* | *composita* seu *Brandavine*, sub dio in contractibus
v matrimonialibus sub paena excommunicationis. Et sub ejusdem paena inhibimus ut in exequiis defunctorum non adducantur aut admittantur tibicines ; non ducantur choreae aut tripudia ; non fiant ullae compotationes nisi peracta sepultura, sub eadem paena. Rogamus item et praecipimus quod omnes ecclesiastici strenue laborent in impediendis clamoribus et ululatibus, quae prophano modo adhuc in usu sunt in sepulturis.

(353) " 16°. Statuimus quod nullus Parochus exigat *aquam vitae* aut alium liquorem in administratione sacramentorum.

(354) " 17°. Statuimus et ordinamus, stricteque mandamus ut (juxta mentem Concilii Tridentini) fiant bannae sive tres denunciationes antequam procedatur ad matrimonium contrahendum, sub paena decem solidorum a parochis per modum mulctae solvendorum in manus Ordinarii, in pios usus convertendorum, toties quoties in eo genere peccaverint. Admittimus item et recipimus omnes regulas Cancellariae a Summis Pontificibus approbatas, et praesertim de annuali et triennali possessione.

(355) " 18°. Ad bursas fundandas pro juventute hujus Provinciae in virtutibus et litteris educanda | in Collegiis 2627
Ultramarinis, statuimus et ordinamus ut singuli Parochi contribuant ad valorem et quotam quartae partis annualis proxis, seu subsidii charitativi Ordinario solvendi. Et casu quod dicti Parochi sint tardi aut refractarii in solutione dictae quotae, sit penes Ordinarios cogere ipsos ad solutionem dictae summae, etiam per censuras, si opus sit.

(356) " In ordine ad dictas bursas promovendas promisit Illustrissimus Ardmachanus quicquid acquiret ex censu S. Patricii, communiter *cios Padrig*, et tres libras Anglicanas ultra dictum censum annuatim ; Midensis tres libras ; Kilmorensis tres; Vicarius Apostolicus Clogherensis tres ; Vicarius Apostolicus Derensis tres ; Cluanmacnosiensis duas ; Dunensis et Conerensis duas ; Dromorensis unam ; Ardachadensis unam ; D. Dalii Vicarius Generalis Ardmachanus unam ; D. Desse Vicarius Midensis unam ; Rapotensis unam.

(357) " 19°. Statuimus denique, sancimus, et mandamus locorum Ordinariis respective, sub paena suspensionis et parochis etiam sub paena excommunicationis latae sententiae quod infra unum mensem a receptione harum, acta hujus nostri Concilii publicent et publicari faciant in suis respective districtibus. Rogamus insuper Superiores Ordinum Religiosorum ut idem faciant in | suis oratoriis et Congregationibus. Et 2627
sic ad majorem Dei gloriam, Beatissimae Virginis Mariae et S. v
Patricii, Patroni nostri, et aliorum nostrorum Patronorum, Synodum dimissam declaramus ac propterea cuique eundum esse ad proprias ecclesias. Hortamur autem omnes vos, fratres charissimi, ut tales vos praebeatis in ministerio vestro, quales maxime decet sacerdotes ab omni rerum mundanarum cura segregatos ; illudque maxime, cum redieritis, praestandum erit,

ut populus vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse intelligat. Id fiet si novo Spiritus Sancti lumine illustrati, quae magna Synodorum est vis et virtus, caeteris in omni opere vestro in posterum praelucere studueritis, et in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis. Datum die 15 Octobris, 1660.

Subsig: Cornelius Gaffnaeus,
Vicarius Generalis Ardaghadensis,
Concilii Secretarius."

(**358**) Etsi Primas Ardmachanus cum aliis ex suae Provinciae Clero hic memoratis sub gravissimis paenis statuit ut Regi Carolo 2°, tunc recens in Angliam regresso, obsequium praestaretur, quibusdam tamen malevolis et persecutoribus con-
2628 trarium Romam annunciantibus, | eum Alexander VII ex Ibernia revocavit. Quo cognito Provinciae Ardmachanae Clerus eum Suae Sanctitati purgarunt et ut in Iberniam remitteretur institerunt his verbis:

(**359**) "Nos Episcopi, Vicarii Apostolici, Vicarii Generales, Dignitarii et Regularis Cleri Praelati Provinciae Ardmachanae 1° testamur coram Deo, Angelis, Sanctis, et hominibus, quod Illustrissimus et Reverendissimus Dominus noster, Edmundus, Archiepiscopus Ardmachanus et totius Iberniae Primas, sit vir bonae conversationis, exemplaris vitae, sobrius, pacificus, prudens, pudicus, ornatus, irreprehensibilis, sine crimine, laboris et inediae patiens, intrepidus, et in periculis animosus.

(**360**) "2°. Testamur eundem ante annos circiter 32 carceres et vincula Exoniae in Anglia passum ad menses 23 integros propterea quod negaverit Supremitatem Regiam (ut vocant), et vincula similia ante annos sex passum Dublinii, falso accusatum de multis homicidiis ad menses viginti et unum et tandem ab ipsis hostibus judicantibus eundem innocentem judicatum.

(**361**) "3°. Testamur quod ab eo tempore, quo venerit in hoc
2628 Regnum, mense nimirum Octobris 1659, | functus fuerit cum
v summo sui corporis valetudinis dispendio, libertatis et vitae periculo, omnibus muniis et officiis boni pastoris et Praelati, nunc visitando, corrigendo, monendo, hortando, ordinando (ordinavit enim 29 sacerdotes), ministrando sacramentum Confirmationis, oleum sanctum consecrando feria quinta in Caena Domini, convocando Concilium Provinciale, eidemque

praesidendo (quod ab annis duodecim intermissum fuit), sanciendo statuta salutaria, et leges Catholicas condendo.

(**362**) " 4°. Testamur quod toto hoc tempore delituerit in sylvis, in montium cavernis et similibus latebris, sine alio lecto quam stramine aut gramine et veste aliqua seu pallio desuper adjecto, sine ullis deliciis, contentus, pro cibo pane obscuro, butyro, aut carnibus, pro potu cervisia, lacte aut aqua, sine usu vini nisi in sacro, sine igne interdiu.

(**363**) " 5°. Testamur quod praemissis omnibus non obstantibus, sit iniquissime oneratus et oppressus multorum calumniis et mendaciis, quae homines inique agentes fingunt contra conscientiam propriam, in suam ipsorum perniciem et confusionem.

(**364**) " 6°. Testamur quod causa et fomes istarum calumniarum sit hoc quod Illustrissimus et Reverendissimus noster | Primas anno 1648, dum esset Vicarius Generalis Dubliniensis, 2629
cum summa submissione et obedientia secutus fuerit sententiam, censuram, et partes Illustrissimi et nunquam satis laudati Archiepiscopi et Principis Firmani, apud nos tunc Nuncii Apostolici extraordinarii, et quod impedierit machinationes intentas in internecionem Ibernorum. Haec omnia vera sunt. Ita nos Deus adjuvet.

(**365**) " Quibus positis, salvo semper meliori judicio et obedientia debita sacrae Sedi Apostolicae, dolemus quod talis et tantus Praelatus nobis tam utilis et necessarius, sit nobis ereptus et avocatus a Sua Sanctitate propter calumnias, mendacia, et iniquas machinationes hominum haereticorum et schismaticorum, quibus est solatio et gloriae, quod nos privemur praesentia et consolatione nostri Patris et Pastoris. Proinde humiliter petimus et oramus ut remittatur ad nos quamprimum, inflicta talionis paena calumniatoribus praefatis etc. In quorum fidem his subscripsimus die ultimo Decembris 1660 stylo veteri.

Eugenius Kilmorensis Episcopus, senior suffraganeus Provinciae Ardmachanae. Fr. Antonius, Episcopus Midensis. | Terentius Kally Vicarius Apostolicus Derensis et Protonotarius Apostolicus. Philippus Croly, S. Theologiae et Juris utriusque Doctor, Vicarius Apostolicus Clogherensis. Guillelmus Shial, Vicarius Apostolicus Cluanmacnosiensis. Cornelius Gafnaeus, 2629 v

Vicarius Generalis Ardaghadensis. Thadaeus O Clery, S. Theologiae Doctor, Vicarius Generalis Rapotensis, Protonotarius Apostolicus et Prior Purgatorii S. Patricii. Hugo Rally, Vicarius Generalis Dromorensis. Fr. Bernardus Egan, Ordinis S. Francisci in Ibernia Minister Provincialis. Fr. Franciscus O Fearell, Exprovincialis et Guardianus de Longford. Fr. Antonius Govan, Guardianus de Cavan. Fr. Paulus Fearanan, Guardianus de Donangall. Fr. Bonaventura O Hislenan, Guardianus Villae S. Jacobi. Fr. Bonaventura Connaeus, Ultoniae Commissarius. Fr. Michael Gormlaeus, Guardianus Ardmachanus. Patricius O Mulderge, Vicarius Generalis Dunensis, Abbas Monasterii de Deserto. Hugo Lorinanus, Vicarius Generalis Connerensis, S. Theologiae Licentiatus. Patricius Daly, S. Theologiae et Juris utriusque Doctor, Abbas Ardmachanus, Prior Colideorum, et Vicarius Generalis Ardmachanus. Thomas Brady, Abbas
2630 Monasterii B.M.de | Kells Canonicorum Regularium et Archidiaconus Kilmorensis. Donatus Geargan, Decanus Kilmorensis. Edmundus O Fearell, Decanus Ardaghadensis. Joannes Douranius, Decanus Rapotensis. Fr. Hugo Magy, Guardianus Dunensis. Fr. Thomas Quin, Monachus, Abbas de Sarnania Ordinis Cistertiensis."

(**366**) Ardmachanus itaque ex Ibernia anno 1661, (nam praefatum actum eo nondum profecto sed se ad proficiendum accingente scriptum fuit) in continentem reversus, Romam anno 1662 cum Regis Christianissimi Legato, Duce de Crequy, petiit ; ubi in senectute bona pedem fixit usque ad annum 1665, quo ex Urbe recessit in Galliam vel Iberniam regressurus.

(**367**) Eodem anno 1662 quidam P. Carmelita Discalceatus natione Ibernus et mihi anonymus, ex Ibernia Romam profectus, ibi nescio cui Cardinali Relationem tradidit, quae licet ad ipsius in eo Regno Ordinem et ad suam Lageniae Provinciam,

potius quam ad Regnum universum spectet, eam tamen hic ipsius verbis habe :

" Eminentissime Domine.

(368) " Postquam ex nostra Missione Ibernica ad sanctam civitatem Dei auxilio perveni, jure merito | Eminentiae 2630
vestrae me exhibeo, de Missione Iberniae quomodo vidi et v
audivi informationem daturus, de Provincia Lageniae in particulari, de aliis vero, scilicet Ultonia, Conacia et Momonia aliqua in communi.

(369) " Notum sit ergo Eminentiae vestrae quod temporibus Cromuelli tyranni, omnes Episcopi expulsi fuere praeter unicum Illustrissimum D. Episcopum Kilmorensem, qui usque in hodiernam diem in silvis latitat, modo ob nimiam senectutem ad functiones episcopales obeundas totaliter inhabilis. Sacerdotes etiam tam saeculares quam Regulares fere omnes similiter expulsi fuerunt vel metu persecutionis de Regno fugerunt juxta sacri Evangelii verba, ' si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam,' postmodum in auxilium Christianorum reversuri prout tempus ipsis dictaret, quod effecerunt. Nam singulis annis ab initio persecutionis usque in praesentem diem ab exilio in Iberniam aliqui reversi sunt, qui omnes labores maximos pertulerunt, die ac nocte vigilantes ut grex Christi a lupis rapacibus, qui suis iniquis legibus eum devorare conabantur, immunis conservaretur.

(370) " Ad quatuor capita reducuntur iniquae leges, quibus tyrannus haereticus Catholicos a fide Christi | pervertere 2631
conabatur.

(371) " 1^m. Edictum authoritate Parlamenti per totum Regnum Iberniae promulgatum fuit, ut omnes Catholici, qui Castella, praedia vel feuda possiderent, in Conaciam cum uxoribus et liberis, nemine excepto, relegarentur. Hujus legis executio facta est hyeme, ita ut vae per totam patriam audiretur, quia peregrinatio eorum tempore hyemali erat ad regionem montosam et silvestrem illis ignotam, in qua propriis domibus et bonis expoliati et velut exules habitarent. Tunc videre erat nobiles Catholicos magnae considerationis, qui quondam in suis palatiis splendide vivebant, per mensem integrum cum uxoribus et infantibus tenerrimis sub caelo aperto habitantes sine palatio, sine domo, solis tentoriis more castrorum contentos. In tam gravi persecutione illius turbae nobilium haec vox audiebatur : Catholici Romani sumus. Constantia nostra

ostendamus nos vere tales esse. Voci opera concordabant. Vix enim unus et alter ob metum perdendi sua bona fidem negavit. Quinimo gratia Dei ac vigilantia Cleri complures haeretici horum nobilium constantiam considerantes ad fidem Catholicam conversi sunt. |

2631 v (**372**) " 2m. Per totam Iberniam promulgatum fuit edictum ut omnes Catholici, qui civitates vel loca murata inhabitarent, post statutos dies in ecclesiis vel (ut potius dicam) in synagogis haereticorum comparerent sub paena vitae et bonorum confiscatione, vel ab ipsis civitatibus et locis muratis per totum Regnum discederent, insuper illis prohibito sub iisdem paenis ne mercaturam agerent. Facta hac promulgatione, omnes fere Catholici cum magna constantia Deo magis obedientes quam hominibus, civitates reliquerunt, paucis exceptis ex plebe, qui cum linguam Anglicanam non intelligerent, tanta necessitate compulsi concionibus haereticorum interesse sibi licitum esse existimarunt.

(**373**) " 3m. Per totum Regnum Iberniae promulgatum fuit edictum, ut omnes Catholici, qui diebus Dominicis non interessent concionibus Ministri haeretici, iisdem diebus dimidium numi aurei solverent. Hoc edictum maximo cum rigore executioni mandatum est, in tantum ut satellites die ac nocte per totum Regnum discurrerent et in carcerem ducerent Catholicos, donec vel mulctam solverent vel ecclesias eorum adirent et concionibus et cultui falsae religionis interessent.

2632 Propter has miserias in principio | complures ex plebe et infimae notae homines ceciderunt, existimantes cum corde crederent, nec alias ad fidem Catholicam abjurandam inducerentur, ipsis licitum esse concionibus haereticorum interesse. Postea tamen exhortationibus et privatis admonitionibus sacerdotum instructi illicitum esse cum haereticis ad audiendas conciones convenire, tum ob periculum erroris interni, cui se exponebant, tum, et maxime, quia hoc tantum signum petebant haeretici ut qui hactenus Catholici erant, ostenderent se fidem Catholicam negare ; ideoque juxta Domini verba : *qui me confessus fuerit coram hominibus etc.*, hujusmodi actiones esse omnino illicitas et haereticas, easque facientem paenis damnationis aeternae obnoxium, propterea hac Patrum in Missionibus existentium admonitione omnes fere resipuerunt, seque ab ecclesiis haereticorum adeundis in posterum abstinuerunt. Quin et genibus flexis coram confessario veniam lapsus cum lachrymis petierunt, publice voventes, etiam si

mori oporteret, se vivere velle ut veros Catholicos usque ad ultimum diem in fide Ecclesiae Romanae. Testis oculatus sum tria millia Catholicorum a festo S. Joannis Evangelistae usque ad Dominicam Resurrectionis, ne caperentur a satellitibus, die ac nocte in silvis locisque obscuris latitasse, qui satellites nulli parcebant diviti aut | pauperi, servo aut libero. Hoc tempore 2632
vix poterat ullus sacerdos se abscondere quin a satellitibus v
caperetur. Die inter Catholicos ambulare tutum non erat. Solummodo die Dominica post mediam noctem sacrum celebrare minus periculosum, eo quod satellites ob diei Dominicae reverentiam non exirent ad capiendos Catholicos.

(374) "Sub eodem tempore in Comitatu Midensi, in quo ego tunc Catholicis inservivi, octo sacerdotes simul fuere capti et communi latronum carceri mancipati, ex quibus tres fuerunt Ordinis Sancti Francisci. In aliis vero Comitatibus per totum Regnum complures. Dubliniae omnes sacerdotes, qui ibi vixerunt, duobus vel tribus exceptis, successive fuerunt capti, et post aliquot menses extra Regnum in exilium missi. Alibi quotquot sacerdotes fuerant capti, in *Insulam Bofinniae* alias relegati sunt, ibique in tetris carceribus detenti. Et quia *Innisbofinniam.* locus est ab auxilio Catholicorum remotissimus, ideo maxima cum inedia et miseria vivunt, in carcere usque nunc manentes.

(375) "Ex nostris Patribus Carmelitis discalceatis duo capti fuere. Quorum unus, nomine Kieranus a S. Patricio, sex annis, alius vero, Laurentius a S. Thoma, tribus | annis in carcere 2633
detentus fuit Pontanae (Vadiponti), sed Dei providentia in illam civitatem missus est, quam nullus sacerdos ingredi poterat, ideoque in carcere existens Catholicis ibidem degentibus majori utilitati fuit, quam si in sua libertate vixisset. Cum hoc Patre nostro, Carmelita discalceato, fuit simul incarceratus alius sacerdos, Ordinis S. Francisci. Modo libertate fruuntur hac conditione ut, quando vocabuntur, compareant. Nunc Dubliniae tres sacerdotes incarcerati sunt, duo saeculares, et unus Ordinis S. Francisci, cum quibus ego, qui haec scribo, quartus fui, sed a fratribus cum chorda per murum demissus sum. Et si evasi manus haereticorum in nomine Domini.

(376) "4^m. Omnium iniquissimum edictum contra Catholicos promulgatum est, juramentum videlicet abjurationis a nullo haeretico ante Protectorem, tyrannum, inventum. Hujus juramenti summa erat: 1°, jurare Sanctissimum D. Nostrum, Pontificem pro tempore existentem nullam habere potestatem aut jurisdictionem, directam vel indirectam, in spiritualibus

vel temporalibus supra populum Regni Angliae, Iberniae et Scotiae. 2°. In Sanctissimo Sacramento Altaris non esse corpus aut sanguinem Christi Domini, nec esse majoris valoris aut
2633 reverentiae dignam | hostiam consecratam, quam si esset
v panis communis. 3°. Sacerdotes nullam habere potestatem a peccatis absolvendi, nec verba absolutionis majoris valoris esse prolata a sacerdote, quam si a quocumque homine laico proferrentur ; et sic de caeteris principiis nostrae fidei. Denique in fine hujus juramenti oportebat jurantem sine mentali restrictione aut aequivocatione insuper jurare se interius sentire, sicut juraverat. Siqui Catholici hoc juramentum non praestabant, dividebantur eorum bona in quatuor partes. Tres ad ipsum Protectorem redibant ; quarta autem dabatur Catholico jurare nolenti. Nullum novi in toto Regno Iberniae, qui hoc juramentum praestiterit praeter duos, quorum unus egit paenitentiam, alius adhuc duro corde in suo errore vivit.

(377) " Post tantas persecutiones gratia Dei audeo dicere non esse in tota Ibernia quadraginta, quos noverim, qui ex Catholicis haeretici facti et in sua haeresi perseverent, et ex alia parte audeo dicere, quod a tribus annis quatuor millia haereticorum ad fidem Catholicam conversi sunt, ita ut pluribus in locis conquererentur praedicatores haeretici numerum auditorum indies deficere. In quodam oppido sex milliaribus
2634 Dublinia distante, una nocte ad aliquos | in articulo mortis laborantes vocatus fui, quos ab haeresi absolvi, sacramentis Ecclesiae munivi, post sacrum concionem ad populum habui, et nocte sequenti in eodem oppido sexaginta ad fidem Catholicam conversi sunt, qui cum prius concionatorem haereticum soliti essent audire, et post conversionem ultra ejus ecclesiam non adirent, minister haereticus postquam cathedram ascendisset, exclamavit dicens : ubi sunt omnes auditores mei, quos habere solitus fui. Per Deum (inquit) aliquis sacerdos Romanus hoc castellum ingressus est, suamque messem ex hoc loco collegit ; sed caveat sibi. Ego insidiabor calcaneis ejus.

(378) " Toto hoc tempore sacerdotes tam saeculares quam Regulares per totum Regnum praeterquam in civitatibus Missas celebrabant et conciones habebant ad populum tempore nocturno. Ipse caeteros imitatus per quinque annos continuos tempus nocturnum transegi, audiendo confessiones usque ad mediam noctem, post mediam vero noctem in celebrando Missam, Eucharistia confessos reficiendo, eosque ad vitae

emendationem et ad fidei perseverantiam hortando et alia sacerdotalis functionis exercitia peragendo.

(379) " Toto tempore persecutionis Clerum gubernabat in diaecesi Midensi Oliverus Desseus, Episcopi | defuncti 2634
nepos cum maxima pace, dividebatque singulis sacer- v
dotibus parochias. In locis vero, in quibus non habebat sacerdotes saeculares, ex consensu suorum superiorum vocabat sacerdotes Regulares, et in maxima pace et unione omnes vivebant laborantes in vinea Domini. A tribus vero annis Illustrissimus Dominus Antonius Geogheganus, Midensis Episcopus, in Iberniam venit et in sua diaecesi residens suorum omnium curam gerit cum maxima totius Regni consolatione. A tempore sui adventus usque ad meum ex Ibernia discessum octoginta millibus Catholicorum Confirmationis sacramentum contulit, plures convertit haereticos, et ex omnibus partibus Iberniae aliquos sacerdotes consecravit. Ex quibus, qui sufficienter docti non erant, juramento astrinxit ut partes ultramarinas studiorum causa peterent.

(380) " Dubliniae toto tempore, quo tyrannus, Cromuellus, gubernabat, nullum novi Vicarium Generalem aut Apostolicum, neque ullum sacerdotem saecularem praeter unum D. Patricium Relly, qui, Dubliniae natus et educatus, ibidem toto persecutionis tempore inter tot pericula nunquam captus constanter vixit. At vero omni | tempore ibi se exposuerunt Regulares ex 2635
Ordine S. Dominici, ex quibus duo modo ibi existunt ; ex Ordine S. Francisci, ex quibus quatuor diversis temporibus capti fuerunt, et modo quando Dublinia discessi, vivebant tres ; e Societate Jesu, ex quibus unus fuit captus et in exilium missus et nunc duo vel tres ibi existunt ; ex Ordine nostro Carmelitarum discalceatorum, ex quibus modo duo ibi existunt. A Dublinia vero quadraginta milliarium spatio juxta mare versus Comitatum Wexfordiae nullus sacerdos inveniebatur donec ego indignus et omnium minimus assumpsi mihi in sortem istis partibus derelictis inservire, et duobus annis in illis locis laboravi. Sed modo gratia Dei, antequam ex Ibernia discederem, ibi fuerunt tres sacerdotes saeculares, duo Religiosi S. Francisci, et unus ex nostris Carmelitis Discalceatis. Quo factum est ut qui per multos annos non viderunt sacerdotem in illis locis, nunc sacra communione singulis mensibus reficiantur. Ab alia vero parte civitatis juxta mare versus Pontanam omni tempore plures fuerunt sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, qui maxima cum constantia gregis | commissi curam egerunt. 2635
v

(**381**) " A tempore autem quo Rex noster jura Regni acquisivit, Dubliniae habemus pro Vicario Apostolico D. Jacobum Demsy, qui saepe conciones ad populum habuit, et a tempore sui adventus sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, in unum convocavit ut decernerent quid agendum pro faciliori modo administrandi sacramenta Catholicis et pro conversione haereticorum, ex quibus singulis diebus aliqui convertuntur ita ut a tribus annis certus sim quod in Comitatu Dubliniensi et Comitatu Wicloensi plures quam tria millia conversi sunt, et ego testis oculatus sum de mille conversis per nostros Carmelitas Discalceatos in praedictis locis. De aliis duobus millibus, quos non vidi, a diversis audivi et certus sum conversos ad numerum praedictum.

(**382**) " De Comitatu vel diaecesi Kildariensi solum dicere possum plures ibi esse sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, ex quibus aliquos novi, qui magna constantia ac labore omni tempore se periculo exposuerunt ut sacramenta
2636 fidelibus administrarent, et ut eos, qui | tempore persecutionis lapsi fuerant, ad fidem revocarent.

(**383**) " In diaecesi Laghliniensi novi D. Carolum Nolanum, Vicarium Generalem, virum egregium, sanctum et doctum, qui multum passus est pro ovibus suis, nec tamen ab eis ullo tempore recessit, in medio inimicorum locisque periculosissimis vivens. Die quidem in silvis et montium cavernis latitabat, nocte vero oves visitabat et sacramentis Ecclesiae muniebat. Apud hunc Reverendissimum Dominum per unum diem hospitatus fui cum maxima mea consolatione et de casibus conscientiae conferentiam simul habuimus, sed illa die ter a domo, in qua conveneramus, ad silvas propter transeuntes milites fugere oportuit. In quodam Castro hujus Comitatus sacramenta ministravi centum hominibus, viris et mulieribus, qui a tribus annis nec confessi fuerant nec Sanctissimum Sacramentum sumpserant. Imo complures eorum nunquam ante id tempus se Missae sacrificio praesentes fuisse affirmarunt, eo quod Patriae sacerdotes haereticis in hoc Castro habitantibus noti essent. At ego de die cum haereticis tanquam miles et ut unus ex
2636 illis ambulabam ; et de nocte | Catholicis Confessionis et suo
v tempore Eucharistiae sacramentum ministrabam. Sunt in isto Comitatu duo alii sacerdotes, unus Ordinis S. Francisci, et alius Abbas Ordinis Sancti Bernardi.

(**384**) " In Comitatu Wexfordiae sunt plures sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, ex quibus tres vel quatuor a duobus

annis fuerunt capti et incarcerati et nondum relaxati. Hujus Comitatus Vicarius Generalis est vir insignis tum sanctitate tum doctrina, ut ab aliis didici ; ipsum namque non vidi. In isto Comitatu plures haeretici ad fidem Catholicam conversi sunt. Testis ego sum quod in partibus propinquioribus illius diaecesis Comitatui Wicloensi plures viginti una hebdomada a quodam Religioso nostro, Carmelita Discalceato, conversi fuerunt.

(385) " In Comitatu Kilkenniensi scio plures esse sacerdotes tum saeculares tum Regulares, qui suum habent Vicarium Generalem, quemadmodum a sacerdote illius Comitatus didici. Aliquid tamen particulare de ipsis scribere non possum, ex quo enim in Iberniam ivi, in illo Comitatu non fui.

(386) " In Ultonia certissimum est, in omni diaecesi, suos | esse Vicarios Generales. E quibus tantum novi Reverendissimum 2637
D. Philippum Croly, Vicarium Generalem diaecesis Clogherensis, virum doctum et (ut dicitur) politicum, qui in ipso principio sui adventus in Iberniam in Ultonia ab haereticis captus, Dubliniam ductus, ibique in Castro Dubliniensi duobus annis in carcere detentus fuit. Quo tempore ab Henrico Cromuello, Protectoris filio et Iberniae Prorege, maximos favores recepisse dicitur, a quo relaxatus fuit ista conditione, ut quando vocaretur. compareret. At morte Protectoris et Gubernio isto per Regis nostri, Caroli, adventum mutato, absolute sua fruitur libertate,

(387) " In Conacia certum est etiam suum esse in omni diaecesi Vicarium Generalem, et tantum novi Vicarium Generalem diaecesis Elphinensis. In hac Provincia a tempore, quo facta est transplantatio, persecutio non erat tanta sicut in aliis Provinciis. Nihilominus in illa Provincia plures sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, capti fuerunt et plures haeretici ad fidem Catholicam conversi sunt, | visis signis et miraculis, 2637
quae a Reverendo Domino Jacobo Fienach, sacerdote nativo v
hujus Provinciae patrantur, cui Deus gratiam curationis et in liberandis energumenis maximam virtutem concessit. Propterea ex omnibus Regni partibus ad ipsum concurrunt tam infirmi, quibus Deus servi sui meritis sanitatem concedit, quam energumeni, qui etiam exorcismo liberantur.

(388) " In Momonia immediate post ingressum meum in Iberniam fui. In civitate Corcagiensi tres sacerdotes novi, unum Ordinis Sancti Dominici, qui sua fruebatur libertate, unum Ordinis Sancti Francisci, et alium sacerdotem saecularem, ambos in carcere, a quibus didici extra civitatem plures esse

sacerdotes tam saeculares quam Regulares, qui in suis parochiis respective viventes gregis Christi curam habebant et cum periculo suae libertatis sacramenta fidelibus Christi ministrare non dubitabant.

(**389**) " Ecce habes, Eminentissime Domine, oppressae Patriae tam in temporalibus quam in spiritualibus infor-
2638 mationem. Sub umbra protectionis | tuae recurrit. Interim Deum rogo ut Eminentiam vestram ad multos annos pro suorum solatio et communi bono totius Ecclesiae Catholicae incolumem conservet. Datum in Conventu nostro S. Mariae de Victoria die . . . . Martii anno 1662.

Eminentiae vestrae etc."

(**390**) Inter haec Ormonius, Regis per plures annos anteriores in Gallia, Germania, Flandria, Hollandia et Anglia Achates, a Rege in Angliam regresso in domus Regiae Dispensatorem et Ormoniae Ducem cooptatus, eodem anno 1662 ex Anglia in Iberniam Prorex remigravit ; ubi sacerdotes et Religiosi omnes, qui carcere detinebantur, in novae Reginae Angliae sororis Lusitani, quam Anglus sibi matrimonio copulavit, gratiam, libertate donati sunt, deindeque sub Ormonio, Prorege, sensim sine sensu persecutio multum deferbuit, legibus tamen paenalibus, quae in fidei Catholicae et Catholicismi perniciem latae fuerant, nullo statuto contrario refixis, imo duabus pacis conventionibus, quarum unam anno 1646, et alteram anno 1649 inter Confaederatos Iberniae Catholicos et Ormonium
2638 celebratam fuisse vidimus, | rescissis, faedere illo Catholico
v juxta ac altero Puritanico, quod ab haereticis in Regem Carolum I^m^ rebellibus inter se percussum fuisse vidimus, Regis Caroli 2^i^ et Parlamenti Anglicani sententia improbato et illo Puritanico in ipsa Scotia, ubi caeperat, nedum in Anglia ubi progressum fecerat, ab ipsis haereticis jam Regem sequentibus in flammas dato.

(**391**) Carolo 2° hunc in modum ab ipsis Anglis domum accito, atque in integrum restituto, et Cromuellistis illis, a quibus Iberniam expugnatam fuisse diximus, Angliae fortunam, sortem, et nutum sequentibus, proindeque Regi obsequentibus, ac denique tota Ibernia per hanc viam Ormonio tanquam Proregi et Ormonio Iberniae restituto, iis, qui ex eventis et rerum successu prudentiam ponderant, praesertim ipsius Ormonii fautoribus suppeditata est occasio solito confidentius asseverandi eum anno 1647 mente, consilio, et obsequio in Regem

singulari rebus Regiis prospexisse quod rebellibus Angliae Parlamentariis Dubliniam tunc et vicina praesidia tradere quam Confaederatorum Iberniae Catholicorum praesidia et conditiones ab ipsis oblatas admittere | maluerit, quasi tunc rebus 2639
prudenter consideratis metuens ne Catholici, praesertim Nuncii partes, si praevalerent, Regis jugum excuterent, et tanquam ratus Regem ab ipsis demum Anglis potius quam ab Ibernis postliminio restituendum, sicut successit. Verum omnino certum est eum anno 1647 fuisse rerum et personarum statum et circumstantias ut Ormonio et Regi millies plus Ibernis quam Parlamentariis fidendum esset, sicut ipse Ormonius postea anno 1648 ab Ibernis in Proregem iterum accitus experientia didicit, cum Iberni etiam sub ipso Ormonio bona omnia, vitasque ipsas profuderint, Regem liberaturi ab illis rebellibus, qui eum porro capite truncarunt, ejusque filii, Caroli 2, sanguinem sitierunt, secuto deinde illo malorum diluvio, a quo Ormonius domum regiam, partes regias, et suam patriam (ut credere par est) praeservasset, nisi Dubliniam et alia illa praesidia nefariis illis sicariis permisisset, qui Regem non revocarunt nisi ut ipso velut instrumento uterentur, quo debitam flagitiis animadversionem et alias imminentem ipsis ruinam declinarent, ac
sub | ipso plusquam sub Cromuello Catholicorum patrimoniis 2639
inhiarent ita tamen ut a gravissimo Cromuelli jugo respirarent, v
posthac utinam non ad genium redituri, et in Regem rebellaturi, ubi primum occasio se obtulerit.

(**392**) Ormonio Dubliniae honorificentissime excepto et ad Proregis Iberniae clavum sedente, ejusdem Regni Triumviratus expiravit. Sub quo iniquissimum Parlamentum Rusticorum, quod Dubliniae anno 1661 mense Maio convocatum fuisse vidimus, omnia statuit in haereticorum commodum et ruinam Catholicorum, exceptis (si cum tanta Catholicorum multitudine comparentur) paucis, iisque pene Ormonistis, adeo ut non solum ii pene omnes qui Nuncio in nupero bello adhaeserant, sed etiam magna ipsorum Ormonistarum pars illam ruinam passi sint justo Dei judicio, quo factum ut Ormonio, cui in Ecclesiae praejudicium adhaeserant, et in quo maximam spem collocaverant, triumphante, haereticis succubuerint. Hinc Ibernorum, praesertim eorum qui Nuncio adhaeserant, non
pauci | foris miseria atque inedia contabescere quam sub 2640
Rege et Ormonio domum redire maluerunt. Porro ex Triumviris, ante Iberniae Justitiariis, qui in hac ruina Iberniae Catholicis procuranda strenui fuerant, duo, nempe Carolus Cootus,

Comitis Montrathensis honore et Praesidis Conaciensis officio a Rege exornatus, multisque Catholicorum possessionibus ditatus, nec non Mauritius Eustacius, haereticus Iberniae Cancellarius, haud ita diu post impias animas efflarunt, et Supremo Judici tremendam suae crudelitatis rationem reddiderunt.

(**393**) Insequinnius in bellis superioribus toties nominatus specialem hic sui mentionem exigit. Is ex quo in Galliam cum Ormonio ex Ibernia anno 1650 trajecerat, ibi plures annos Gallo militavit ita Legionis Ibernicae Chiliarchus et ab Angliae Rege ibidem ex Barone Comes creatus ut eum Gallus ad altiores militiae praefecturas demum promoverit. Sic ille castra Gallicana secutus nunc in ipsa Gallia, nunc in Catalaunia, nunc in Italia adversus Hispanum bellavit, ut demum ad fidem |
2640 Catholicam conversus sit et filium secundo genitum nec non
v filias Parisiis ab haeresi convertendas, Catholiceque educandas curarit. Quare nedum uxor haeretica, sed et ipse tyrannus, Cromuellus tunc vicinis, etiam Regibus, terribilis, in eum excanduit, ut faedere cum Rege Christianissimo demum in Hispanum conjunctus eum exautorandum curarit, legione tamen illa Ibernica ejus filio primogenito, Guillelmo, haereticum profitenti a Gallo decreta, in quem patris locum Chiliarchus successit, Insequinnio (me Parisiis praesente) stupente et conquerente se quidem, dum haereticus esset, ad praefecturas militares in Gallia provectum, sed post conversionem, cum expectaret ut propterea magis exaltaretur, legione atque aliis praefecturis militaribus multatum, idque quod Catholicus esset et sub Rege Christianissimo ejusque Ministro Status primario non haeretico nec alio Catholico quam S.R.E. Cardinale Mazarino, in Italia, ubi haeresis et haeretici singulariter horrori sunt, nato atque educato, et denique ut haereticorum profligatissimi atque Ecclesiae persecutoris immanissimi, Cromuelli,
2641 vôtis satisfieret. Verum nemo ignoret | Gallum, ejusque ministrum Primarium, Cardinalem Mazarinum, per plures annos ita rebellis Parlamenti Anglicani et nunquam sine horrore nominandi Cromuelli nequitiam et tyrannidem palam horruisse ut id in Galliae damnum haud mediocriter redundarit, nec illam belli societatem a Galli Ministris cum Cromuello fuisse pactam, nec eos praefato ejus voto, aliisque tyranni postulatis acquievisse, nisi aegerrime et ut Galliam jam bellis domesticis detritam, aliundeque Regis Catholici armis impetitam, ab illius praedonis latrociniis atque invasione, ad quam ille gestiebat, praeservarent, Porro (ut ad Insequinnium redeam) quodam dierum Parisiis

contigit ut Locardus, Cromuelli ibi Legatus, ejus filiolum secundo genitum recens Catholicum ad se furandum curarit, id assecuturus ut in Angliam vel alio pervertendus et ritu haeretico educandus mitteretur ; sed Insequinnius prudenter submisit, qui puerum ad se clam reduxerint. Quo cognito Locardus interposita apud Cardinalem Mazarinum et Aulam Gallicanam sui Cromuelli authoritate eum audacter repetiit. Verum Insequinnius magna animi constantia et zelo ejus insultus repressit, respondens se prius colla daturum | quam commissurum ut 2641
filius jam ab haereseos peste mundatus, ea iterum infernali lue v
contaminaretur. Caeterum ipse, ubi pacem jam inter Gallum et Hispanum contractam vidisset, cum Guillelmo, jam dicto filio ejus natu maximo ex Gallia in Lusitaniam cogitavit ut ibi Lusitano in Regem Catholicum bellaret. Verum inter navigandum a Mesganae pyratis, qui inter pugnam illam navalem Guillelmi oculum effoderant, captus et cum eodem suo filio jam monoculo Mesganam tractus est, Affricae minoris oppidum ad oram maritimam, quod nunc excrevit eo ut caput Regni dicatur, estque *Alger*, vulgo Italico *Algieri*, Anglico *Algiers*. Unde Insequinnius recens captus ad D. Joannem O Mollonium, sacerdotem, sibi charissimum, Parisios litteras scripsit, et alias indidem 20 Februarii 1660 ad P. Goaghum Anglice dedit, quas solas vidi, easque hic Latinas habe :

" Reverende Pater.

(394) " Cognatus meus, P. Mollonius, tibi referet in quo hic statu sumus, et cum Deus Opt. Max. me antea (qua via ad Ecclesiae gremium reductus fui) fortunis exuerit, haud diffido quin hoc medio utatur, quo me ulterius ducat ut ad animae salutem proficiam. Ecclesiae | persecutoris talis, qualis ego 2642
fui, haud severa est paena ut pati cogatur, quicquid hic pati possum et haec efficacissima potest esse via, qua eo redigar ut tempus praeteritum paenitentia redimam et in futurum meis actionibus Deum glorificem. Indignus et distractus status, in quo mea familia se tenent, eo me impulit ut plus nimio animum intenderim assequendis mediis, quibus in mundo vitam degerem ea ratione, quam honorificam vocant. Nunc autem, cum mea industria ad nihilum reciderit, unum ex magnis vinculis, quibus mundus me detinuerat, ruptum est et cum una ab aliarum tentationum, quae forsan in meas animi propensiones nimiam potestatem exercuerant, occasione divulsus sim, spero me alias, quae me in praestandis Deo obsequiis negligentiorem reddiderunt, faciliori negotio superaturum. Ad quam victoriam

reportandam tuarum precum auxilium imploro." Haec Insequinnius, qui, Rege Angliae secundante, in libertatem assertus Lusitaniam petiit, ubi P. Daniele O Dalaeo, vel (ut in suo Ordine Domincano vocatur) Dominico de Rosario, apud Lusitanum, ejusque matrem magno, a quo ille ante in Lusitaniam
2642 ad ibi bellandum allectus fuerat, | adminiculante, haud
v mediocrem pecuniae summam a jam dicto Lusitaniae Rege et Regina ad suae captivitatis damna resarcienda obtinuit. Qui deinde in Angliam reversus, filium, Guillelmum, in libertatem assertum suae Legioni Ibernicae in Gallia praefecit, ipseque contractis (sicut dixi) inter Anglum et Lusitani sororem nuptiis, proindeque Anglo Lusitanum in Regem Catholicum suffulciente, aliquot militum millibus praefectus est, ab Anglo in Lusitaniam destinatis, quibus ille cum aliquandiu in eo Regno praefuisset, demum ipsis Christopherum O Brien, germanum, antea per aliquot annos in Hispania sub rege Catholico Legionis Ibernicae Chiliarchum, deindeque sub ipso Insequinnio in bello Gallico satis versatum praefecerat, ipseque ex Lusitania domum remeavit. Quem ex Angli declaratione 30 Novembris 1660 circa res Ibernicas edita suum patrimonium recuperasse vidimus, sed non Momoniae Praesidis officium ipsi anno 1648 ea lege decretum ut ad Regis obsequium rediret. Quam ille conditionem tunc (ut vidimus) praestitit, et officium illud anno 1648, 1649 et 1650 in Ibernia exercuit, atqui eo nunc in conversionis et |
2643 Catholicismi paenam multatus translato a Rege in ejus aemulum, Brohillum in Oreriae Comitem una cooptatum. Quam ergo melius animae rebusque suis, nedum publico patriae bono Insequinnius consuluisset, si saluberrimis Nuncii, qui eum ab anno 1646 per viros nobiles ipsi amicos secreto ad Confaederatorum Catholicorum partes attrahere, atque ad fidem Catholicam convertere conatus fuerat, monitionibus potius acquievisset, quibus posthabitis in haereticis spem ponens illas anno 1648 cum Ormonistis inducias contraxit, quae tot Nationis discordiis, natoque exinde ejus excidio occasionem praebuerunt.

(**395**) Ratio etiam postulat ut Muscrii ad annos superiores toties memorati mentionem faciamus. Is ex custodia Dubliniensi, in quam a Cromuellistis conjectum fuisse vidimus, demum dimissus, sed lautissimo patrimonio excussus, atque in exilium missus, ad annum 1654 ex Ibernia in Galliam navigavit, exindeque aliquot nobilibus patriotis cohonestantibus, in Poloniam digressus est, ubi eum Poloniae Rex honorifice tractavit et competente pecuniae summa ad se in exilio sus-

tentandum donavit. Postea quoque cum eo in Hispaniam profecto Rex Catholicus perhumaniter et liberaliter egit. In | Hispania aliquandiu commoratus, demum in Galliam re- 2643
migravit, et ab Anglo tunc in Flandria se tenente Clancartiae v
Comes salutatus, eodem Rege statuente, primaevum Muscriae Vicecomitis titulum Cormaco, filio primogenito, reliquit, exindeque Parisios se recepit ; ubi cum uxore Helena Butlera, Ormonii sorore primogenita, Maria Butlera Georgio Hamiltono, Equiti aurato, nupta, altera Ormonii sorore, et Richardo Butlero, Chiliarcho, Ormonii germano fratre, triumque familiarum in unam ibi familiam coalitarum liberis ita pedem fixit ut omnes urbem Parisiensem pietatis flagrantia et suavissimo Christianae conversationis odore repleverint, suumque exilium ac vastam bonorum jacturam fidei causa toleratam ibi nobilitarint usque ad annum 1660, quo Regis in Angliam recens regressi autoritate Londinum invitati, deindeque in Iberniam reversi patrimonia recuperarunt, Cormaco, Clancartiae Comitis primogenito, Muscriae tunc Vicecomite, per aliam viam ex Flandria in Angliam profecto. Quo loco Clanricardiae | Marchionis ad annos superiores toties nominati, et paulo ante in 2644
Anglia defuncti filiam et prolem unicam jure quoque materno opulentam in uxorem duxit, ejusdemque Clancartiae Comitis filiarum Parisiis pie atque honorifice educatarum primogenita, Margarita, Fingalliae Comiti, ejus quem inter nuperum bellum haud semel memoravimus, filio, et secundogenita, Evelina, solam linguam Gallicam, quam in exilio parvula didicerat, callens Desiae Vicecomiti nupsit recens ab ambarum regressu.

(**396**) De multis aliis nostratibus proceribus et nobilibus in exilium sub Cromuello missis non nihil dicendum restat. Ex quibus nobilissimus Chiliarchus, David Rochaeus, praeclarissimi Vicecomitis Fermoiensis filius natu maximus, qui cum patre de causa Catholica in nupero bello Ibernico optime meritus erat, haud ultimum sibi locum vindicat. Is Vicecomite, patre, in tanti zeli odium ab haereticis avita haereditate spoliato et inclyta matre in zeli ardentioris paenam ab iisdem carnificibus (O horrendam haereticorum Anglicorum barbariem) laqueo suspensa atque adeo martyrio ob majorem mortis ignominiam in fidei odium illatam longe | gloriosiori coronata, in Flandriam 2644
exulavit ; ubi aliquot exilii annis magna ex parte inter preces, v
genuflexiones infatigabiles, audienda sacra et alia divina devotionis exercitia transactis adeo sancte vixit ut omnibus eximium totius Christianae probitatis exemplum praebuerit.

Cujus sororius, Castelli-Conaldi Baro, et amitinus, Mac-Cartius *fuscus*, dynasta praeclarissimus, in Flandriam pariter exularunt ; ubi Cormaco Mac-Cartio, Muscriae Vicecomiti jam dicto adhaerentes, sub ipso in Ducis Eboracensis legione Ibernica bellatores honorarios egerunt, cum eodem juxta Regis declarationem 30 Novembris 1660 datam postliminio restituti.

(**397**) Taaffus, Vicecomes, Regi et Ormonio in Gallia, Germania, Flandria et Hollandia adhaesit, filia ejus apud Flandriam cuidam opulenti Londinensi interea nupta, cum qua mater sua, Taaffi uxor, et Vicecomitissa, etiam Cromuelli diebus ex Flandria Londinum petiit, ibique aliam ementita apud filiam delituit, usque ad Regis regressum, quo tempore cum multis aliis larvam deposuit.

(**398**) Vicecomes Dillonus cum uxore, praefatae Vicecomitissae sorore, et liberis, sub Cromuello ex Ibernia in Hispaniam,
2645 exindeque in Belgium | trajecit. Ubi uxor, quae eatenus in haeresi perfracte perstiterat, demum ab ambarum Vicecomitissarum germano fratre, P. Eduardo Whitaeo, Capucino Iberno, Bruxellis ad fidem Catholicam conversa, inter dulces paenitentiae amaritudines, lachrymas, ac devotissimos singultus in Capucinorum ecclesia Bruxellensi ab eodem absolutionem accepit. Quorum Vicecomitis et Vicecomitissae filius primogenitus, Carolus Dillonus, legione Ibernica in Flandria privatus in Franciam se recepit ; ubi Ludovico 14° militans optimae legioni Ibernicae in urbe Attrebatensi praesidiariae praefuit majori compendio quam si castra vel Hispanica vel Gallica sequeretur.

(**399**) Nec silendum est ex utroque sexu nostratium plurimos, quorum si vel catalogum contexerem, lectorem taedio afficerem, in exteris regionibus, praesertim in Gallia, Hispania, Germania, Flandria, Polonia et Italia, ita ex alienigenarum consortio et consuetudine varias linguas artesque didicisse et ad res domi militiaeque gerendas evasisse se ipsis longe habiliores, ut Iberniae hac ex parte perutile fuerit quod aliquot annos exularint, et domum deinde sub Rege politiores redierint. Eos etiam Iberniae Catholicos, qui domi sub Cromuelli et Cromuel-
2645 listarum tyrannide permanserant, adeo | insupportabile jugum
v et tam dura necessitas ad nuntium otio ante in Ibernia alte radicato, multisque perversis moribus huic uni vitio annexis remittendum atque ad omnem industriam exerendam coegerat, ut ex hostium nequitia, Deo paterne providente, magnum hunc fructum collegerint. Ad legiones Ibernicas, quas Anglo ante

regressum in Belgio adhaesisse vidimus, quod spectat, Muscrius anno 1661 ineunte, a Rege ex Anglia in Belgium missus est ut eas Dunkerkam tunc juris Anglici duceret, et ibi praesidiarias collocaret. Quod et factum et illis ibi bene provisum est ; sed postea magna ex parte in Iberniam remigrarunt.

(**400**) De Richardo O Ferallo, exercitus Ultoniensis aliquandui Legato Generali et virium Conaciensium ad annum 1648 Imperatore non nihil dicendum est. Is ad annum 1653 (ut vidimus) cum legione Ibernica ex patria Insula in Hispaniam navigavit. Verum Richardo Madritum profecto, legio illa deinde in Aquitaniam ad militandum ibi Hispano transvecta, ad Gallum transiit et Richardus aliquot annos in Aula Madritensi litigavit, conatus assequi ut ipse non propterea mercede condigna | destitueretur. Quem Archiepiscopus Firmanus et 2646
Massarius litteris ex Italia in eam Aulam scriptis summopere commendarunt. Quibus tamen haud factum ut ibi multum profecerit. Quare ex Hispania Romam se recepit, ubi ad Alexandri septimi pedum oscula admissus, licet haud pecuniosus esset, nihil tamen in subsidium postulavit. Verum quidam alius non a Pontifice quidem sed ab ejus Ministris ipsi velut de causa Catholica in Ibernia optime merito, et propterea ruinam passo opem petiit, nec illi (sicut P. Richardus O Ferallus Capucinus Ibernus, tunc Romae residens mihi retulit) nisi duo scuta obtulerunt. Roma Viennam, Germaniae civitatem principem, se contulit, ubi Imperatori supplicavit, ut sub suae Caesareae Majestatis vexillis stipendia faceret ; exindeque P. Richardo, Capucino jam dicto, cujus suasu anno 1648 in Ibernia Nuncii partes in Confaederatorum bello civili circa inducias et censuras tunc gesto secutus fuerat, Florentiam Anglice scribens : " Si (inquit) Reverentia vestra mihi, cum in Ibernia essem, permisisset neutras amplecti partes et meum sequi consilium, modo in meliore forem conditione. Tuum vero consilium secutus ambarum partium favore destituor in magnum meum praejudicium." Sic ille 2 Aprilis 1661. |

(**401**) Jam ad hujus historiae calcem quorundam nostratium 2646
mors perstringenda est, qui posterioribus annis diem obierunt. v
Ex quibus O Sullevanus Bearrensis, non ille, quem anno 1653 in Galliam exulasse diximus, sed hujus contribulis, Comes Dunboiae, seu (ut Anglice vocant) *de Beerhaven*, quem ad ineuntem annum 1649 a Rege Catholico in Iberniam ad Confaederatos Catholicos allegatum esse et exinde in Hispaniam remigrasse vidimus, in Hispania ad annum 1660 decessit, vir

prudens et suae nationis ornamentum singulare. Ex uxore Hispanica filiam in Hispania reliquit unicam, ex asse haeredem. Pauloque post ibidem obiit Hugo O Nellus, Eugenii O Nelli, virium Ultoniensium Imperatoris nominatissimi ex fratre nepos et ipse in bello Ibernico nominatissimus, qui Limerici anno 1651 Gubernator, urbe haereticis ab Ormonistis dedita, in Angliam transmissus, Londini in custodiam datus, et anno 1653 libertate donatus, in Flandriam, exindeque in Hispaniam trajecit ; ubi mortuo deinde Tironiae Comite, suo contribuli, in illam dignitatem ita successit, ut castra Hispanica secutus,
2647 et in illis nescio | quam praefecturam eminentem adeptus, rebus in Lusitanos praeclare gestis, haud mediocrem sibi et universae nationi Ibernicae gloriam hactenus compararit. Morti vicinus Tironiae Comitis titulum et haereditatis avitae in Ibernia vastissimae, in qua haeretici involaverant, recuperandae jus Hugoni O Nello, praefati Eugenii, patrui sui, ex filio unico ad annum 1650 ab haereticis in Ibernia perempto, nepoti unico reliquit tunc adolescenti Romae litteris humanioribus operam danti, deindeque in Hispaniam profecto ut sub Rege Catholico bellaret.

(**402**) Mac-Cartius Magnus, Daniel Mac-Cartii, Florentii Mac-Cartii ex Helena Clancartiae Comitis filia et superstite prole unica legitima filius ab oblivionis injuria vindicandus est. Is prima uxore, Joanna Hamiltona, defuncta, secundam in Ibernia uxorem duxit, Soracham Mac-Donaldam, Antrimiae Marchionis sororem germanam. Ex qua filio et filiabus binis susceptis, ubi Iberniam a Cromuello et Cromuellistis subactam vidisset, in Hispaniam navigavit. Quo liberorum ex primo matrimonio susceptorum tres, duos filiolos et filiolam secum
2647 transtulit, horum sorore germana | primogenita, Helena seu
v Evelina in procinctu ad conscendendum Mac-Cartii *Fusci* filio, Donocho, apud Iberniam elocata, eaque nec non Sorocha, uxore, cum tribus liberis ex hac procreatis ibidem relictis. Inter navigandum in Hispaniam a piratis Anglicis spoliatus, adeoque ad majores rerum angustias, quam antea, redactus, post appulsum in Hispaniam reliquit filiolam apud quendam non magnae conditionis Hispanum, ipseque Madritum perrexit id effecturus ut eodem postea filiola transportaretur. Verum is apud quem eam reliquerat, mandatis ejus spretis eam dimittere noluit, quam etiam suis ovibus ducem et custodem adhibuit, eaque pro tenellis nobilissimae puellulae viribus et annis velut famula tam ipse quam uxor utebatur, usqueadeo

ut Mac-Cartius Madrito reversus eam ipsis non nisi authoritate publica extorserit. Cui deinde Madriti honorifice providendum curavit.

(**403**) Binorum filiorum in Hispaniam transvectorum natu maximus, Florentius, vix egressus ex ephebis, cum parva militum Ibernorum manu, cui praeerat, in Regis Catholici naves importatus, ibi aliquandiu magnas | et multas aerumnas 2648
devoravit, demum cum suis militibus in Aquitaniam translatus ut ibi Hispano et Vasconibus faedere cum Hispano conjunctis, nec non Principi Contio, eorum Imperatori, in Gallum militaret. In Aquitania suis militibus excussus fuit, eaque provincia a Rege Christianissimo ad obsequium redacta, datam Hispano fidem non fefellit, nec ad Galli partes transiit. Ita Regis Catholici mandato in Belgium navigavit, ubi aliquandiu militem honorarium egit sub Principe Condaeo, qui cognito cujus esset conditionis, eum humaniter tractavit. Ex Belgio deinde Florentius ad patrem in Hispaniam rediit, ibique Rege Catholico decernente sub Waltero Dungano, Census Equestris Chiliarcho Iberno, in castris Hispanicis centurionem egit, a Waltero pro ejus in omnes more, humanissime tractatus, cui etiam frater secundogenitus, qui Madriti bonis litteris operam dederat, in bello adhaesit, ut Florentius quidem linguam Ibernicam haud oblivioni tradiderit sed secundogenitus, Daniel nomine, praefataque amborum soror Madriti pedem figens non nisi Hispanice loquerentur. Multi enim (ut obiter et semel dicam) ex nostratibus utriusque sexus, qui inter illam | exulantium exundationem tenella aetate cum parentibus vel 2648
amicorum aliis in regiones exteras transmigraverant, Rege v
Angliae deinde restituto, in patriam remigrarunt, Ibernicam obliti et linguarum callentes earum nationum, quas foris frequentaverant. Quod prae aliis contigit in magnatum et nobilium filiabus, quae monialibus in disciplinam datae ad aliquot annos a popularium consuetudine remotae in Monasteriis delituerant ut deinde Ibernis, saepe etiam suis parentibus et maritis solam linguam vernaculam callentibus non nisi per interpretem loquerentur, saltem primis mutuae consuetudinis mensibus, antequam et ipsae linguam vernaculam didicissent.

(**404**) Mac-Cartius liberis tribus eo statu in Hispania relictis, et obtenta tam ipsis quam sibi a Rege Catholico, Philippo 4°, non nulla pensione annua, ad annum 1659 in Galliam navigavit, et aliquot menses Parisiis commoratus, exinde anno 1660 Carolopolim, urbem, quam in confinio Belgico Mosa,

fluvius, alluit, se recepit ; ubi a Capucinorum ibi Ibernorum Conventu summa humanitate cumulatus, Tertii Ordinis S.
2649 Francisci habitum sub veste | saeculari gestandum suscepit et in Flandriam descendit. Illic, juxta mandatum ex Hispania missum, *Chiliarchi reformati* stipendiis impertitus, demum anno 1661 ibidem decessit septuagenario major, homo adeo sobrius ut ebrietatem et ebrios pati nequiret, et lympha vel cervisia secundaria aut lacte sitim sedaret, vitae austeritati etiam senex adeo deditus ut nedum breviora, sed etiam biduana et ulteriora jejunia omni prorsus cibo et potu abstinens, licet suapte natura edax frequentaret, et ii qui in ejus familiaritatem penetrassent, stuperent, quo pacto praeterquam miraculo nimia eum vitae austeritas et jejunia non necarint. Adeo precibus apud Deum et Sanctos fundendis, genuflexionibus, terrae osculandae, nocturnis vigiliis, chameuniis seu super pavimentum dormitionibus, pectoris tunsionibus, et id genus paenitentiae atque humiliationis exercitiis citra finem assuefactus, ut in his esset totus et mihi confidenter dixerit, se lamentatum, quod frater suus natu major diutius non vixerit, ut ipse vitam non in vastissimo suo Desmoniae Principum patrimonio, in quod
2649 haeretici Anglici atque alii | involaverant, litibus Londoni et
v Dubliniae per tot annos protractis repetendo consumeret, sed totam obsequio Divino consecraret. Pro inimicis et iis, qui in Regiae atque antiquissimae domus suae possessiones invaserant, saepissime et libentissime Deum orabat. De quorum non nullis adeo bene mihi loquebatur, ut eorum prae mortalium reliquis amantissimus videretur, et praesertim eorum cuidam, quia sobrio et temperato supra modum bene cupiebat. Hanc enim virtutem (sicut dixi) tanti faciebat, ut quemcumque ea praeditum, benevolentia, ea destitutum horrore prosequeretur.

(**405**) Ab exteris Principibus, praesertim a Rege Catholico, eam accepit in exilio opem pecuniariam ut (si vellet) ipsi suppeteret unde suam inter exteros vitam honorifice sustentaret. Verum ita saeculi calcabat fastum, luxum et luxuriam, et eum suorum patriotarum aerumnis contabescentium miserebat, ut in ipsos, praesertim in viros ecclesiasticos, et adolescentes bonis litteris operam navantes, seque Deo olim in statu ecclesiastico consecraturos atque alios populares omnia erogaret, ipseque propterea per intervalla subinde pauperrimus aliena misericordia
2650 et eleemosynis victitaret. | Quo factum ut ab aliis suae Nationis viris, *filiis saeculi hujus*, flocci penderetur. Quod ipsum et ipse susque deque habebat. Mihi quoque amicissime

et confidentissime objurganti quod non vera liberalitas sed prodigalitas, proindeque vitium esset, respondit se saepissime et firmiter statuisse eum suis eleemosynis adhibere modum, quo quicquid sibi superfluum esset, elargiretur, sibique semper servaret quicquid sufficeret ut austere et paenitenter sed decenter viveret, nec stipem emendicaret. Verum post tot proposita non potuisse quin commiseratione in occasione deinde fodicatus totum in pauperes distribueret, conscientiae stimulis adeo fortiter lancinatus ut illis tanquam compedibus ligari soleret, parum curans quid mundus de se judicaret, aut qua deinde ratione ipse vitam sustentaret, et non dubitans quin se Deus non derelinqueret. Confidenter etiam mihi quasi sub secreti sigillo aperuit se illa suae commiserationis vincula expertum aliam excogitasse viam, qua praefata sua proposita exequeretur. Nempe pecuniae summam, quam sibi ne fame et inedia periret, suffecturam arbitrabatur, apud aliquem virum probum custodiendam deponebat, nec ipse nisi quod praeterea superfluum | esset, in populares fidei causa exules et aerumnis 2650
pereuntes erogandum asservabat, ex industria ut portio sibi v
necessaria in promptu non foret cum amplius commiserandi occasio se offerret, certus et expertus alias futurum ejus totum daret. Verum nec haec via sanctae ejus prodigalitati remedium attulit. Nam ad occasionem subito vel suum depositarium conveniebat, vel mutuo accipiebat quod interea pauperibus, praesertim patriotis in arcto positis, erogaret. Cumque maxima apud eum fiducia et authoritate valens ipsum propterea objurgassem, atque ostendissem quantopere suam suorumque famam illo vivendi modo laesisset, respondit considerationem esse nimis huic saeculo conformem, et aliunde ita se illo, quem dixi, compassionis spiritu occupari ut se cohibere nequiret, quin ab impulsu interiori totius conscientiae punctionibus discruciaretur, quibus demum nolens volens succumberet. Indusiis cannabaseis et supra modum asperis utebatur. Quod multi admirabantur sed mysterium ignorantes. Nam ille sub indusiorum specie non indusia sed cilicia portabat. Se in passionis Dominicae memoriam flagellare solitus, eo fine in exilio flagellum, quod vidi, in pera adeo asservabat, ut ex Hispania in Galliam | attulerit. Ad iram ex genio propensus 2651
et promptus se omnium primus reprehendebat et mox paenitentia culpam expiabat. Mihique ipsi quadam dierum in Gallia iratus est, sed flexis genibus me veniam rogavit, licet sim parentibus natus illius Regiae Mac-Cartii Magni domus clientibus ab aevo haereditariis.

(**406**) Multa alia huc spectantia in ejus laudem addere possem, sed ex his, qualis fuerit, nemo non conjectet. Uxori in Ibernia relictae molestiam auxit sui fratris, Marchionis Antrimiae infortunium, qui Cromuelli diebus in Ibernia permanens, Rege restituto, in Angliam trajecit, ut inter primos suae Majestati de faelici reditu congratularetur et obsequium offerret. Verum cum inter nuperum Iberniae bellum Ecclesiae, causae Catholicae, Cleri, et praesertim Nuncii partes maximo zelo sustinuerit, non defuere in Aula Anglicana, qui ei primaevum Regis favorem invidentes id effecerunt ut Regis mandato in Iberniam redierit, ibi Dubliniae in custodiam datus, post tot tantaque obsequia, quae ipsum Carolo 1° praesertim in Scotiae rebelles praestitisse vidimus.

(**407**) Ad nuperi belli Ibernici finem, subacta potius Catholi-
2651 corum discordiis quam haereticorum viribus | Ibernia, ex
▼ nostratibus, qui vires Ibernicas tunc in Hispaniam duxerunt, fuere Walterus Donganus jam dictus, Census equestris Chiliarchus, et Sherlocus, vel (ut vulgo loquuntur) Scurlocus, in pari dignitate constitutus. Qui ambo rebus in bello Hispanico praeclarissime gestis maximam suis familiis et universae Nationi gloriam conciliarunt, Waltero demum in Hispania defuncto, qui alias suis eximiis meritis viam sibi magnis passibus ad ulteriores honores muniisset.

(**408**) Crebram P. Richardi O Feralli, Capucini Iberni, superius fecimus mentionem, qui in censurarum anno 1648 apud Iberniam fulminatarum negotio Romae in Nuncii et partium ejus favorem prosequendo haud ultimas partes egit. Is nobilissima O Ferallorum familia in Ibernia natus, ad annum 1630 cum P. Francisco Nugentio, Missionis Ibernicae Capucinorum fundatore, per Angliam adolescens studiorum litterariorum causa in Flandriam trajecit ; ubi ejusdem P. Francisci authoritate in Insulensi Ibernorum Collegio collocatus haud segnem bonis litteris et pietati, partim ibi, partim Duaci, operam dedit usque ad annum 1634, quo in praefatae Missionis Conventu Carolopolitano Capucinorum habitum suscepit. Ubi etiam eodem anno peste in ea vicinia, praesertim Maceriis, |
2652 quod oppidum Carolopoli paucis stadiis distat, grassante, ille, pluresque alii ex ea Capucinorum nostratium familia, se ad inserviendum pestiferis obtulerunt. Ad novitiatus finem professus et absoluto inter Capucinos Gallos in Provincia Turonensi cursu theologico jam sacerdos et concionator, anno 1643 Praelatorum jussu ad remigrandum in vineam Ibernicam se

accinxit, haud alio donatus viatico, quam quod P. Ludovicus Bogiensis, Capucinus Gallus, ejusdem Provinciae alumnus, ipsi a quibusdam benefactoribus Pictavii obtinuerat. Capucinorum autem, qui Rupellae atque Insulae Reaensis Conventus incolebant, charitate factum, ut viatico ante navis conscensionem pepercerit, quod haud erat aliud quam tredecim librae Turonenses. Porro una conscenderit Monerius, a Rege Christianissimo ad Confaederatos Iberniae Catholicos allegatus, amboque 13 Januarii 1644 Waterfordiam, Iberniae in Momonia civitatem, appulerunt.

(**409**) Waterfordia Richardus Kilkennia ad suos contribules in Comitatum Longfordiensem se contulit, exindeque Dubliniam ut R. P. Barnabae Barnevallo, Capucinorum ante in Missione Ibernica Commissario Generali, et ad annum 1643 in eodem officio inter Capucinorum Comitia Generalia Romae confirmato mandata recens ex Urbe transmissa traderet. | In quo itinere 2652
vix militum haereticorum furore et vastae solitudinis inter- v
jectae incommodis non periisset Richardus, nisi fratris germani ductu atque industria evasisset. A quo atque ab amicorum aliis adduci non potuerat ut illud iter tunc periculosum eques conficeret.

(**410**) Dubliniae ad P. Barnabae, qui tunc ad Catholicorum Confaederatorum partes se recepit, mandatum, pedem fixit ut illius civitatis Catholicis haereticorum jugo et bello supra modum oppressis in spiritualibus opitularetur. Cui muneri haud absque vitae periculo praeclare satisfecit, saepe rebus ad vitam sustentandam necessariis carens ita ut naturae vim per inediam inferret, ne civibus Catholicis se onerosum praeberet, qui belli aerumnis et haereticorum rapinis ac persecutione ad summas rerum angustias redacti annonae caritate conficiebantur. Porro quadam dierum non nulli milites Iberni, adeoque Catholici, Dubliniae sub Ormonio, tunc ibi recens Prorege, praesidiarii Richardum accesserunt, affirmantes se quod haereticis in patriotas Catholicos et fidei causa bellantes militarent, conscientiae stimulis torqueri, et rogantes ut cum ipsis ad Confaederatorum Catholicorum duces daret litteras commendatitias, quatenus ad partes | Catholicas transirent, et ab ipsis melius 2653
tractarentur. Ille vero renuit, respondens se Dubliniam venisse, et ibi permansisse, non ut militum, etiam Catholicorum, animos in haereticos sollicitaret, sed ut fidem Catholicam via suavi per tolerantiam et patientiam propagaret. Quo responso accepto, militum alii, quasi non consensissent, mox arcanum Ormonio

aperuerunt. Alii metuentes ne in se animadverteretur, pedibus fidentes, ad Catholicorum castra transitionem fecerunt; paucisque horis interjectis P. Joannes Rowaeus, Carmelita discalceatus, etiam tunc Ormonio familiaris, P. Richardum monuit, omnia illa arcani Proregi innotuisse, ipsique valde arrisisse modum, quo militibus responderat. Caeterum, dum Richardus Dubliniae tunc in animarum salute desudaret, multa circa P. Joannem Rowaeum et legationes ipsi ab Ormonio clanculum decretas rescivit, quae postea Rowaeo Romam ad prosequendam contra Nuncium ejusque partes Ormonistarum Appellationem destinato non profuerunt. Ortis enim censurarum anno 1648 a Nuncio in Ibernia fulminatarum controversiis, Nuncius Richardum, tunc Capucinorum hospitii Galviensis moderatorem, jussit, ut cum P. Josepho |
2653 Arcamonio Romam ad eandem causam suo suarumque partium
v nomine prosequendam pergeret. Verum Richardus, haud ignorans mandatum esse odiosissimum, et persecutionem in se suosque propterea concitandam, quantum potuit, recusavit, et demum Nuncio, qui summam in ejus zelo ac sinceritate fidem collocabat, compellente prae nimia animi anxietate in ardentem febrim incidit. A qua tamen ubi convaluisset, Nuncii praescripto acquievit et ne Deum per inobedientiam offenderet, Romam perrexit.

(**411**) Credere par est Richardum ad Nuncii partes in Ibernia, Romae et ubicumque posset, sustinendas fuisse impulsum fidei, et causae Catholicae zelo, praeter quem poterat alia etiam causa subintrare, nempe O Ferallorum suorum atque aliorum Iberniae aboriginum a Nuncio plerumque stantium famae et rei patrocinandi studium nec non patriae et patriotarum in libertatem vindicandi desiderium. Quales animi propensiones licet fidei zelo inferiores sint, laude tamen et ipsae sua, nec modica, dignae sunt, modo intra charitatis bene ordinatae limites se contineant; talesque bene ordinatas in Richardo fuisse credere par est. Utut sit, uterque zelus in ipso alterum secundavit. Quod etiam
2654 Nuncium non latuit, quando ipsum | aliis Ibernis, etiam quibusdam episcopis, se ad proficiscendum in Urbem et ad causam Romae prosequendam offerentibus, imo eam provinciam ambientibus, nolentem volentem praetulit. Nec Nuncium etsi in multis et a multis aliis delusum sua in hoc delectu fefellit opinio. Nam Richardus eum, ejusque partes et causam nunquam prodidit, licet fuerit multis modis et sollicitatus ut adversariis faveret et jactatus ut caeptis desisteret.

(412) Romam appulsus unum vel alterum ibi mensem apud Capucinos transegit, deindeque a Reverendo admodum P. Simpliciano Mediolanensi, Ordinis tunc Procuratore Generali, quem ab Ormonistis sua Romae instrumenta habentibus deceptum fuisse vix dubito, jussus est (absente R. admodum P. Generale) ut in Galliam remearet. Cui mandato morem gerens, Cardinalium Congregatione, quae rebus Ibernicis in Urbe praeerat, quamque alias occursuram crediderat, insalutata, ad ripam descendit consensurus et navigaturus. Verum Illustrissimus D. Franciscus Albitius tunc S. Officii Assessor et illi Cardinalium Congregationi a secretis, nunc a pluribus annis S.R.E. Cardinalis, | de Confaederatis Iberniae 2654
Catholicis, praesertim parte eorum sana, optime meritus, eodem v
die re cognita mox ei scripsit currente calamo epistolium, quod ex autographo Italico manu propria exarato Latine verto :

" Admodum Reverendo P. Richardo, Iberno, Ordinis Capucinorum.

" Admodum Reverende Pater mi.

(413) " Ob rerum Ibernicarum exigentias dignetur Paternitas vestra Romam redire, non obstante praescripto P. Procuratoris Generalis. Sic enim Congregationis Regni Iberniae negotiis praefectae Domini Cardiñales praecipiunt. Deus Opt. Max. Paternitatem vestram conservet.

Paternitatis vestrae studiosissimus servus,
Romae, Franciscus Albitius."
17 Maii, 1649.

(414) Hac epistola Richardus jam consensurus ad Tyberis ripam accepta, in Capucinorum Conventum Romanum rediit et mox jussit Procurator Generalis ut Illustrissimum D. Albitium, quem sibi tanquam Sedis Apostolicae, fidei Catholicae et | Innocentii X^mi, tunc Pontificis causam in hoc articulo 2655
pessundanti ruinam a Sua Sanctitate inferendam intentasse resciverat, conveniret et pacaret, sibique propitium redderet. Quod ultimum vix factum est, quod nec Sua Sanctitas nec illa Cardinalium Congregatio praefatam controversiam, in qua fidei et Sedis Apostolicae causa tantopere vertebatur, quaeque tunc duarum partium Ibernicarum procuratoribus Romam appulsis serio discuti caepit, sine sincera rerum in Ibernia gestarum, personarum quoque, atque aliarum plurimarum circumstantiarum notitia diffinire non valeret a P. Richardo

danda, quem unum ex millibus electum Nuncius eo fine in Urbem destinaverat, eo rerum successu ut creberrimae strenuaeque molitiones deinde ab illius causae Catholicae adversariis in Urbe sub Innocentio X^mo^ et Alexandro VII^mo^ adhibitae et Richardi zelo ac constantia dissipatae docuerint oportuisse ut Richardus eo fine Romam mitteretur, nec nisi enervatis adversariorum machinationibus recederet. Quod adversarii compertum habentes, arte et Marte conati sunt assequi ut Urbe deturbaretur. Sed *defecerunt scrutantes scrutinio.*

(**415**) Richardus P. Josephum Arcamonium, cui a Nuncio in collegam ex Ibernia associatus fuerat, quique in Nuncii causa
2655 Romae defendenda tunc | ex ambobus primas agebat, ita
v secundavit, ut etiam acta illo anno 1649 a P. Josepho in Urbe circa illam controversiam Innocentio X° et jam dictae rerum Ibernicarum Congregationi porrecta Richardi opem et suggestam ab eo personarum ac rerum Ibernicarum notitiam redoleant. Josephi autem mandatum, Massario post pauculos menses ex Ibernia, deindeque ipso Nuncio in Urbem regresso, expiravit; sed Richardus habitus est idoneus, qui Romae circa res Ibernicas dictam Cardinalium Congregationem, dum stetit, eaque demum dissoluta Sacram Congregationem de Propaganda Fide in quaestionibus facti instrueret, et Innocentio X° ad quem ipsa Sua Sanctitate jubente omnis ei pro nutu accessus patuit, eodem spectantia identidem suggereret, praefato Pontifice, dum viveret, et post ejus obitum aliis, praesertim Eminentissimo D. Cardinale Albitio, causae Catholicae, praesertim Ibernicae valentissimo in Urbe defensore, nec non Massario, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretario, qui eum Ormonistis aut haereticis in Ecclesiae perniciem haud suffragaturum probe norunt, et alios praestigiatores jure merito
2656 suspectos | habuerunt, peragentibus ut illo munere in Urbe fungeretur. Quare factum ut nec Missionis Ibernicae Commissarii Generales, nec ipsi supremi Ordinis moderatores obviare possent si vellent, nec eorum aliqui vellent si possent, sed partim eidem causae studentes, partim monitis potentissimis occupati ejus vota secundarent, ipso pariter illis nonnunquam inserviente perutiliter. Sane anno 1656 R. admodum P. Fortunatus a Cadoro, Ordinis Minister Generalis, cum Generalia Religionis Comitia Romae celebranda imminerent, proindeque Conventus Romanus fratribus ibi inter Comitia non necessariis, ut tot vocalibus locus fieret, ad tempus exonerandus esset, P. Richardum ad *Montis Rotundi* Conventum misit ea mente ut

Comitiis absolutis Romam remigraret. Verum Massario, S. Congregationis Propagandae Fidei Secretario apud Cardinalem Spadam, Capucinorum Protectorem, et dictae rerum Ibernicarum Congregationis Cardinalitiae membrum, conquerente S. Congregationem absente P. Richardo nihil super rebus Ibernicis diffinire posse ; Cardinalis R. admodum P. Generalem jussit ut eum mox Romam revocaret. Quare Minister Generalis manu propria 23 Maii 1656 scripsit Richardo, jubens ut subito in Urbem rediret. Quod et factum. Quas | circumstantias 2656
aliasque, de quibus inferius agendum erit, inserendas duxi, ut v
Ormonistae, ob ea quae Richardus in ipsos Romae gesserat, non in Religionis praelatos excandescant, sed potius ipsi doleant quod facinora Romae damnanda in Ibernia patrarint. Itaque successit ut Richardus per decennium circiter Romae perstiterit, ibidem et diutius perstiturus et eodem pro nutu rediturus si voluisset, Verum Florentiam, quo sibi ad Archiepiscopi Firmani, Iberniae antea Nuncii, Chartophylacia ibi asservata aditus pateret, suapte sponte anno 1659 secessit, et ibi pedem fixit.

(**416**) Interea ob ea, quae Romae in causae Catholicae defensionem gesserat, strenuis adversariorum de ipso conquerentium insultibus impetitus, Massario Romam scripsit, rogans ut apud Alexandrum VII sibi tunc Florentiae absenti patrocinaretur. Cui Massarius per litteras 5 Junii 1660 ex Urbe Italice exaratas respondens : " Ah (inquit) quomodo vult Paternitas vestra ut ego Papae de rebus Ibernicis loquar, cum non audeam, ne pro rebus quidem propriis, me ad suos pedes praesentare. Saepius dixi patientiam nobis necessariam esse ; quod verum est, idque jam repeto. Nam mihi jam animus | non suppetit ad rem ullam peragendam." Sic ille, qui tanta 2657
apud Innocentium X fide valuerat, sed ab Alexandro VII Propagandae Fidei Congregationis secretarium exutus, pauloque post scriptam illam epistolam ita supernae Patriae desiderio flagrans ut ex Urbe, omnibus prope insalutatis, Firmum, civitatem nativam, recesserit, ibi Oratoriis, S. Philippi Nerii filiis associatus, nec ita quin sua apud alios praesertim apud Cardinalem Spadam, Capucinorum tunc Protectorem, et Cardinalem Albitium, authoritate Richardo commodarit. Quorum secundus ipsi Roma Firmum mense Januario 1661 respondens scripsit Italice hanc epistolam :

" Multum Illustris et Reverende admodum Domine.

(**417**) " P. Richardus, Capucinus Ibernus, est ex illis Religiosis,

qui meliorem meae benevolentiae partem occupant. Nam firma me tenet suae probitatis opinio ; unde Dominatio vestra facile colligat quantam mihi pariant displicentiam novae persecutiones in eum concitatae ab ejus inimicis, qui cum libenter audiantur, potentiores evadunt. Quare dubito ne mihi non succedat eorum machinas et maligna consilia dissipare.
2657 Verum Dominationem vestram rogo ut | persuasum habeat
v me saltem, quantum potero, praestiturum apud Dominum meum, Cardinalem Spadam, et apud ipsius P. Richardi praelatos ad ipsum ab inimicorum insidiis praeservandum, praesertim cum videam me in hoc responsurum tuo desiderio, qui cum amoris extraordinarii indiciis eum mihi in hunc finem commendas. Hic mè Dominationis vestrae nutui relinquens, ipsi ex caelo optimam quamque ominor faelicitatem.

Romae 26 Januarii
1661.

Dominationis vestrae studiosissimus
semper ad obsequium,
F. Cardinalis Albitius."

(**418**) Cardinalis datam hic fidem liberavit. Nam Richardo nunquam usque ad tumulum defuit. Nec Richardo solum sed etiam reliquis Iberniae Catholicis, et ante reliquos Nuncii partibus, et causae Catholicae ab aliis multis derelictae maxima constantia et generosissima animi fortitudine ac zelo semper patrocinatus est et usque in diem hanc patrocinatur. Porro sua Eminentia et Massarius effecerunt ut Richardo jam dictus
2658 Cardinalis | Spada, Capucinorum Protector, patrocinium praestiterit. Qui etiam ad ineuntem annum 1661 jussit ut Italia non abiret, donec Massarii suam rerum Ibernicarum historiam Italicam componentis voto cumulate satisfecisset. Massario enim, cui illius historiae embrionem vel scribendi segetem ex suis et Archiepiscopi Firmani jam mortui scriniis expressam Richardus Florentia partim in Urbem, partim Firmum per quaterniones missitaverat, supererat ut eam a se in ordinem Italice digestam Richardus legeret et quid addendum vel detrahendum esset, censeret. In quem finem Massarius se Florentiam indies venturum pollicebatur. Cum autem diutius distulisset, demum Richardus sponte sua per litteras Ministrum Generalem rogavit ut sibi in Galliam redeundi faceret potestatem. Quam et fecit. Quo cognito nescio quis nisi Massarius, Cardinali Spadae significavit Richardum, non nisi Ministro Generali premente, adductum ut in Galliam redire

vellet. Generalis autem super hac re a Protectore in Urbe pressus ipsius P. Richardi litteras, quibus redeundi copiam postulaverat, ostendit, et ad novum Protectoris mandatum per litteras | 9 Aprilis 1661 ex Urbe Florentiam Richardo 2658 scriptas jussit ut Massarii votis plene responsurus reditu v supersederet.

(**419**) Richardus tempestate saepius indicata ab adversariis jactatus et magna apud praefatos Eminentissimos DD. Cardinales, nec non apud Ordinis tam Ministrum Generalem quam Procuratorem Generalem fide pollens, atque in Capucinorum Missionis Ibernicae tunc Commissarium Generalem, suum contribulem et cognatum gradu proximum, P. Bernardinum O Ferallum pene dominans, effecit ut ipse in vineam Ibernicam redire cupiens, non illo perrexerim, sed ex Gallia in Italiam venerim, ne quidem sciens quid ibi facturus essem, sed in mandato ad me Carolopolim in Galliam ex Urbe misso jussus ut Florentiam me conferrem, ibi facturus quod P. Richardus mihi diceret. Florentiam mense Septembri 1661 perveni. Quo tempore Richardus historiae a Massario jam Italice provectae embrionem ita absolvebat ut tamen aliunde impeditus non nisi post aliquot menses absolverit. Quo penso peracto id egit ut Minister Generalis me ipsi ad hanc aliam historiam Latine contexendam associarit. | Cumque in Galliam 265 eo fine (sicut dixi) redire et scribendi messem ex Archiepiscopi Firmani archivis eo transmittere vellet, ipseque Romam devotioni satisfacturus perexissem, mense Aprili 1661, dum ex urbe Bononiam me recepturus, ibique Richardum conventurus et cum eo in Galliam inde rediturus essem, Minister Generalis a Cardinale Protectore (sicut dixi) jussus praescripsit ut Florentiam venirem et ibi P. Richardo adhaererem. Exinde Massarius Florentiae indies expectabatur et moras nectebat ut tamen hactenus non accesserit.

(**420**) Interea temporis Cardinalis Spada, totius Ordinis Capucinorum, praesertim P. Richardi, Protector, fato concessit et anno 1662, quidam ex illis Iberniae Praelatis Nuncio turpiter adversatis Richardo ob censurarum anno 1648 in Ibernia fulminatarum controversias, atque ob ea quae circa illas in Nuncii ac partium ejus favorem gesserat, infensissimi, Reverendo admodum P. Simpliciano Mediolanensi, Capucinorum Ministro Generali, per litteras supplicarunt, ut P. Richardus Italia in partes ultramontanas abire compelleretur. Quod etiam ut succederet, Capucinorum | nostratium non nulli, qui suas 2659 v

atque alias in Ibernia familias Anglo-Ibernicas a Richardo per ejus Relationem anno 1658 Sacrae Congregationi Propagandae Fidei Secretario traditam et alibi a me tactam injuriis affectas conquerebantur, institerunt. Porro Minister Generalis ob alias rationes id ipsum anhelans et Cardinalis Spadae jam vita defuncti imperio solutus, sed a Cardinale Albitio sibi metuens, eam inivit viam, qua Richardo abeundum esset, sed Cardinali Albitio id innotescere non posset nisi suo ipsius Generalatu finito et novis Comitiorum Generalium illo anno 1662 Romae celebratorum electionibus absolutis, quarum profesto, die 25 Maii, Richardus Florentiae ejus mandatum, quo ipsi abeundum esset, accepit. Reque ipsa, me comite, itineri se accinxit ; sed Liburni a Reverendo admodum P. Marco-Antonio de Carpenedulo Cardinalis Albitii et Massarii studiosissimo, suique ipsius longe amantissimo, ex Procuratore Generali in Ordinis Ministrum Generalem ab illis Comitiis ascito, gressus sistendi et Florentiam redeundi mandatum ipsa electionum die scriptum accepit. |

2660 (**421**) His auditis, Richardi adversarii, quibus remeandi praescriptum ipsi a priore Ministro Generali missum et regressus inchoatio in Gallia atque alibi post aliquot menses innotuerit, quique ad tempus se triumphasse existimaverant, pene animum desponderunt. Verum P. Felix Midensis, Familiae Carolopolitanae Guardianus et P. David Kildariensis, Conventus Sedanensis Superior, aliique eorundem Conventuum Capucini undeviginti, Iberni omnes, et omnes (exceptis duobus Fratribus Laicis) sacerdotes ac concionatores eodem anno 1662 mense Septembri per litteras communes in Italiam directas novo Ministro Generali supplicarunt ut P. Richardus in suae Missionis Ibernicae gremium, vel saltem in partes ultramontanas recedere atque illa suae Relationis, quam Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretario anno 1658 tradiderat, capita, quae ejusdem Missionis Praelati, Consultores, aut alii Patres ad eam examinandam assignandi retractanda judicassent, retractare cogeretur. At Minister Generalis Richardo antea Romae per novennium ita familiaris ut maximam suae probitatis |

2660 opinionem hauserit, et interea, deindeque, a Cardinale Albitio
v et Massario, quibus res Ibernicae perspectae essent, eum prae aliis omnibus controversias illas magna sinceritate et causae Catholicae zelo referre solitum fuisse didicerit, tantum abest ut his aut aliis querelis in eum motis aurem praebuerit, ut etiam velut innocentem et pugilem Catholicum a persecutoribus injuste

impetitum solito magis protexerit. Sane Richardus licet (ut dixi) anno 1661 suapte sponte in partes ultramontanas recedendi licentiam postularit, nec nisi invitus reditu supersederit, his tamen atque aliis multis hujus anni 1662 insultibus agitatus, sui fautoribus in Urbem scripsit, sibi prudenter timendum ne extra Italiam positus et a Sedis Apostolicae patrocinio elongatus haereticorum violentiae ab ipsis Catholicis Nuncio olim adversatis atque in se ob rem Catholicam in Urbe constanter procuratam exacerbatis manciparetur. Mense tamen Decembri eodem anno 1662 Generalem in Umbriae Provincia Florentinae contermina convenit, et suae causae notitia imbuto sponte sua obtulit, | ut ex Italia discederet, rogato tamen ut differret 2661
donec haec historia tunc provecta Florentiae, ubi Nunciaturae Ibernicae autographa asservarentur, absoluta esset. Quod ad dictam suam Relationem Romae anno 1658 porrectam spectat, dixit se non solum obtulisse sed etiam pressisse ut Romae discuteretur, palidoniam canturum, si quid veritati dissonum continere judicaretur, sed per strenuos adversariorum conatus contrarios stetisse quominus controversia illa Romae diffinita fuerit. Denique Ministrum Generalem rogavit ut adversarii ea illius Relationis capita, quibus censuram inurendam arbitrarentur, excerperent, exhiberent, et aequorum arbitrorum limae subjicerent, addens plures ex Capucinis Ibernis jam dictis suorum contribulium, cognatorum, affinium, vel ex eadem petra Anglo-Ibernica excisorum famae in hoc negotio conservandae plus nimio militasse, et ita in Missione illa Ibernica praevaluisse, ut ipse eorum judicium detractandum judicaret. Denique nec ipse sibi nec Generalis defuit. Qui ei respondit se, si Romae persisteret, id apud Suam Sanctitatem et alios | omnes satacturum ut adversariorum insultus irriti fierent, sed 2661 v
in visitandis Ordinis Provinciis absentem ac diutius abfuturum dubitare ne interea omnis Romae lapis in ejus perniciem moveretur. Quare jussit ut solito diligentius caveret ne inauditus Romae male audiret vel Pontifex falsis aliorum relationibus fidem haberet.

(422) Hinc factum ut Richardus me comite Florentiam redux ad Eminentissimi D. Julii Rospigliosi, antea (ut vidimus) sub Innocentio X^mo in Hispania Nuncii Apostolici sed tunc sacra Purpura insigniti, maximaque apud Alexandrum VII authoritate pollentis patrocinium recurrerit. Qui a quibusdam Richardi fautoribus id rogatus, nullam ei protectionem non spopondit et litteras clementiae plenissimas in ejus favorem ad Generalem

dedit. Generalis autem per epistolam Padua 18 Februarii 1663 datam Cardinali respondit se Richardo nec defuisse nec defuturum, unaque Richardum magnis laudibus extulit,
2662 multisque ac gravissimis rationibus ejus apologistam | apud Cardinalem Rospigliosum egit exinde magis paratum et paratissimum ad eum apud Suam Sanctitatem a quibusvis aggressoribus defensandum sicut litteris iterum scriptis significavit.

(**423**) Richardo ab aliquot retro annis ex quo Romae fuit, latus dexterum doluit. Cujus morbi radicem cum ignoraret, eo minus remedium adhibere poterat. Plumbeo autem atque occulto passu ita malum per aliquot annos serpsit ut praecipue humerum et vicinam brachii laterisque regionem paulatim occuparit. Quare ultimis vitae annis brachium expedite tollere nequibat et inter ambulandum ad quemvis lapsum, caespitationem, vel externi corporis collisionem graviter affligebatur. Inde etiam evenisse crediderim, quod inter itinerandum ipsi guttur et os ultra modum arescerent, calescerent, atque inflarentur. Porro anno 1663 tempore quadragesimali, solito lentius et pejus scribere caepit. Quod ipse stupebat. Exinde Florentia post festa Paschalia Pistorium, civitatem vigesimo circiter lapide distantem digressi sumus, ubi per pauculas hebdomadas, dum |
2662 Capucinorum Provinciae Toscanae Comitia Provincialia
v Florentiae celebrarentur, in Capucinorum illius urbis Conventu permansimus. Quo temporis intervallo ille inter Missam celebrandam interius perturbabatur, aegritudine sensim sine sensu progrediente atque interiora ejus organa sensusque insensibiliter occupante. Quam animi perturbationem ubi mihi retulisset, monui ut eam sperneret, ratus esse daemonis illusionem. Verum crescente et altiores agente radices illa imaginationis alteratione, post aliquot dies se pedem dexterum haud pro nutu movere posse, parique morbi incremento se manu dextera laborare notavit. Quo factum ut genuinam corporis infirmitatem esse detexerimus. Comitiis tamen Provincialibus absolutis Florentiam redivimus ut iter illud difficili negotio pedes biduo confecerit.

(**424**) Morbo autem pedetentim ingravescente in Capucinorum conventu Ugomontano ad Florentiam sito decubuit. Quo tempore plus solito se totum pietatis exercitiis mancipavit parum dubitans (sicut saepius et constanter mihi dixit) quin
2663 ea | aegritudine esset decessurus. Quadam autem dierum ipse eum monui ut se per omnia praepararet, perinde ac si se tunc moriturum certo sciret ; et inter alia ut conscientiae regulis

circa illam Relationem Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Secretario anno 1658 Romae a se traditam satisfaceret, retractaturus quicquid vel siquid coram Deo retractandum judicaret. Respondit autem se nunquam illam ab initio nisi bene examinatam tradidisse, et adversariorum tumultibus circa illam nuperis annis in se concitatis factum ut eam longe diligentius ad limam sanus revocarit, et sanus ita ratam habuerit ut se ad eam in utroque foro defendendam etiam per litteras in Urbem scriptas paratissimum obtulerit. Pressi tamen ut trium vel quatuor Patrum, aequorum arbitrorum, a Reverendo admodum P. Generale nominandorum judicio suum in hoc articulo judicium et voluntatem proindeque illam Relationem ab ipsis examinandam submitteret et se submisisse declararet, generaliter et ex tunc improbans siquid illi in ea improbaturi essent. Quam ille propositionem rationi consentaneam | dixit. Verum re diligentius ponderata, quodam dierum me ad 2663
R. P. Bernardi Gondii, Capucini Florentini, nostri amborum v
confessarii, cellam duxit, eoque tunc apud se non reperto iterum, si non pluries, suapte sponte reduxit, et demum eo in sua cella reperto suam accedendi mentem me antea celatam dixit. Nempe de illa Relatione coram confessario fuse locutus est concludens, per modum testamenti et ultimae voluntatis, se eam qua potuit modestia, sinceritate et veritate contexuisse et solius causae Catholicae zelo praesentasse. Quam tunc de novo velut moriturus et Deo responsurus confirmavit, affirmans, quod antea saepius asseveraverat, se citra mendacium et injustitiam longe plura in illos ex Iberniae Catholicis et haereticis Ecclesiae adversatis dicere potuisse, quae ibi non dixerit. Institi tamen ut quod ante a me ipsi propositum fuisse dixi, ratum haberet. Sed ille respondens suam Relationem semper ratam habebat. Cumque vidissem quod ejus sanitati contestatio valde praejudicaret, premere destiti sperans futurum (ut sicut spem faciebant) a morbo convalesceret.

(**425**) Nec silentio | praetereundum est me tunc pressisse 2664
ut mihi diceret ubi didicisset quod in illa Relatione habetur, nempe tres Episcopos, Fernensem, Ardaghadensem, et Dromorensem nec non P. Robertum Nugentium, Jesuitam, ac D. Nicolaum Plunkettum, Juris Anglicani consultum, inter nuperum bellum Ibernicum Nuncii *intentiones et secreta, quantum potuerunt, communicasse adversariis*. Ille vero eos Nuncium prodidisse respondit ut tamen mihi non satisfecerit urgenti ut diceret unde praefata rescivisset. Id verum est morbi vim ejus

memoriam ante occupasse, ut quae resciverat, tunc non recordaretur, et quae forsan recordaretur, exprimere non posset, organis suas partes non agentibus ; unde inter illum morbum saepissime notavi eum illis diebus loqui paratum colloquio ob eam causam interrupto destitisse. Quod si quis ex modo, quo praefati quinque se in Nuncium gesserant, validissime praesumendum dixerit eos ante ipsorum a Nuncio defectionem praeclaros simulandi et dissimulandi artifices egisse, proindeque Nuncii, qui anterius maximam in illis spem collocaverat, arcana prodidisse, et Richardum saltem validissima ibi nixum fuisse praesumptione, quae ex ipso jure Divino, Pontificio et civili
2664 probationem inducit. | Respondeo re ipsa praesumptionem
v videri validissimam licet ipse sine solidiori fundamento eos non tanto crimine absolute accusare sed praesumptionem in medium producere et in medio relinquere auderem. Caeterum (nisi male memini) P. Richardus dum bene se haberet, mihi retulit Archiepiscopum Firmanum sibi quadam dierum Firmi de rebus Ibernicis loquentem in non nullos ex praefatis, si non in omnes, etsi longe gentium distantes, excanduisse et vehementer proditores appellasse.

(**426**) Richardo sua paralysis paulatim crescebat ut ad medium Junium totum latus, pes, brachium et manus dextera inutilis et pene mortua fuerit. Pari quoque increscentis aegritudinis mensura si non judicium, certe memoria adeo eum pedetentim deficiebat ut recto ordine colloqui et congrue discurrere non valeret. Ex certis tamen et manifestis indiciis constitit ei judicium et memoriam ad devotionis exercitia ingeminanda et ad Ecclesiae sacramenta pie frequentanda semper fuisse sufficientem ; inter quas mortis praeparationes omnia a se quomodocumque scripta generaliter Ecclesiae et Praelatorum judicio submisit. Qua mente eum semper fuisse nemo dubitet. Morbo autem indies recrudescente, Ecclesiae sacramentis rite
2665 munitus, | fratrum corona atque inter alios me flexis genibus assistente decessit hora circiter meridia, die 13 Augusti 1663, cui in communi Capucinorum ibi tumulo postridie sepulto universa familia Missis et Officio Mortuorum parentarunt, omnesque Provinciae fratres in suis Conventibus similia ei charitatis officia per sacra et preces exhibuerunt.

(**427**) Non solum familia citra controversiam antiquissima et nobilissima oriundus sed etiam parentibus (sicut in quodam P. Francisci Nugentii, Missionis Ibernicae Capucinorum fundatoris, acto ad annum 1633 scripto atque in Archivis

Carolopolitanis asservato legi) nobilibus licet haereticorum persecutione patrimonio spoliatis, natus erat. Ab infantia pie et Catholice, more majorum, educatus se totum Deo consecravit ut adolescentulus primis Capucinis, qui in Iberniam penetrarunt, praesertim P. Columbano Cassiliensi, quem summis semper laudibus etiam in Italia efferebat, adhaeserit, si non quo vellet, certe quo posset modo, Deo in animarum salutem cooperaturus. Haeresim et haereticos etiam parvulus supra quam dici queat, horrebat, adeo ut speciale donum hac ex parte a Spiritu Sancto hausisse videatur. Quidam tamen Minister haereticus, natione Anglus in Comitatu Longfordiensi, nativo | O Ferallorum territorio, parochiam sed non parochianos suam sectam profitentes habens ab aliis obtinuit ut Richardus tunc puerulus domi suae per aliquot dies commoraretur et in quotidianis negotiis suum uxorisque Ibernice nescientium interpretem ageret quod Ministri Anglicam et populi Ibernicam linguam calleret. Interea quadam dierum contigit ut pseudo-Ministri uxor aliaeque mulierculae haereticae et Anglicanae ipsi assistentes eum ad preces solemnes ritu haeretico cantandas invitum, etsi per jocum, traherent. Ille vero obvium baculum arripuit et haereticae trahentis manum magno verbere contudit. Quo facto ac mulieribus illis nequam inter querelas relictis, velocius Euro cucurrit, abiit, fugit, nec unquam a Ministro aut ejus uxore, aliisque adduci potuit ut rediret. 2665 v

(428) In ipso etiam Capucinorum Ordine vitam duxit religiosissimam. Quod in Conventu Carolopolitano, Provincia Turonensi, Iberniae locis, quae Missionarius frequentaverat, Provincia Romana et Florentina adeo notorium est, ut probationis non egeat. Nuncii tamen et partium ejus causam ita in Ibernia sustinuit, et Romae atque ubicumque potuit, ita constanter prosecutus est, ut plurimorum sibi odium conciliaverit. | Quos rogo ut praeter alia plurima mecum perpendant : 1°. Richardum non fuisse solum sed tot alios millenos e Clero populoque Ibernico, imo saniorem, meliorem et numerosiorem Cleri populique partem sub Henrico 8°, Eduardo 6°, Elizabetha, Rege Jacobo, Carolo 1°, et Carolo 2°, illa ipsa apud Iberniam sustinuisse, quae ille Romae propugnavit et easdem eum partes defendisse, reque ipsa ejus adversarios pessime se gessisse. 2°. In tanta controversiarum odiosarum abysso, et res aliter scribendi atque aliter (praesertim ex adversae partis amarulentia) intelligendi et interpretandi distantia vix fieri posse ut quis parti sanae in alteram factis, 2666

verbis, scriptisque per tot annos militet, quin adversariorum plurimis de causa Catholica pessime meritis et in plurimis tractatae controversiae capitibus non arrideat. Unum mihi persuaserim eum tam bona fuisse conscientia ut vix dubitem, quin 28 circiter annis, quibus in Capucinorum Ordine vixit,
2666 nunquam sciens prudensque | mortaliter peccaverit.
v (**429**) In hac historia crebram Massarii mentionem feci. Qui nescio qua correptus infirmitate se Firmi medicis et medicinis subjecit ; sed demum morbus in apoplexiam descivit, qua in ea urbe nativa circiter septuagenarius 30 Julii 1664 decessit, institutis haeredibus, Congregationis S. Philippi Nerii Patribus, quorum albo ibidem aliquot ante obitum annos se ascripserat.

(**430**) Hic obiter posteritatem moneo biennio jam elapso, nempe anno 1664, editum fuisse in lucem apud Galliam libellum famosissimum hoc titulo *Alithinologia sive Veridica Responsio ad invectivam mendaciis, fallaciis, calumniis*, etc. Qui libellus nec authoris nomen, nec impressionis locum, nec typis mandandi licentiam, nec approbationem continet. Quae circumstantiae pessimam scriptoris mentem et conscientiam indicant. Editus autem est in Relationem a P. Richardo jam dicto ad annum 1658 Sacrae Congregationi Propagandae Fidei Romae porrectam. Porro fidem facio | * opusculum illud mendaciis et calumniis scatere in sinceras Catholicorum Iberniae partes et Illustrissimum ac Reverendissimum D. Joannem Baptistam Rinuccinum, Archiepiscopum Firmanum et Apostolicum ad Ibernos Nuncium, imo in ipsam Sedem Apostolicam scriptis tanta malignitate ut obscurus aemulus, opusculi author, omnium pene a mundo condito impostorum coryphaeus esse videatur, quem affirmant esse Joannem Linchaeum, cognomento Juniorem, sacerdotem Galviensem, Anglo-Ibernicum (inter ultimum Iberniae bellum Catholicum) Archidiaconum Tuamensem, qui in praefatum Nuncium, ejusque partes obstinatissime et scandalosissime a sua Ormonistarum factione steterat.

---

* (*Huic chartae deest numerus.*)

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOL. V.

PARS. V.

RELATIO SUAE NUNCIATURAE AB ILL. J.B. RINUCCINI ROMAM REGRESSO SCRIPTA.

[VOL. V.—PARS. V.—RELATIO SUAE NUNCIATURAE AB ILL. J.B. RINUCCINI ROMAM REGRESSO SCRIPTA.]

Illustrissimi et Reverendissimi Domini D. Joannis Baptistae Rinuccini, Archiepiscopi et Principis Firmani ab Innocentio X ad Confaederatos Iberniae Catholicos anno 1645 in Nuncium extraordinarium allegati Relatio suae Nunciaturae ab ipso ad annum 1649 exeuntem in Urbem regresso ad eiusdem Pontificis mandatum Romae Italice composita, et Suae Sanctitati ad perpetuam rei memoriam porrecta, sed a me indigno Latine reddita Florentiae anno 1666 ex ipso exemplari Italico usque in diem hanc in dicti Archiepiscopi chartophilaciis asservato : 1

" Beatissime Pater,

" Inter Iberniae Catholicos a tempore immemorabili duae semper regnarunt hactenus contrariae factiones. Una appellatur veterum Ibernorum, qui licet per omnes quatuor Regni Provincias sparsi, magis tamen quam in aliis numerosi sunt in Ultonia, ubi quodammodo sedem habere videntur. In ea enim se in ipsorum coryphaeum induit Comes Tironiae, et eorum causa multis annis in Reginam Elizabetham bellavit. Altera factio vocari potest antiquorum Anglorum, soboles Guillelmi Normanni, qui Angliam debellaverat, temporibus in Iberniam introducta et sic nuncupata in novorum Anglorum posterius cum haeresi illo ingressorum differentiam. Qui, cum dici possit eos praefatis coloniis in Momonia praesertim et Lagenia sparsis Iberniae sanguinem miscuisse, vocantur etiam Iberni recentiores ut ab antiquis discernantur, et tam reciprocis matrimoniis, quam aliis omnibus contractibus continuum cum Anglis commercium fovent. Hae duae factiones ob sequentes praesertim causas discordant : Iberni antiqui ut ab haeresi, sic etiam a jugo Anglicano magnopere abhorrent, et plerique bonorum ecclesiasticorum *investituram* sibi, ex quo Reges ab Ecclesia apostataverant, oblatam acceptare recusarunt ; alii vero monasteriorum proventibus ditati, et ita Regi devincti

ut ipsorum intersit ei adhaerere, nec volunt nec desiderant
2 aliud quam Regis exaltationem, nec alias quam Regni leges | magni faciunt, omnes affectu Angli et ob continuam cum haereticis familiaritatem minus horrentes Religionis diversitatem. Ipsa quoque natura conferre videtur ad alendam inter eos morum distantiam, cum hi recentiores sint, maiore ex parte, statura non procera, spiritu vivaci et ingenio subtilissimi. Antiqui vero sunt grandi corpore et agendi ratione si non impoliti, certe simplices, et tarda potius apprehensione, minorique in tractandis negotiis dexteritate. Quare hae duae factiones se invicem oculis lividis intuentur et semper timent altera alterius incrementum. Meo autem tempore maiori virium Catholicarum parti imperabant duo Praefecti Generales, Eugenius O Nellus et Thomas Prestonus, hic ex recentioribus, et ille ex antiquis, non solum genio et partium studiis aemuli, sed etiam eadem aemulatione exacerbati, quod una in bellis Flandricis militiam exercuissent, et exinde mutuae ostendissent aversionis indicia. Hoc meae rerum Ibernicarum Relationi fundamentum sternere necesse fuit. Nam sicut omnes eventus, qui meam *Nunciaturam* praecesserant, ab hoc pependisse liquebit, ita etiam certus sum ab eodem dependisse eos, qui inter eam successerunt et forsan pensuros, qui imposterum successerint. |

3 "**2.** Itaque paulo altius mihi repetendum est Catholicos in Ibernia anno 1641 in illam gloriosam ivisse sententiam eo coeundi inter se faederis ut, etiam armis, imo et ab ipso Rege, publicum et liberum nostrae Religionis exercitium obtinerent. In hoc negotio citra dubium auxilii supernaturalis radius eluxit ; nam non obstantibus, de quibus dictum est, partium studiis, unanimiter caeperunt in reprimendis Anglis, aperiendis ecclesiis, deturbandis *Ministris*, Parochis atque Episcopis restituendis, et stabiliendo in summa Religionis cultu talem facere progressum ut totum orbem Christianum expectatione suspenderint, et maximam Catholicis Anglicanis spem fecerint fore ut ipsi quoque Ibernorum exemplo atque ope idem in Anglia exercitium restaurarent. Sed quia huius incaepti principia in Ultonia et inter antiquos Ibernos nata fuerant, tamdiu successuum faelicitas et Confaederatorum zelus duravit, quamdiu negotium plus divini quam humani habere non destitit. Ubi autem sanguis deferbuisset, et natura ad suum statum regressa esset, redierunt etiam recentiores Iberni ad suspiciones et dissensiones, et ad mixtum invidia timorem, ne si res succederet, gloria atque utilitas

esset tota suorum aemulorum, qui | forsan postea inter hanc magnam opportunitatem ab omni prorsus deprimenda adversariorum potentia non obtinuissent. Arguebant in particulari, quod cum Religionis libertas, ad quam Faederati aspirarent, illorum saltem bonorum, quae ad ecclesias vel Cathedrales vel parochiales pertinent, restitutionem necessario includeret, facile fieret ut paulatim Religiosi possessiones ad Monasteria spectantes repeterent, proindeque familiae nobiles meliore atque opulentiore redituum parte privarentur. Antiqua etiam suspicio id effecit ut crediderint alteram partem eo consilia et vires omnes intendisse ut sub purae Religionis velo adversarios illa fortunarum abundantia, quam ipsis invidere videbantur, spoliarent. Cui suspicioni nullum attulit remedium potestas condonandae amplo modo possessoribus dictorum bonorum retentionis mihi facta, qua in tanto *investiturarum* numero non nisi paucissimi usi sunt. Nam eam alii contumelioso metu, ne si Rex postliminio restitueretur, eos ob recursum ad Principem exterum puniendos, deludebant et alii impudenti malignitate objiciebant, Romanorum concessionum observantiae non esse fidendum. 4 recentiorum Ibernorum suspiciones.

"**3.** Itaque coniurationem quantocyus coierunt, et periculis ac rerum statu ponderatis ut aliam | partem viribus aequarent vel superarent, unanimi consensu statuerunt tentare, quicquid possent, quo pax cum Rege et *Protestantibus* Regi militantibus contraheretur et bellum cum solo Parlamento, iam coronae hoste declarato, continuaretur. Commodissima fuit huic eorum menti occasio, qua Rex Jacobum Butlerum, Ormoniae Marchionem, et ex recentiorum factione Ibernum, in Iberniae Proregem ascivit. Qui creditur ad eam provinciam obeundam ex industria fuisse a sua Majestate mandatus, ut cum sua parentela et adhaerentibus Ibernos inter se divideret magno tunc timori habitos et publice vocatos rebelles Anglorum regimini, ob consilium quod inierant. Concilium ergo Supremum pene totum ex huius factionis membris compactum facile obtinuit ut dictae pacis tractatus cum Marchione inchoaretur, et sub praetextu conveniendi ante omnia de Religionis conditionibus, ob quas faederis Juramentum susceperant, induciae cum ipso pangerentur et prorogarentur, quae plures annos continuatae demum cum damno inaestimabili omnes belli vires enervarunt, et Marchioni certam rerum in eum redigendarum statum, in quem eas postea redegit, spem pepererant. Quae res ob rationes gravissimas magnopere fuit 5

6 deplorabilis. Ex his enim armorum | cessationibus mox nemini non apparuit publicum Religionis exercitium Ibernis in confaederatione fuisse praetextum (nam non ostendebant se curare eius securitatem sicut conveniebat) sed re ipsa omnes propriis commodis et quas ipsis Marchio faciebat, pollicitationibus incubuisse. In summa suam cum Rege quam cum Deo reconciliationem pluris habebant. Quare speciosus ille Religionis titulus orbis Christiani opinione defloruit, et mox sub rationum politicarum aestu exaruit. Hinc pariter factum ut populus antea militiae assuetus et, quod arma victoriosa tractasset, terribilis, gustata per aliquod tempus propter has inducias quiete, se languori manciparit et intermissam iam artem fastidire caeperit. Denique hinc factum ut veteres discordiae recruduerint et, quam antea fuerant, evaserint saeviores, antiquis Ibernis protestantibus se nec pacem nec concordiam admissuros nisi ea lege ut Ecclesiae et publicum Religionis exercitium eousque sanguinis effusione reportatum conservarentur, et aliis publicantibus peti non debere nisi quantum a Rege, considerata tunc rerum conditione, concedi poterat. Super quo articulo Laici in congressibus privatis et sacerdotes ac Religiosi in pulpitis et scriptis talem inter partes concitarunt strepitum ut haec civilis concertatio | ipsi bello non cesserit atrocitate. Se tenebat tunc in Ibernia Petrus-Franciscus Scarampus, Abbas, a faelicis recordationis Urbano 8° illo mandatus ut faederatos ad promovendum incaeptum tam digne inchoatum adiuvaret. Verum licet extraordinaria diligentia conatus sit omnibus persuadere ut a primo scopo non recederent, et ab omni pace non futura Religioni Catholicae nec honorifica nec secura abhorrerent, cito tamen observavit quod ibatur ad praecipitium sine retinaculo. Quare Kalendis Septembris an. 1645 Sanctitati Vestrae scripsit sibi videri pacem velut iam conclusam sed funestam et deplorandam quoad res ad Religionem pertinentes.

"**4.** Interea Sanctitas Vestra non minus confaederatos quam meam ipsius honoratura personam, dignata est me in illud Regnum destinare cum Nuncii extraordinarii titulo et spe fore ut meus appulsus cum non spernendo subsidio pecuniario, quod Vestra Sanctitas adiecit, coniunctus eo exciperetur libentis animi affectu, quo id desiderasse videbantur. Verum successit omnino contrarium et de facto Iberni recentiores parati quidem erant ad recipiendam libenter rem pecuniariam. Sed quod ad Nuncii adventum spectat, tam eis displicuit quam quod maxime.

Cuius aversionis prima indicia ostendit Regina Angliae, quae (sicut tunc litteris significavi) nunquam adduci potuit ut me, tanquam Sedis Apostolicae Ministrum, reciperet, allegans id per Regni leges et obsequia | marito debita non licere sine 8
gravi praejudicio. Richardus Bellingus, faederatis a secretis, qui praefatam pecuniam postulaturus eo tempore Romam veniebat, ut audivit Florentiae de me in Nuncium assumpto, adeo obstupuit ut plures dies lingua captus videretur. Sed omnium locupletissimus testis est ipse P. Scarampus, qui data huius legationis notitia Concilio Supremo, accepit ab illis dominis magnopere confusis hoc breve responsum, se non postulasse Nuncium, nulloque modo eum curare cum eiusdem patris persona ipsis sufficere posset in occasiones necessarias, sed Pontifici ut suppetias et pecuniam elargiretur, supplicasse, et haec a Sua Sanctitate expectare. Hac animorum dispositione et rerum statu existente, ubi Rupella navigassem et fregatam Anglicanam me persequentem centum milliaria fugissem, exscensionem feci in Iberniam incultissimo et minus frequentato Momoniae portu alias *Kean-*
Kilmarensi. *marensi.*

" **5.** Exhibiti mihi ab exscensu in terram, Kilkenniam usque, non solum a populo inferiori sed etiam ab utriusque factionis nobilitate honores et comitatus fuere dubio procul notabiles. In toto Regno non est alia viarum asperitas quam Momoniae montes, per quos cum mihi iter tenendum esset cum copiosis sarcinis et impedimentis, ubique a stipatoribus in tuto positus fui, | suppeditatis etiam vecturis, adeo ut licet necessario 9
mihi itinerandum esset per fines haud decem milliaria ab hostibus distantes, his tamen praesidiis munitus absque periculo iter confecerim. Verum inter infinitas populi genuflexiones et nobilitatis congratulationes, mihi statim fuit satis facile cognitu, quod Iberni veteres suo applausu me reverebantur velut Dei Ministrum et alii tanquam Principis Thesaurarium. Illi semper de pace bona, de Ecclesiis conservandis, de observando Juramento suscepto ; hi vero nunquam nisi de Rege, de praerogativis Regiis et de belli indigentiis mihi loquebantur, et interea si de pace discurrebatur, eius speciem orichalco velabant, sicut iam ejus substantiam palliare moliebantur, et ubi Kilkenniam pervenissem, observatum est in more positum fuisse ut primi ingenue mecum agerent, domumque meam frequentarent. Quod autem ad secundos attinet, exceptis mandatis publicis, quae mihi saepius communicatum veniebant, de caetero et limina et habitationem a longe salutabant.

"**6.** Cum tamen octo primos meae *Nunciaturae* menses mecum tractare et singularem subinde praeseferre fiduciam non desierint, aequum duco eius rei hic addere rationem tanquam futuram omnibus documento in tempora posteriora, quae etiam Sedi Apostolicae facem praeferat, siquando subsidia ad partem Catholicam transmitterentur et in huius factionis manus inciderent. Certum est quod Iberni recentiores sicut Nuncium non cupierint, quo pecuniam, quam afferebam, pro suo beneplacito distribuerent, ita ex adverso eum deinde desi-
10 derarint, potius quam re pecuniaria prorsus | frustrarentur. Quo factum ut per tres menses, quibus Parisiis permansi, Concilii Supremi Secretarius tunc Roma reversus et alii adhaerentes gravissime conquesti sint de mea cunctatione, et monstrarint se ardentissime desiderare meum appulsum in Insulam, non quod illum honorem aut charitatem sibi ipsis exhibendam studerent, sed quod dubitarent ne prae mea mora pecunia retro reportaretur, vel in Gallia retineretur. Hinc etiam factum ut licet pacem ab ipsis tantopere praemeditatam multis ante mensibus scripto conceperint, eam tamen, nisi me appulso, non promulgandam duxerint, illamque, quamdiu rem pecuniariam penes me habui, infinitis artificiis dissimulaverint semper timentes ne ego, audita pudendi adeo tractatus conclusione, vela retrorsum darem et subsidia reveherem. Denique (sicut suo loco dicetur) hinc factum ut re numaria a me distributa et exinanito marsupio, illi subito, tanquam ab hac consideratione liberi, machinam applicuerint, et, promulgando pacem, id palam fecerint quod per plures annos una machinati erant. Ob has rationes et alias a me inferius subiungendas, ex validissimis indiciis colligere mihi videor hanc pecuniam, quam postularunt et tanto animi affectu pene adorarunt, fuisse partem pretii ob dictam pacem promissi Proregi, tanquam illi, qui subtilissimis fraudibus plenus caro Catholicis vendere statuit eam legem, qua ipsis (sicut pollicebatur) suae Religionis exercitium verbis, non re ipsa, concederet et eos scripto tenus
11 eximeret paenis ac rebellionis | delicto contracto (ut Prorex affirmabat) quod Regem bello illi indicto offenderunt. Crevit haec suspicio quod primis illis mensibus mutuo dederim duodecim scutorum millia in exercitus Lageniensis partem adversus Puritanos Scoticos impellendam impendenda, sed Marchioni data pollicito se etiam in eos moturum licet nunquam moverit. Imo (sicut ab iis, qui audierant, didici) Marchio per Civitatem Dubliniensem ostentabat se Papae pecuniam recepisse.

Unde dolo offensus et me reliquam pecuniae partem retenturum comminatus tantum incussi ipsis timorem ut mox mihi solverint. Quod si hae rationes praecedentes ad ea, quae scribo, persuadenda valeant, multo minus ei, qui subsequentia usque ad meae discessionis diem legerit, ullum supererit haesitationis vestigium, ubi viderit quid factiosi usque in finem patrarint quo subsidia pecuniaria secundo transmissa in suas manus inciderent, nulli parcentes violentiae et utentes mediis etiam sacrilegis. Tanti intererat ut observaretur etiam ex parte aliqua promissio secreta, et sic distributae fuissent suppetiae, si haec pars eas dispensasset.

"**7.** Jam ad meae narrationis filum redeo. Inveni ad meum ingressum (in Insulam) res spirituales in optimo statu et exercitium Religionis splendidum, beneque ordinatum. Debita Provincialibus a suis Ordinibus obedientia exhibebatur. Episcopis suum pariter obsequium praestabatur, licet horum pars major, in Regimine avarissimi et Romanorum constitutionum rituumque contemptores digni sint qui seorsim considerentur. Operam ergo dedi ut perficerem quicquid deerat, et quamvis a Doctoribus et causidicis haud alios Codices quam leges Anglicanas legere solitis mecum subito ventum | sit ad 12
controversiam ne tribunal erigerem, id tamen modo (ut in illis primordiis) tolerabili formavi, ibique stabilivi consuetudinem gratis expediendi causas propterea illo cum maximo concursu introductas, et quamdiu in Insula pacifice permansi, fuit conservata Regularibus, etiam civiliter, exemptio ab omni alio foro. Sed in rebus militaribus detexi deceptiones vix superabiles. Viso quod omnes quatuor Regni Provinciae hostem haberent in visceribus, et quod in omnibus quatuor sub faederatorum vexillis exercitus et Imperatores distincti stipendia facerent ; allegabat recentiorum Ibernorum factio hanc dispendiosam defensionem, tanquam praetextum sufficientem ad accelerandam cum Rege pacem, quae ab ipsis habebatur tantopere necessaria ut ex suorum Theologorum opinione crederent contrahendam etiam non obtento splendore Religionis, pronunciantes, non obstantibus strictissimis Juramentis susceptis, publicum eius exercitium non obligare tanto periculo, et satis serviri Deo Missis et sacrificiis clandestinis, quoties publica pariunt Reipublicae perturbationem. Roborabat hanc opinionem authoritas quam Glamorganiae Comes ostendebat concessam sibi fuisse a Rege amplissimam ad concordandum cum ejus subditis. Qui Comes sic eam tractabat et pro suo arbitrio

augebat ut videretur sufficere in satisfactionem articulorum
13 spectantium ad Religionem. Verum | haec omnia in vanum dicebantur. Nam primo hostes adeo in Provinciis erant debiles, ut si bellum, nullis cum Prorege contractis induciis, protractum fuisset, biennio succubuissent. Lageniae Protestantes et Prorex, cum quibus solis pax concludebatur, erant parva pars etiam viribus debilissima. Sed restabat ut bellum nec plus nec minus eodem modo cum aliis hostibus gereretur, et suppetebat unde se in omnes defenderent. Nam in Momonia recens recuperatum fuit Duncananiae propugnaculum et in tuto positus ille portus Provinciae commodissimus. In Ultonia adversus Scotos militabat Praefectus Generalis, O Nellus, et in Conaciam, licet de novo Sligoa perdita sit, Thomas Prestonus destinabatur. Nec poterat sterni in fundamentum authoritas Glamorgano concessa, quae tota consistebat in *foliis albis* et concessionibus sigillo Regis cubiculario et privato signatis, quibus sua Majestas non poterat legitime obligari. Consumpsi ergo totam hyemem ostendendo Consiliariis quam infamiam apud omnes et quantam ingratitudinem in Deum ac Sanctam Sedem incurrerent, si in illis circumstantiis caepto desisterent, et Juramento, quo se ad Religionem in Regno totis viribus stabiliendam obligaverant, renunciarent. Cumque interea Prorex Glamorganiae Comitem tanquam in pollicitando Catholicis contra mandata Regis
14 nimis | liberalem Dubliniae in carcerem conjiciendum curarit, eo magis exaggerabam ut oculos aperirent. Nam si Ormonius illius incarcerationis titulo se vel nudam Religionis Catholicae mentionem horrere demonstrabat, qua ratione sperare poterant illi arrisurum ut de ea in pacis tractatu ageretur, et ea deinde in conventionem utrinque pactam veniret? Quae ratio postea evasit indubitabilis, cum Rex, tribus deinde mensibus interiectis, publico edicto platearum Londinensium angulis affixo declarasset se nullam unquam Comiti circa res Ibernicas fecisse potestatem, omnibus praecipiens nequam ipsi fidem haberent. Sed surdis canebatur. Nam de facto pax (sicut superius indicavi) iam pacta erat, et tamdiu dabantur verba et hinc inde mandata fingebantur, quamdiu expectabatur ut subsidium a Nuncio allatum in ipsorum manus incideret, vel in quos usus converteretur? Jam enim ineunte vere necessitas postulabat ut ea res in deliberationem veniret.

" 8. Fateor me, etiam dum in Gallia me tenerem nec in rebus Ibernicis versatus essem, tamen propendisse ad collocandas in Ultonia suppetias Vestrae Sanctitatis. Illius Provinciae situs

trium tantum horarum navigatione a Scotiae promontoriis seiunctus mihi persuadere videbatur nunquam requiescendum a Puritanorum invasione, nisi illa porta obturata. In quam meam sententiam firmius ivi, cum iam in Insulam advectus audiissem quod in illis partibus quotidie Scoti in unum corpus coalescebant, in vulgus spargentes se in nostros fines irrupturos. Verum Concilium Supremum iuxta iniqua partium studia iam dicta, ut Ultoniae non subveniretur in hoc | imminenti periculo 15
nisi forsan consentiebat, certe dissimulabat. Demum tamen superatis difficultatibus evici ut suppetiae in illam partem destinarentur, et licet mihi decretum fuerit eas ibi omnes impendere, acquievi tamen cuiusdam alterius opinioni, qui *hic erat P. Scarampus.*
earum partem Prestono in Conacia bellanti dandam iudicavit. Secus enim affirmabat O Nellum et ipsum, factionum contrariarum duces, ad manus venturos, et tantum abfuturum ut confaederatio adiuvaretur ut etiam tota dissolveretur. Itaque inter hos duos Praefectos generales divisa fuere arma et apparatus bellicus, et trium summae partium paulo minus duae Prestono numeratae et reliquum O Nello. Non est hic abs re Sanctitatem Vestram admonere diversitatem stipendiorum, quibus illae Provinciae Iberniae utuntur. Ultonienses et in quadam parte etiam Conacienses suapte natura assueti tolerantiae, atque ad illius climatis septentrionalis algorem obdurescentes pauca desiderant et pauco indigent. De pane non solliciti, trifolio et butyro victitant. Lac bibunt et in omnes delicias *aquam vitae.* Dummodo suppetant calcei et nonnihil utensilium, laneo pallio cooperiuntur, maiorem habentes curam ensis et balistae quam ipsorum corporum. Pecuniam raro tangunt, de qua pariter raro litigant. Sed Lagenienses et Momonienses ad civilis vitae consuetudinem magis imbuti et recens bellis Anglicanis assuefacti praetendunt ad usum illum se plerumque dirigere, et omnem militis volunt commoditatem. Unde Prestonus proprio etiam tractus commodo demum introduxit ut suis legionibus stipendia numerarentur ad Flandriae consuetudinem, qua vigens in Ultonia stipendii militaris | dimidio amplius superatur. His praeparationibus 16
uterque exercitus solis Sedis Apostolicae sumptibus processerunt aestate anni 1646 ad expeditiones destinatas.

"**9.** Earum exitus hic fuit. O Nellus coacto suo exercitu quinque peditum millibus et octo turmis equestribus constante processit occursurus Scotis in Comitatus Ardmachani confiniis ad Castellum Benborbiense. Hostis ipso longe potentior

accedebat ea mente ut in Lageniam progrederetur et vi sibi viam aperiret. Erant peditatus legiones novem et equestria vexilla quindecim sub imperio Robert Monroi, Scoti, iam ostentantis se Catholicos tunc inter se discordes non solum invasurum sed etiam subacturum. O Nellus habita ad milites gravi exhortatione et se cum universo exercitu Sacramentis praeparato praelium inchoavit. Quo, post conflictum per quinque horas ancipitem, demum victoriam reportavit. Scoti receptui cecinerunt, et in fugam versi, deindeque per semitarum angusta intercepti occubuerunt circiter quinque millia. Monrous alium ementitus fugit. Remanserunt captivi sexaginta militiae duces. Cesserunt in praedam victoribus impedimenta, sex belli tormenta campestria, vexilla quadraginta cum Labaro principali et (quod pluris interfuit) hostis adeo fuit enervatus ut nunquam postea meo tempore in ea Provincia caput extulerit. In applausibus militaribus, qui Sanctitatis Vestrae benedictionibus et subsidiis tunc exhibiti fuere, recensendis prolixior essem, nisi triumphus tunc satis scriptus fuisset, et inspicerentur etiam hodie appensa sub Basilicarum Romanarum fornicibus |
17 vexilla, quae eorum magnificant victoriam. Ad hanc magni momenti cogitationem repetendam haud mediocriter teneor: Nisi tunc ille exercitus obviasset, et eius conatibus Deus aspirasset, nulla hodie, ne minima quidem Iberniae pars superesset Catholica. Progredi Kilkenniam, ubi Concilium residebat omni defensione destitutum, adeo erat facile ut iam Scoti praenotatas haberent tabulas itinerarias, et (sicut postea constitit ex litteris repertis in caesorum vestibus) ipse Ormoniae Marchio solitis et subdolis artificiis libere ipsis transeundi faciebat potestatem. Verum victoria tam insignis haud ad aliud conduxit quam ad occurrendum periculis. Milites spoliis ditati, intra paucos dies in diversa abierunt, et obviam itum est gravi damno cum progressu minimo. Unde cum ex eventu, infima quidem prudentiae regula, sed in bello tractando nunquam contemnenda, res ponderans, et expugnata pecuniis Apostolicis apud Conaciam loca postea iisdem Protestantibus, quibus hoc anno erepta essent, demum restituta fuisse considerans, non nihil doleo quod subsidia omnia in hunc exercitum Ultoniensem non distribuerim. Summa enim Prestono tradita, si mihi superfuisset, in illo victoriae aestu Ultoniam a Scotis prorsus liberasset, et illos portus, per quos ipsis semper libera irrumpendi via patet, recuperasset. Sed hoc prudentioribus perpendendum relinquamus. Interea cum Tomoniae

Comes in Momonia ad Parlamenti partes | descivisset, et in 18
ipsorum potestatem suum forte Palatium Bunratense permisisset, ad expeditionem illo missus est Muscriae Vicecomes, Donatus Mac-Carty, Ormonii sororius, qui, licet ex antiquo Ibernorum sanguine oriundus, erat tamen, ob propria commoda, factionis, quam, ergo, imposterum Ormonicam vocabo, coryphaeus. Creditum fuit, aliquo Ormonistarum fine occulto processum esse in huius loci obsidione cum lentitudine, et ob infinita, quae continuo, non sine variis causationibus, ibi detegebantur, offendicula id verum esse animadvertens illo proficiscendum duxi, eo ipso tempore, quo Prestonus in Conacia penetraverat et Roscomaniam expugnabat. Duodecim diebus, quibus in castris Bunratensibus moram traxi, absoluta fuit illa obsidio. Providi quicquid opus erat. Omni excusationi obviaturus pecuniam mutuo dedi. Ad insiliendum animavi, et, finita expeditione, Vexilla Anglicana per civitatem Limericensem in Religionis Catholicae trophaeum portanda curavi. Quibus pene diebus Prestonus ubi Roscomaniam et castella vicina expugnasset, praeferebat se moturum ad Sligoam obsidendam. Quo tempore ex improviso accepit a Concilio Supremo litteras cum mandato, ne ulterius procederet. Hoc praescriptum sicut eos, qui victoriae cursum interruptum noluissent, ingenti stupore perculsit, ita bonis omnibus aperuit sensum ad intelligendum ex hoc puncto fatali genuinum discordiarum Ibernicarum cardinem, et ad praesagiendos successus deplorandos in futurum secuturos.

" **10.** Iam incredibiliter occupaverat Ormonistarum animos opinio | concepta de continuis meis declarationibus et Cleri 19
sermonibus eo spectantibus ut nulla praeterquam secura Religioni pax admitteretur. Videbant consiliis a me et mihi in obsidione Bunratensi communicatis et multo magis O Nelli victoria indies crescere Ecclesiae authoritatem et fautores. Iam distributa erat Sedis Apostolicae pecunia. Unde cessante spe et crescente suspicionibus, pacem cum Prorege excogitatam promulgare decreverunt, et Prestono arcanorum omnium conscio litteris (sicut dixi) praescripserunt, ne ulterius progrederetur, quo posset esse promptus in omnem, quae fieret, resistentiam. Praevidebam, si ea violentia, quam res postularet, obviam irem, magnam eventorum catastrophen secuturam et vana ac ridicula fore in contrarium officia, nisi aliqua vis adhiberetur. Nec me praeterit me, dum animis penderem, fuisse notatum remissioris zeli et reprehensum ab iis, quibus *Hic erat*

P. Scarampus. non nulla esset mei admonendi authoritas. Fateor tamen nec scivisse me, nec voluisse aliud statuere, quam non meo solius consilio niti, sed totam Ecclesiam Ibernicam in unam Synodum convocare, et, si suffragia non concordassent, protestari me pacem nec probaturum nec improbaturum, sed per omnia secuturum prudentissima Sanctitatis Vestrae monita, quibus mihi praeceperat ut ab horum extremorum utroque abstinerem. Facta ergo fuit convocatio Waterfordiam, quo confluxerunt omnes ordines Ecclesiastici ad pacem examinandam non minori diligentia quam Marchio eiusque fautores ad eam ubique promulgandam contendebant. Visis in prima sessione omnibus articulis, quorum multi Religioni praeiudicabant, quorumque nullus eius securitati providebat, omnes unanimi consensu pacem esse iniquam iudicarunt. Datum tamen fuit tempus
20 Consiliariis, quo suas actiones melius purgarent, | vel sufficiens invenirent remedium, nullaque ab ipsis per multos congressus unquam proposita nisi frustranea nec concordiae redintegrandae nec sui purgandorum ratione, ventum est ad decretum, quo declaratum est Consiliarios peierasse, et ad excommunicationem, nequis Concilio morem gereret, nec non ad plenam pacis proscriptionem. Subscripserunt decreto omnes congregatorum ordines, etiam Jesuitarum Provincialis. Et ego, cum crederem hunc uniformem Ecclesiae consensum esse vocem Dei, acquievi tunc eidem opinioni, ita tamen ut velut praesaga futuri protestatione omnibus praesentibus manifestarim fore ut quicquid tum ab ipsis fieret in communi, postea totum in meum solius caput retorqueretur. Nunquam forsan saeculum nostrum vidit mutationem hac, quam recenseo, magis inexpectatam, et si non Sanctitati Vestrae Relationem, sed historiam scriberem posteris, illam famosissimis quibusque Europae successibus comparare non dubitarem, et ostenderem quantopere verum sit omnem orbis plagam esse capacem nobilium eventorum, licet non omnibus requisitae suppetant conditiones ad peragendum ut appareant spectabilia. Misera Ibernia semper obscurata magnificentiis Anglicanis, tam a continente quam ab hominum notitia longe gentium distat, et illius in se dominantis Monarchiae radiis offuscata non parit lumina nisi quae videntur esse taedae. Penes Clerum ab Ormonistis tantopere vilipensum et odio habitum, velut ad ictum oculi, Regni dominium fuit. Currebant certatim milites et duces ad bellandum pro Clero tracti partim timore censurarum, partim privato in Concilium odio, partim
21 etiam consuetudine sequendi partes | victrices. Demum

excussis per praefatas sententias omni authoritate Consiliariis, et stupentibus pedetentim denegatam sibi obedientiam, devoluta est citra contradictionem ad Clerum potestas et titulus Confaederatorum. Ex altera parte Marchio totus iubilans Dublinia egressus magna solemnitate Kilkenniam perrexit, ubi pacem vi promulgandam curavit. Quod tamen aliis in locis praestare nequivit. Fecialis fuit repulsus a Waterfordia et aliis Civitatibus, et Limerici, suscitato in eum tumultu, parum abfuit quin perierit. Interea Marchio tanquam confusioni remedium adhibiturus, in Catholicorum fines progredi statuit. Sed cum vires, quae iam Clero coluerant, se indies deficere, et amicos, quorum opera se usurum crediderat, armatos sibi resistere animadvertisset, ac populum ad Ecclesiae partes continuo transeuntem observaret, dubitans ne et ipse interciperetur, se in fugam dare decrevit, et Kilkenniam, quo octo diebus elapsis triumphans intraverat, haud regredi ausus, tribus tantum equitibus comitantibus die noctuque cursitans, confusione et rabie plenus Dubliniam remigravit. Nec posset reperiri negotium, quod tanto tempore excogitatum infaelicius successerit, et cui minus applausum sit, nisi solus Prestonus, qui postea se rerum statum prae distantia ignorasse causatus est, ad prima pacis nuncia omnibus militum bombardis semel exoneratis effecisset ut illa iubila, quae in terra non resonabant, in aere volarent.

" **11.** Interea Congregatio Ecclesiastica ad Regiminis clavum sederat et rerum summae providebat. Tres praesertim deliberationes Clerum magnopere sollicitum tenebant. Prima erat rei numariae indigentia ; cui populus aegre et magna | titubatione 22
satisfaciebat. Quare Clerus pecuniam, quam Sanctitas Vestra dederat, exhaustam videns decrevit postulandam a Beatitudine Vestra de novo D. Decani Firmani opera, qui Regni spem et repentinas mutationes relaturus Romam venit. Posthaec 2° loco ventum est ad deliberandum de expeditione reliquo Autumno suscipienda, nec mihi difficile erat persuadere quod Dublinia tentari deberet. Haec erat Regni caput et securior ad traiiciendum in Angliam portus, cuius expugnatio si Clero ex sententia successisset, quis potuisset temerariam censere spem transportandi Religionem ultra mare postquam eam Dubliniae in tuto collocasset ? In summa, illa expeditione cum applausu decreta, datum est O Nello in mandatis ut coacto exercitu in Lageniam progrederetur. Qui si etiam minus solito cautus vires ex improviso versus illam Civitatem impulisset, aut saniori

consilio ductus viam, qua Marchio fugiens remeavit, insessurus movisset, duorum alterum successisset, quorum utrumque bello finem imposuisset. Nam vel hac praecautione Marchionem facili negotio cepisset, vel illam deliberationem secutus intrasset portis apertis Dubliniam. Sic in belli vicibus saepe vicina est damnis irreparabilibus summa prosperitas. Sed quae 3° loco proposita sunt maiorem procrearunt difficultatem. In consultationem venit, nunquid Praefectus Generalis, Prestonus, cum suo exercitu in auxilium vocandus esset, aut expeditio
23 soli O Nello committenda ? Magis sensati ob oculos | ponebant fatale infortunium Regni, in quo nunquam coaluissent duo Praefecti Generales sine aliqua successuum infaelicitate, quae magis timenda foret inter hos duos et in praesenti rerum statu, quo iam ex sclopetariorum congratulatione et explosionibus constaret, qualiter in pacem affectus esset Prestonus ? Ipsum ergo O Nello associare, nihil esset aliud quam expeditionem pessundare. Verum placidiores, quorum Episcopus Fernensis esset coryphaeus, in contrariam sententiam abierunt. Dicebant enim si alter in Lageniae Provinciam, cuius Praefectus Generalis erat Prestonus, destinaretur, exinde futurum ut Prestonus, nisi in expeditionis partem vocaretur, gravissimam sibi illatam duceret iniuriam, qua ad coalescendum Ormonio et factiosis cum suo exercitu et ad Regni non animos modo sed et vires dividendas compelleretur. Quare existimabant necessarium ut illiceretur, monstrando ipsi confidentiam, et liberarent se ipsos per quandam dissimulationem a periculo evidenter maiori. Iisdemque diebus Prestonus observato quod Provinciae Ecclesiae studerent, suum litteris et missis nunciis Clero obtulerat obsequium, et excusaverat variis praetextibus factam a se pacis promulgationem nec non exhibitam bombardarum strepitu gratulationem. Praevaluit ergo haec secunda deliberatio, et quo exercitus unirentur, opportuneque ad rem exequendam expedirentur, redeundum erat Kilkenniam : ubi renovatum vidimus exemplum instabilitatis humanae. Paucis diebus elapsis exhibendi Marchioni honoris ergo millena ob introductam pacem omnium oculis exponebantur encomia et audiebantur epinicia. Modo autem ob eandem proscriptam ipsissima iidem auctores et recitatores in Clerum transferebant. Ludibria sine
24 dubio et non praeconia, eoque magis | contemnenda quod nec ipsa donentur, sed commodentur.

" **12.** Jam ut infaustos expeditionis Dubliniensis successus referam, mihi video incumbere necessitatem recensendi prae caeteris principia illius coniurationis, quae deinde usque ad

meum ex Ibernia discessum duravit. Eius enim fundamenta tunc temporis iacta fuere. Jam Reginae Angliae Ministri de obicibus a me paci per machinationem contextae positis ab Ormonistis moniti, et persuasum habentes futurum ut Clerus a mea sententia non discordaret, suggerebant Kenelmo Digbaeo, Equiti, eius oratori tunc Catholico ad Sanctitatem Vestram allegato, ut omnia a me gesta tanquam seditiosa culparet, quo fieret ut Regno exirem. Kenelmo in suis molitionibus respondebat Georgius Digbaeus, iam Regi a secretis, Religione *Protestans*, qui anno praecedenti prae Parlamenti metu Anglia egressus et hyeme cum Iberniae Prorege commoratus, postea in Galliam ad Reginam traiecit, et Waterfordiam regressus, vix exscensionem in terram fecit, cum sui agnati caeptis aspiraturus et propriis commodis consulturus, audacter in vulgus spargere caepit Regem Christianissimum se declarasse protectorem pacis in Catholicorum utilitatem, et futurum ut Nuncius intra paucos dies, quod Sanctitatis Vestrae mandata et monita transgressus esset, Romam revocaretur. Nemo me melius testificari potest, illi rumores falsi quantopere multorum animos occupaverint. Nam non obstante quicquid sciebam in contrarium, et propriae conscientiae candore, expertus tamen fui, etiam ipse, illas haesitationes, quas bis mille | milliariorum longinquitas et 25
me per alios cursores quam per ventos de vero certiorem faciendi impossibilitas procreare poterat. Sed prae me obrutus est confusione Digbaeus, ubi non modo me non consternavit, sed etiam vidit Clerum coram me convocatum exautorasse Concilium, et Regiminis clavum arripuisse. Mutavit ergo mox insiliendi normam et ipsi cum aliis convenit, ut specie quidem verbis pacificis uterentur, sed de facto coniurationem occulte stringerent, et quovis modo Dubliniae obsidionem impedirent. Quare iussus est Prestonus novo magistratui, quantum simulando posset, se accommodare ut ubi Dubliniam accessum esset, deliberarent de O Nello, qui alias multis modis interceptu difficilis erat, inter ambas partes opprimendo. Hae fuere re ipsa primae Ormonistarum cogitationes. Nam sublatis Ultoniensibus me necessario removendum existimarunt.

"**13.** Interea Congregatio Ecclesiastica, antequam exercitus moverent, attenuandae invidiae causa Kilkenniae in duas maximi momenti sententias ivit. Prima fuit erectio novi Concilii constantis tribus membris ex qualibet Provincia electis (sicut eousque usus inoleverat) ex tribus Regni Ordinibus quo una cum Ecclesiasticis rerum summam administrarent. Fuere

plerique mente satis recta et Clero amici et ego tanquam huius caput, in omnium Praesidem cooptatus. Haud me latet non defuisse, qui in Principum aulis de hoc titulo varie locuti sint. Nam Regum Agentes, qui in Ibernia se tenebant, ostenderunt se super ea re nonnullas fecisse *reflexiones politicas*. Quo non obstante certus sum me, ut Ecclesiasticorum Praefectum, illam denominationem recusare non potuisse, nec me illo regimine, quod totum ab ipsis pendebat, expedire. Ex altera etiam parte omnis videbatur evanuisse suspicio, cum constitisset me
26 nunquam | remotis aliis rem gessisse quantulamcumque, nullique mandato manum apposuisse sine sufficiente aliorum subscriptione, et in proximis deinde Comitiis, altera Concilii mutatione nondum publicata, palam illi officio renunciasse, cum solemnibus protestationibus non praetendendi, ne hilum quidem, in temporali Jurisdictione. Secunda Ecclesiasticorum decisio, sicut magis ardua, sic etiam, si debita cum constantia tractata fuisset, in Religionis et Regni salutem vergere potuisset. Videbat Clerus sententias latas non flexisse Consiliariorum arrogantiam, et dolos clanculum cum fautoribus struendo in eo adhuc ipsos esse ut Provincias continuo ad rebellandum sollicitarent. Unde offendiculis expeditioni ponendis secure obviaturus praescripsit ambobus Praefectis generalibus ut illos omnes, qui pacem principaliter concluserant aut faverant, in Castello Kilkenniensi custodiendos curarent. Eos agebant reos laesae Majestatis divinae, quod secundum faederis Juramentum Religioni non providerint, et humanae, quod articuli non praeseferrent legitimum Regis obsequium. Sic in Castellum pedetentim introducti sunt, ut nemo, ne minimam quidem, fecerit resistentiam. Apparuit tunc quid posset in actionibus humanis fictio et affectio. Prestonus enim illius praehensionis minister fuit principalis, et quia ipsi cum Secretario Bellingo occultae intercesserant simultates, haud in aliis incarcerandis suum contra sensum operari detrectavit, quo in illo solo custodiae mancipando vindictam expleret. Huius acti executio consolationi quam incarcerationi similior fuit, cum illi iam certi essent Dubliniam haud expugnandam. Propterea quotidie
27 recipientes litteras | nec non continuandae coniurationis spem, de eventu minime solliciti, laetitia afficiebantur, et, ad omnia obstaculorum, quibus nos implicaremur, nuncia, cervisiae cyathis faciebant infaustas propinationes in Religionis detrimenta.

" **14.** Praefectis generalibus duae viae assignatae fuere, quo

in unum locum confluerent ad Dubliniam. Utrique autem per suam recuperanda erant loca a Protestantibus occupata. Unde O Nellus per Reginae Comitatum movens, Mariamburgum, omniaque in circuitu usque ad Lisiae fluvium praesidia expugnavit. Sed Prestonus Gorano viam tenens, etsi apud me ostentarit Caterlagham a se intra paucas horas expugnandam, ex improviso tamen et Concilio inconsulto subscripsit induciis et propugnaculum illud a tergo reliquit. Nemo hanc actionem intellexit, quin planxerit. Nam satis clare indicare videbatur eum duplici corde ambulare et ipsi cum hostibus convenisse. Quare in rebus ab eo gestis diligenter ad modum observatus, demum ex assiduis apophthegmatibus, quae in O Nellum iaculabatur, et ex evidenti protestatione nolendi bellare in Marchionem, satis innotuit consilium, quod animo foveret. Hi duo copiarum militarium Imperatores tantopere mente inter se diversi et negotiis sibi contrarii erant praeterea indole dissimillimi. O Nellus verborum parcissimus, cautus, in operationibus phlegmaticus, et eximius in occultandis sensis artifex. Alter irae maximopere deditus et in ea tam temerarius atque apertus, ut saepe eius ipsum paeniteret, et tantopere subitus in bellicis deliberationibus, ut subinde imprudens videretur. Quod si O Nellus habitus est Fabii imitator, poterat Prestonus se Marcello comparare. | Jam videbant Concilium quomodo 28
ipsis successit quod hunc secundum Praefectum generalem ad expeditionem vocaverint. Cuius deliberationis sera ducti paenitentia convenerunt in unum quadam nocte modo secretissimo, et proposuerunt nunquid tanto defectu apparente necessarium videretur Prestonum in carcerem coniicere. Variarunt suffragia. Illi pauci qui ponderarunt rei momentum, iudicarunt etiam opus factu ut omnis exerceretur severitas, affirmantes hunc esse ex illis casibus, qui tardam non admittant nec ancipitem executionem, et in eo agi causam, in qua totius Regni vel servitus vel libertas verteretur. Verum alii cum derisu propositum nihili pendebant, et allegantes nunquam in eo Regno nisi suavem inolevisse procedendi modum, concludebant atrocem adeo actionem nunquam bene successuram, tantumque abesse ut propterea exercitus pacificaretur, ut etiam provincia eam iniuriam ulcisceretur, ac denique minus esse malum illius suspicionis tolerantiam quam suscitandi incendii certitudinem. Et hunc quidem in modum re ob tot causas gravissima haud penitus discussa dissolutum est Concilium. Verum non defuere multi, qui cum suspiriis sibi

sanguinis confaederati stragem quam Dubliniae triumphum magis imminere augurarentur.

"**15.** Ante omnes ego magnis cogitationum fluctibus divexabar. Sicut certum erat me expeditionem persuasisse, sic etiam mihi imputabantur directiones et consilia, et exitus si fuisset deplorabilis, quae me non poterat manere culpatio? Prestonus iam in itinere progressus quinto a Dublinia lapide *Ullicus.* tentoria fixit. In quem locum eodem die ex compacto pervenit
29 *Joannes* de Burgo, Clanricardiae Marchio, | Conaciae Praeses, qui eousque ita neutralis habebatur ut tamen (Ormoniae) Marchionis partibus palam studeret, et tunc venerit ad absolvendum cum Prestono id, de quo ipsis in Conacia convenerat. Tardior et suae semper securitatis dubius sequebatur a tergo O Nellus. Ego inter tantas diffidentias et suspiciosas machinationes apud me statui nullum non spernere periculum, quo exercitus ad manus non venirent. Non acquirere Dubliniam mihi videbatur damnum reparabile, sed longe maius detrimentum arbitrabar virium Catholicarum exterminium. Quare contra multorum sententiam et D. Eugenii instantias ad Prestoni castra cucurri et cum confidente dissimulatione me in eius manibus collocavi, eodemque ut Concilium veniret, curavi. Potuit haberi inconsiderata audentia, quando me vidi cum meo solo curru in planitie Dubliniensi, ubi pauci illorum equitum, qui vias circumeunt, me ad (Ormoniae) Marchionem raptare poterant. Sed huic periculo illud alterum reparandi voluntas praeponderavit. Certum est, Prestonum, cognito meo adventu, vultu fuisse perturbatum et auditum dicere, me ea, quae decreta haberet, interrupisse. Unde cum ipse atque alii postea processerint omni astutia in impedienda obsidione, colligere licet interruptum propositum non fuisse aliud, quam procusam adversus O Nellum inter Clanricardium et ipsum, ex quo fuerant in Conacia, machinationem. Et sane valida mihi suadent argumenta Prestonum abhorruisse a temeranda aperte fide
30 et | aggrediendis Ultoniensibus dum ambarum partium pacificator et mediator, ego in eius exercitu haererem. Siquidem mihi constat Prestonum, cum propositum esset a persona potente ut, qui mecum ad castra accesserant, Episcopum Clogherensem et Nicolaum Plunkettum, in custodiam daret, id permittere noluisse, etsi suo honori forsan defuerit, quod mihi id non aperuerit. Idque multo magis mihi de ipso credendum est, si verum fuit Kenelmi Digbaei filium, Catholicum quidem, sed instar patris, suscepisse curam raptandi me Dubliniam, sicut

tunc divulgatum fuit. Cuius tamen rei haud evidentius habui argumentum quam famae constantiam et hominis qualitatem. Itaque amputato Ormonistis omni praetextu veniendi ad bellum civile, eo tantummodo animum intenderunt ut Dubliniam liberarent. Huc omnes vires, totaque eorum tendebant studia. Lucano (sic locus ubi castra erant, vocabatur) Dubliniam quotidie ibatur et redibatur, illaeque partes in nullam ibant sententiam, quam non sciret mox Marchio (Ormoniae). Clanricardius in id solum incumbebat, ut Concilio et mihi temperamenta et conventiones proponeret. In nostris castris omnia indies evadebant difficiliora, et iam cum astutissimorum impedimentorum prolixitate supervenit hyems. Sed prae aliis omnibus inventionibus irritam prorsus reddidit expeditionem rumor studiose procuratus, et ita excogitatus, ut prae multis circumstantiis apparuerit verisimilis. In utroque exercitu propalatum fuit nonnullas appulisse Dubliniam naves Parlamentarias, et quod diffidens de pacis successibus Marchio | agebat de permittenda ipsis in potestatem Civitate, et tamdiu 31
morabatur milites in navibus, quamdiu expectaret utrum Catholici ad ullam descenderent pactionem, qua exclusa, confestim Angli, quibus iam cum Prorege de conditionibus convenisset, in terram exscenderent. Quadam autem dierum dum instaret rebus persequendis Concilium, omnibus ad tractandum in unum congregatis, et pulsata, nescio a quo, cubiculi janua, surrexit subito ad aperiendum Prestonus, et, auditis ab ipso verbis quatuor, rediit anhelus, dixitque Anglos iam admissos Dubliniam. In momento D. Eugenius et alii, non secus ac si in ipsos serpens subito insiliisset, sedibus exierunt, et cogitantes, de se quisque, in diversa abierunt. Praefecti generales tormenti bellici fulminatione signum ediderunt ut unusquisque in castrorum locum rediret suum. Consiliarii quoque animi consternatione perculsi summo mane conscensis equis Kilkenniam discesserunt habenis nunquam retractis donec instar fugitivorum, et eius, cuius tergo imminet hostis, se ad fines nostros recepissent.

"**16.** Sic frustrata fuit expeditio, et sic de nostris discordiis triumphavit factio Ormonica. Ego non sustinui ut aliorum instar discederem, sed id facturus maiori cum decentia et ita ut metum prae me non ferrem, Lucani triduo perstiti, quo Marchio Clanricardiae novis semper conditionibus mihi proponendis institit. Earum summa erat, quod adduxerit Ormonium ad consentiendum ut praesidia Catholica tam

Dubliniam quam in alia oppida a Rege stantia admitterentur. Reque ipsa inter Proregem et factiosos scripto clancularío in
32 conventionem venit ut hoc titulo Prestoni vires | in loca iam dicta introducerentur, deindeque cum aliis Marchionis (Ormoniae) copiis coniungi tenerentur et omnes simul compellere Concilium ad recipiendam pacem, saltem cum illis appendicibus, quas Clanricardius proponebat. Ego verba dabam et determinationem ad Concilium remittebam, licet Clanricardius se meo solius consensu contentum fore mihi scripserit, quo forsan Prestoni actiones magis excusabiles redderet. Demum me quoque aliquam pacem in votis habere demonstraturus proposui ut Religionis perinde Dubliniae atque in aliis partibus exercendae facultas articulis adiungeretur, cuius rei cum Marchio mentionem facere noluerit, ego quoque terga dedi et Kilkenniam remigravi. Tunc constitit quam parum Ormonistis cordi erat ut Nuncii votis satisfieret. Nam post meam discessionem, nihilominus processum est in pactione, et Prestonus cum suis viribus iuxta conventionem venit ad secundum a Dublinia lapidem. Ibi aliqua controversia circa praesidiorum collocationem nata, stomachatus Prestonus et prae non nullis litteris a Concilio receptis iam alterius sententiae fundamenta iaciens, suos trans flumen reduxit, et Kilkenniam appropinquavit, nec ibi minus quiescens sed, inter ostendendam erga confaederatos fidelitatem, iisdem, quibus ante, molitionibus et consiliorum communicationibus insistens omnia repleverat incertitudine et confusione, donec arripui pennam et tanquam ad delicatae potius conscientiae hominem scribens non nulla primum devotionis capita tetigi, deindeque eum rogavi ut in quo statu eius cum Marchione transactio se teneret, mihi communicaret, illumque reprehendi, quod, non propalando veritatem, suspenderet patriam tantis timoribus et suspicionibus Reipublicae, in qua solae Religionis rationes dominari deberent.
33 Respondit | victas praebens manus, et Kilkenniam ingressus hostium machinationibus libere renunciavit, unaque cum D. Eugenio cuidam scripturae, quam penes me habeo, subscripsit, qua uterque alteri promittit amicitiam et fidem securam, nec movendas a se vicissim praetensiones, nisi me prius consentiente. De his iam factis Clanricardio scribendum et se purgandum duxit in rei complementum, ipsissimoque tempore epistola pervenit, quo Marchio, constituto iterum Prestonianis loco, exierat cum fronte exercitus ut eum ibidem expectaret. Ubi lecta epistola et nova Prestoni mutatione per eam significata,

evomens in ipsum maledicta, eumque appellans proditorem, vires Dubliniam reduxit.

"**17.** Interea Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus Kilkenniae duarum fuerunt authores deliberationum ex quibus vehementer praesentiri potuerunt omnia deinde secuta infortunia. Hi duo Sanctitati Vestrae probe noti, ad ipsius utique pedes olim provoluti, aequam animi propensionem in omnes semper praesetulerunt velut maxima pollentes dexteritate. In antiquos iuxta ac in recentiores Ibernos sunt benevoli, et licet ab utraque partium subinde vocati fuerint in suspicionem, ipsos tamen ambae semper in controversiarum arbitros cooptarunt, caetera bonos Catholicos, sed non absque bonae politiae commixtione. Primo igitur persuaserunt ut Generalia Ordinum Regni Comitia convocarentur. Credebant conciliatam Ecclesiasticis Regiminis mutatione invidiam hac ratione cancellandam, cum nemo non videret ipsos prompte se submittere velle maiori authoritati. Porro cum confaederati essent in procinctu ad statuendum de rebus maximis, has arbitrabantur longe melius et cum obedientia plus secura stabiliendas in communi ab omnibus, quam a magistratu, quem solus Clerus elegisset. Ex adverso multi dicebant licet in more fere positum esset quotannis indicere | Comitia generalia, tunc tamen 34
minime gentium expedire. Eousque Clerus in se maledicentias et aemulationes provocaverat, sed non in ea secure positus conditione, qua eas aspernari valeret. Partes Ormonicae non aliud moliebantur quam ut authoritatem recuperarent, nec melius eorum causa succedere poterat, quam in Comitiis generalibus, in quibus semper suffragiorum pluralitate praevaluerant. Quid ergo aliud expectandum, quam nova Cleri depressio, eo maior priore, quo relapsus magis solent minari ruinam ? Sed Plunkettus et Fernensis effecerunt ut hae rationes evaserint graviores ob secundam deliberationem. Quae fuit ut qui (sicut superius dictum est) in custodiam dati erant, carcere liberarentur. Porro licet fama sparsa fuerit faciendum ut in carceres separatos transportarentur, ne uniri possent ; fama tamen et effectus citissime evanuit. Nam Kilkenniae permanserunt ; ubi cum quotidie celebrarent conventicula, brevissimo tempore obtinuerunt ut sub purgandi et defendendi se praetextu possent intrare in Comitia. Ibi tantam impetrarunt opem ut ipsorum errores fuerint contecti variis excusationibus et admissae purgationes. Inter quas famosa fuit illa Richardi Bellingi, quem paulo superius nominavi. Retulit enim se Sanctitati Vestrae

omnes reiectae pacis conditiones recensuisse, et Vestrae Beatitudinis exhortationi atque opinioni insistentem in eam consensisse. Tantopere impudens est in animo irreverenti et circa proprios fines obstinato confidentia. Parum aberat quin haberet Clerus unde de Ecclesiae ruina et Regni miseriis vaticinaretur. Nihilominus adhuc superstes et suo honori consulturus obtinuit, infinitis difficultatibus superatis, ut con-
35 demnata a se pax ab omnibus Regni Ordinibus | proscriberetur, et novus magistratus conflaretur ex personis in Ecclesiam maiori ex parte bene aflectis, licet Plunketti facilitas id effecerit ut ipsis adnumeratus sit Muscriae Vicecomes, Ormonii (sicut iam dictum est) sororius, et semper factionis Ormonicae coryphaeus. Porro illi, qui ex carcere dimissi erant, suis artificiis triumphantes et, quod aliorum artes superarint, tripudiantes, palam deridebant acta personasque Ecclesiasticas, et occulte in Clerum construebant coniurationem, quorum Bellingus haud adeo suos potuit continere affectus, quin veneno refertus stomachum mihi dixerit, me brevi comperturum qui humeri ingruentis tempestatis mole obruerentur.

"**18.** Inter has perturbationes caepit annus 1647 Iberniae fatalis. Nam eo anno Dublinia in Parlamenti fidem venit et confaederati duobus famosis praeliis profligati sunt, quae ad ultimas inducias controversas viam munierunt. Consiliarii ante in carcerem contrusi dominatum recuperarunt, maturataque fuit in Ultonienses et Ecclesiam coniuratio. De his omnibus eventis dicam, sed maiori cum brevitate, quod sensa et notitiae iam satis explicatae sint. De Marchione Ormoniae, quoad natales, educationem et indolem, in altera scriptura Sanctitati Vestrae Relationem dedi, et scripsi eum usque ad duodecimum aetatis annum fuisse Catholice educatum, deindeque traiecisse in Angliam sub haeretici Archiepiscopi Cantuariensis disciplina, et licet extraordinaria dexteritate ac moribus ad aucupandam
36 hominum benevolentiam natis polleat, | ex altera tamen parte adeo esse fastosum et arrogantem ut, quo magis cupit ut alii deprimantur, eo plus horreat ut sibi pares existant. In his tractatibus Dubliniensibus primo gravissima aestuavit indignatione ob Prestoni instabilitatem, deindeque aegre tulit agendi rationem novi Concilii Confaederatorum, quos maiori ex parte Ecclesiasticis studere videbat. Hyeme conatum adhibuit ut in Midiam intraret, et propugnaculum Atloniense, unicam Conaciae clavem, occuparet, ac millenis aliis modis suam conditionem redderet meliorem. Verum omnia eius consilia

ad nihilum reciderunt, quod ministri a Clero collocati ubique se tenerent. Quare ira praecipitatus et impatiens inopiae rei pecuniariae, quam ante confaederati Ormonistae ei ex suis reditibus subministraverant, caepit pacisci cum Anglis, quibus demum Dubliniam tribus librarum *sterlingarum* millibus permisit. Haec novitas variis varie discurrendi segetem tam praebuit quam quae ullo unquam tempore maxime. Aequi rerum arbitri nullum faciebant finem taxandi perfidiam huius hominis, qui dum Rex in carcere detinebatur, suae Majestatis hostibus Iberniae claves dederit, et invasionibus Parlamentariis viam aperuerit. Cum autem plenam eius rei causam detegere non possent, concludebant potius ei cum Parlamento convenisse, eumque ipsi Reginae, quam consensisse ferunt, persuasisse ut hac ratione Anglos allectare atque in mariti personam mitiores efficere dignaretur. Sed fidem non habet quot modis Ormonistae huius facinoris perfidiam excusabant, quod sibi videbantur satis | defendisse, dicentes Marchionem pacis proscriptione ab 37
Ecclesiasticis fuisse redactum ad desperationem, proindeque ipsi licuisse omnibus, quibus posset, viis sibi providere. Quasi laesae Maiestatis crimen passionibus cooperiri posset, et quis absurdorum, quae irae perturbatione patrarit, iniustitiam sustinere tenèretur. Utcunque fuerit, introductis Dubliniam Anglis et permisso eorum potestati castro, Marchio Kalendis Julii navem conscendit et in Angliam navigavit. Fama tulit ipsum, ubi paulo portum praetervectus esset, instar revocati Carthaginem Hanibalis, visa a tergo urbe traxisse suspirium et publicasse, quam haberet fiduciam eodem redeundi cum talibus viribus ut sibi pudendum non statueret, quod indidem discesserit mendicus.

"**19.** Interea Consiliarii tempus non triverant, sed tres exercitus instruebant, unum in Lagenia sub Prestono, alterum in Conacia sub D. Eugenio, et tertium in Momonia sub Vicecomite Muscriensi. Porro (ut ab hoc incipiam) sciendum est Baronem Insequinniae, qui Momoniae praesidiis, quae Parlamentum acquisiverat, praeerat, hoc anno, ad expeditionum bellicarum initium, ex improviso in nostros movisse, et cepisse absque ulla resistentia primo Capercuiniam, deindeque Dungarvaniam, portum maritimum parum distantem Yeoghellia. Boni omnes hanc iacturam doluerunt, et nemo suspicatus non est in negotio intervenisse secretam conspirationem. Erat Momoniae Praefectus Generalis, Eduardus, Glamorganiae Comes superius nominatus, et in illam provinciam mandatus a

38 Cleri Congregatione. | Postulabat Comes quotidie rem numariam et movendi licentiam petebat, sed responsionem peremptoriam non recipiebat. Unde Baro ubique sine obstaculo spatiabatur, et in hominum animis suspicio crescebat, quae demum oportuit ut magis aleretur, ubi una dierum successit ut Muscrius Comiti absenti maiorem exercitus partem abstulerit subito dispositam in defensionem ad ponendum Comiti obicem, ne ad eam regendam rediret. Nunquam explorare potui, re ipsa Concilium horruerit, an versuto potius artificio approbaverit facti indignitatem? Indignati enim Consiliarii Vicecomitem subito declararunt rebellionis reum, et miserunt qui id ei intimarent. Sed interiecto deinde biduo intimationem revocarunt. Id certum est, viso Muscrium rediisse ad negotia politica et cedere militaria Vicecomiti Taaffo, Conaciensi, creditum fuisse quod propositum eo tetenderat ut in Momonia Insequinnii amicus ad praefecturam assumeretur, quo postea utriusque opera coniurationis machinae ita applicarentur ut effectum sortirentur.

"**20.** Vix successerat hoc eventum, cum Prestonus cum lectissimo exercitu sex peditum millibus et equitibus mille constante movit in Parlamentarios apud Lageniam. Eum maximo numero sequebantur omnes Provinciae Ormonistae vana iactantia sperantes Dubliniam, qua perdita esset, facilitate recuperandam, et gloriantes eam a se propediem Marchioni (Ormoniae) restituendam, ipsumque in Iberniam revocandum. Prestonus iam sibi victoriam arrogans conatum adhibuit ut
39 Trimmiam interciperet. Sed ubi hostes apparere | audiisset, recessit. Constantissima opinio est Praefectum generalem die illa equitatum eo collocasse situ ut suam virtutem exerere non potuerint, vel eum praelii aleam subiisse adeo mente confusum ut impugnandi sententiam nisi ancipitem se ivisse non ostenderit. Hostium vires modo secretissimo saltem mille Scotis, qui ex Ultonia advenerant, noctu auctae obviam processerunt et praeliari caeperunt. Exercitum ducebat Michael Jonius, Independens, qui postea reliquis meae Nunciaturae diebus (sicut tunc fusius significavi) Dubliniae semper imperavit. Audito primo bombardarum sonitu mox equitatus Catholicus totus ex nobilitate compactus se in fugam dedit. Sed peditatus fortiter dimicans a latere insiliit et maximam edidit stragem donec ab equitatu derelictus, cum se ulterius defendere nequiret, contrucidatus fuit. Nostrorum tria millia et haereticorum mille quingenti occubuerunt. Omnia impedimenta cum spoliis et

multis pulveris nitrati cadis, nec non Prestoni chartophylacio Parlamentariis in praedam cesserunt. De hoc infaelici successu diversi diversissima senserunt. Multi lapsae exinde prima sua gloria confaederationis plangebant infortunium, nec pauci Dei iustitiam agnoscebant, quod illis victoriam denegasset, qui non alium in finem vincere vellent, quam ut rebellem revocarent.

" **21.** Exitum quidem differentem sed parum etiam faustum sortita est D. Eugenii expeditio in Conacia. Mihi aliquo modo eius incumbebat cura, et tunc in illa Provincia commorabar. Proponebam | ut recuperaretur Sligoa ad mare in confiniis 40
sita, proindeque Conaciae opportunissima. Ex hoc loco transeundum erat in Ultoniam et (forte Inniskilliniae Castellum adoriendo) liberandum ab haereticorum manibus tantopere nominatum S. Patritii Purgatorium. Huius antri profundi sicut antiquae devotiones, ita incerta et fabulosa sunt principia. Constat Sanctum elegisse locum illum in pios ac solitarios recessus. Revelationes, quas Deus ipsi illic intus communicare dignatus est, fidem obtinuerunt, eaeque forsan probatae a posteris. Hodie Calvinistarum rabies, complanata structura, replevit voraginem, et sicut fere non apparet amplius loci vestigium, ita procurant delendam etiam ipsius facti memoriam. Mihi inter expeditiones Apostolicas haec aeque ac aliae gloriosa videbatur, et arbitrabar me aliqua ex parte facturum satis officio, modo in hoc loco a Puritanis longe plus opprobriis quam terra contecto mihi concessum fuisset iterum erigere crucem. Sed non fui dignus, qui huius voti compos fierem. Pecuniae defectus et lenta solutio caeptum omnino pessundedit. Inter Generalem et eos, qui ad providendum exercitui destinati erant, natae fuere maximae discordiae, his conquerentibus quod Eugenius movere differebat ex artificio, et altero lamentante quod sibi opportune non subveniebant. Et vere | O Nellus 41
magnam praebuit ansam suspicandi quod procrastinaret, et ob aliquem finem privatum procul abscedere nollet, forsan sperans, si in Lagenia obsidio Dubliniensis non succederet, operam suam fore necessariam, velut is, qui cum loca a se in Lagenia capta ab anno antegresso (sicut dictum est) retineret, muniretque, ostendebat se hoc Regimen ardentissime desiderare vel ad augendam authoritatem vel ad aggrediendam de novo Dubliniam, cuius expeditionis haud lubens Prestono gloriam relinquebat. Nec ipsum fefellit eventus. Nam fatigatus dilatione et Commissariorum altercationibus exercitus vix dilabi incipiebat cum cladis Prestono illatae nuncia appulerunt, et, cum

iisdem nunciis, Concilii praescriptum, quo eius personam invitarent, ut succurreret. Scribi non potest quo O Nellus iubilo hoc mandatum receperit. Unde inter populi terrore perculsi acclamationes in Lageniam progressus haud multum procul Trimmia pedem fixit, ibique quatuor menses immotus omnes hostium progressus impedivit. Haec bellandi methodus a militiae peritis existimata fuit Regni incolumitas in illis temporis circumstantiis. Alias enim Angli victoriosi et confidentia pleni secure Kilkenniam usque percurrissent, nisi hic Fabius se inter paludes et fossas collocando demonstrasset quanto saepe plus prodest moderatio quam gladius.

" **22.** Hic describere non valerem, adversa factio quantopere hoc D. Eugenii facto irritata fuerit ? Pati non poterant eum in salvando Regno tantas partes egisse et communiter appellatum fuisse Liberatorem. Quinetiam Episcopus Fernensis, qui eum
42 advocaturus in Conaciam perrexerat, propterea a | Consiliariis postea electis prope in iudicium vocatus fuit. De qua re litteras gravissimarum lamentationum plenas mihi scripsit. Huc spectat quod Georgius Digbaeus post Marchionis discessionem in Ibernia relictus, modo huc, modo illuc ibat et mandabat quo fautores sollicitaret, omnibus ostendens esse necessarium opprimere O Nellum, et Nuncium, eius fautorem, explodere, aliterque futurum ut nunquam quiete gauderent, nec Marchio rediret, nec pax restitueretur. Integram calumniarum et veritatis congeriem coacervabant, quo magis animos irritarent. Paucis mensibus antegressis exquisitissimo stratagemate in Cleri potestatem venerat ereptum Vicecomiti Costellochensi propugnaculum Athloniense. Quod Vicecomes ut recuperaret, palam fidei Catholicae nomen dedit, et tunc Congregationi Ecclesiasticae visum est ut restituendum decerneretur. Verum D. Eugenius illius loci Praefectum, etiam contra Comitiorum postea celebratorum mandatum, per menses plures fovens, eum a praestanda ulli obedientia semper continuit, ne omnium quatuor Provinciarum clavis in Ormonistarum manum transiret. Praeterea negari non poterat, quin populus toto belli tempore a copiis Ultoniensibus adeo aspere tractatus fuerit, ut maximum sibi odium conciliarint. In qua re praefatus Praefectus generalis deliquisse videbatur, praebens occasionem suspicandi quod reos haud aliam ob causam non puniret, quam ne a sui sequacibus
43 desereretur. | Dicebant ergo nihil aliud absoluto O Nelli dominio deesse, nec esse tempus plura eius rei expectandi indicia, cum iam populi Tyrannus et Concilii imperium detrectans etiam

in propugnaculis dominari voluerit. De consilio in O Nellum et me inito adeo certior factus fui, ut eodem mense Septembri Sanctitati Vestrae mea circa id sensa scripserim, cuius ab ea die se continuo prodiderunt experimenta. Iam Insequinniae Baro sextam propendebat animi mutationem renunciandi Parlamento et iterum transeundi ad partes Regias. Arbitrabantur Ormonistae multum conducturam ad revocandum Marchionem et ad deprimendum O Nellum Baronis conciliationem, quo in virium incrementum haberent eius exercitum et Momoniae portus ad communem dispositionem. Verum ad cohonestandam hanc associationem mundo ostendendum erat suasisse necessitatem ut contraheretur. Hoc non poterant aliter praestare quam committendo ut Baro in Momonia praevaleret, et permittendo ut Catholici aliquoties vincerentur, ac efferendo impossibilitatem resistendi duobus hostibus, proindeque societatem deinde coeundo cum eorum altero. Populo mox haec Praefectorum deliberatio sanguine constare caepit. Baro enim, acquisito per proditionem Castello Cahirensi, Comitatus vicinos sine offendiculo percurrit et, patria facta tributaria, cepit insultu Cassiliam tanta militum crudelitate ut cum celebre Sancti Patritii templum, in quod tanquam in loco eminentissimo positum personae inutiles se receperant, expugnarent, sacerdotes et mulieres Sancti statuam amplectentes barbaro sacrilegio immaniter | contrucidarint. Porro Muscrius, qui se tunc in 44
Provincia tenebat, progrediendo et regrediendo, ac ita suam operam impendens ut nihil ad exitum perduceret, demum permisit ut hostis se praedis satiarit, et absque ullo timoris signo domum remigrarit. Quod facinus tam gravem inter hominum colloquia censuram subiit, ut Consiliariis visum fuerit resarcire honorem reparando exercitum, eique Taaffum praeficere, cuius superius mentionem feci. Sed personae mutatae fuerunt absque consiliorum mutatione. Novum praelium 13° Novembris in Comitatu Corcagiensi successit. Nostris erant peditatus millia sena et equitatus mille ducenti ; Baroni autem peditum millia quina et equites mille trecenti. Catholicorum cornu dexterum, in cuius fronte Alexander Mac-Donaldus, Ultoniensis, Taaffi legatus generalis, se tenebat, tanta animi fortitudine in Baronis sinistrum, in quo ille fortiores collocaverat, irruit, ut ex eo duo millia brevissimo temporis spatio occiderit. Cum autem et aliud cornu victoriam reportasse crederet, milites circa hostium tormenta bellica stabant, Mac-Donaldo ab aliis parum distante. Verum in cornu sinistro nostri in turpem adeo

fugam se dederunt, ut, caesis eorum plurimis, Insequinnio vacaverit pedem referre in alios iam dictos, quos velut otiosos et securos reperiens, eorum septingentos, sed non sine maxima suorum strage, trucidavit. Nostri machinis bellicis iterum |
45 excussi sunt, et miser Alexander dum a multis circumdatus se praeclare defenderet, imo postquam vitam pactus ea lege arma tradidisset, proditione percussus renes ibi occubuit. His luctuosis adeo rebus gestis exiit annus 1647 et pro more caeperunt Comitia generalia.

"**23.** Nemo ex prudentioribus erat, qui in his Comitiis ultimam et universalem confaederationis ruinam non praevideret. Maiorem Ormonistae nunquam adhibuerunt diligentiam ut Communia et Comitatus ad ipsorum nutum suffragatores eligerent. Consessu autem generali iam eorum fautoribus referto, primo omnium id egerunt ut appareret quod ob clades praeteritas Regnum ad extremam necessitatem redactum erat, nec tot bella sustinere poterat. Quare ad proponenda remedia ventum est. Consentiebant ut Oratores ad Reginam Angliae et Principem Walliae allegarentur ad ineundam viam postliminio restituendi pacem in Religionis utilitatem, aliique postulandorum subsidiorum ergo ad Sanctitatem Vestram et ad Coronas mitterentur. Proregis reditum omnes tacebant. Imo multi se eum nunquam admissuros protestabantur. Legatorum electio fuit singulariter ingeniosa. Omnes personae (Ormonistis) suspectae Regno ablegandae erant ut rebus concludendis non intercederent. Quamobrem destinati fuere Romam Fernensis et Plunkettus, velut qui authores fuerint ut O Nellus in
46 Lageniam veniret, et hanc ob causam tanquam | nimis propensi in illam partem. In Galliam, quo Muscrius et Doctor Brounus cum omnium arcanorum summa destinabantur, tentarunt ut mittendum in tertium adiungerent Episcopum Clogherensem, virum capacissimum et habitum eorum, quae D. Eugenius egisset, directorem unicum. Verum Episcopus cognito in quem finem honor ille sibi fabricaretur, in eum se opposuit modum, ut calcatis eorum minis remanserit in Insula. Itaque eius loco mandatus fuit Marchio Antrimiae, et ipse Ultoniensis, homo quam recta mente praeditus, tam in tractandis negotiis remissus et tunc animum despondens, quod suum suffragium ad nullum bonum conducturum iudicaret, cum iuxta eorum mandatum duorum suffragiis acquiescendum esset. Muscrius autem et Brounus praeter capitula palam facta habuerunt in monitis secretis ut in Gallia Marchionis (Ormoniae) reditum procurarent.

Qui de rebus omnibus monitus venerat ex Anglia, duobus tantum famulis assistentibus, in aulam Christianissimam, et ibi suae Reginae ac forsan etiam Galliae Ministris (Status) persuasit, se, modo cum suo officio in Iberniam rediret et Papae Nuncius deturbaretur, suae Maiestati nec non Principi, eius filio, straturum mox viam ad accessum et receptionem in illo Regno. Regina enim indies magis magisque desperans futurum ut Anglia recuperaretur, et abhorrens a collocanda spe in Scotia, ubi maritus venditus erat, nihil magis habebat in votis quam ut quiesceret et se | reciperet in Iberniam. Sic paulatim ibant 47
maturatum consilia, inter quae mihi semper magis persuadeo quod etiam de Sanctitatis Vestrae pecunia, quae post quatuordecim menses necdum allata fuit, occupanda agebatur. Siquidem ad meas manus devenit apographum monitorum legatis Romam missis datorum, quibus praescribebatur ut siquam rei numariae summam obtinuissent, mox instarent ut non Nuncio, sed ipsis daretur : quod ulterius non tracto. Nam id successus sequentes satis convincent. Terminata deinde fuerunt Comitia cum omnium, quae meis diebus acciderint, deliberationum iniquissima. Cum ventum esset ad Concilii electionem Ormonistae in id animos intendebant ut omnes ante in carcerem contrusi eligerentur, et hos pariter Clerus excludebat. Proposita autem est via media ut par utrinque numerus assumeretur, et cum propositio non videretur iniqua, coniurati hanc maximopere noxiam obtinuerunt novitatem. Scilicet nominarunt quadraginta octo adiunctos, ex sua factione omnes, quorum esset supplere locum cuiuscunque Consiliarii, dum abesset. Probe sciebant futurum ut ubi sua consilia tunc occulta publicassent, illi qui sincera mente ducerentur, se ab aliis separarent. Quare ne sibi deessent, qui sufficienter suffragarentur, inierunt rationem, qua semper ad votum ipsis adessent. In quo non possum excusare Episcopum Fernensem, qui, contra manifestissimas aliorum Episcoporum congregatorum protestationes, vel ob rerum confusionem, sicut in Comitiorum fine contingere solet, vel quod evidens Religionis periculum non apprehenderit, aut apprehendere noluerit, permisit ut curreret decretum, et ob omnia, quae deinde successerunt, | remansit culpae obnoxius. Hunc sortitur 48
exitum in negotiis gravissimis illa parum laudanda facilitas, qua homines, dum res a se in medium redigi credunt, nunquam vel raro non praecipitant cum damno inevitabili ad extrema.

"**24.** Verum Insequinniae Baro machinationum et earum

finium conscius, et forsan aegre ferens quod res in longum irent, cum duobus peditum millibus et equitibus paucissimis in confaederatorum fines de novo invasit. Milites adeo rebus erant nudi ut plerique eum annonae necessitate compulsum id egisse existimarint. Alii cum eum Kilkenniae appropinquasse, et iis omnibus, quos arcanum latebat, consternatis, ad muros accessisse et pecuniam postulasse vidissent, coniurationem esse affirmarunt eo tendentem ut Catholicis magis speciosus ipsi cohaerendi praetextus subministraretur. Iam autem Parlamento scripserat se, nisi intra certum dierum numerum de pecunia et militibus ipsi providerent, compulsum ad contrahendas inducias cum Catholicis, quos, rem facturus magis verisimilem, in eadem epistola rebelles appellabat. Quid plura? Vix Baro, Comitatu Kilkenniensi ad tributum semel solvendum coacto, Corcagiam remeavit, cum per edictum publicum se a partibus Regiis stare declaravit, et, tanquam fortuna momento mutata, novum Concilium ei summopere applausit. Ormonistae factam acquisitionem et bellum finitum esse divulgabant. Quare se inducias cum eo contrahere velle finxerunt, quae tamen occulte conclusae erant, quo eum deinde in obsidenda Dublinia socium haberent. Verum omnes fictiones superfluae erant. Nam Baro epistolis multiplicatis, quarum una ad meas manus, |
49 postquam Kilkenniam rediissem, pervenit, significabat totum Regnum in pacem iam resurgentem consentiri, proindeque oportere opprimere Nuncium et O Nellum, qui soli eam constanter recusabant. Sic palam factae sunt technae, de quibus antea in occulto agebatur, et me plus instruxit una sola hostis epistola, quam millena eorum, qui mihi assistebant, verba et scripturae.

" **25.** Totam in visitandis civitatibus Catholicis et exercendis apud illas Pontificalis Romani ritibus ac reformationibus aestatem collocaveram. Inter quas omnes urbes reperi nullas Sedis Apostolicae reverentiores Waterfordia in Lagenia et Galvia in Conacia. Postea perrexeram Waterfordiam tam ut destinatos Romam Commissarios navem conscendentes viderem quam ut expectarem de proximo reditu Decani Firmani, qui post tot mensium obices et dilationes demum Duncananiae 12° Martii in Insulam exscendit. Hic appulsus infinitis et sermonibus et cogitationibus seges fuit. Ille antea se Comitis olim Tironiensis ensem ipsi Romae a Fr. Luca Waddingo traditum secum portare, eumque, ex eiusdem mandato, O Nello ab eodem Comite descendenti tradere velle per litteras significaverat, et vix in

terram exscensionem fecit cum se eundem gladium attulisse repetens suscitavit inter Ormonistas incredibiles animorum commotiones. Denique vociferabantur D. Eugenium in id cogitationes intendere ut sibi Regnum arrogaret, eiusque insignia a Pontifice Romano acciperet, proindeque omnibus incumbere necessitatem | aperiendi oculos et resistendi his 50
insidiis coopertis pallio Religionis. Quod autem ad rem pecuniariam, quam Sanctitas Vestra mittebat, spectat, iidem in eam aliqua ratione involare secum statuerunt. Quamobrem, Insequinnii mutatione vix publicata, caepit Concilium me precari ut Kilkenniam redirem, quatenus me consentiente de armorum cessatione cum eo contrahenda, deliberaretur. Ego haud ignorans rem iam fuisse velut transactam, et me adhibendum in medium, quo Marchio revocaretur, et O Nellus viribus spoliaretur, ab initio decretum habui non redire, sed potius in eo loco permanere, ubi secundum occasiones etiam deliberare potuissem. Verum multiplicatis invitationibus et litteris, et Concilio per earum unas declarante futurum ut nihil nisi ad meum votum concluderetur, haud tantam amicorum partem in necessitate deserendam, nec de mea pusillanimitate conquerendi ansam ipsis subministrandam duxi. Itaque Kilkenniam remigravi. Sed subito me portus libertatem perdidisse et in carceris angustias transiisse observavi. Me, nisi Consiliariis permittentibus, discedere non posse animadvertebam. Mihi non deerant ex omni parte comminationes, et quidam Religiosus, Carmelita, venit ut mihi diceret se sub sigillo (confessionis) didicisse quod de me vita multando agebatur. Iudicavi saltem in hac secunda | controversia eodem prorsus modo pro- 51
cedendum, quo processum erat in prima. Illic agebatur de acceptanda pace in praeiudicium Religionis. Hic de induciis cum iisdem periculis. Illic a primis finibus et juramentis recedebatur. Hic idem patrabatur. Denique illic prosequendo bello desistebatur absque ulla necessitate ob rationes politicas, et hic eaedem prorsus et maioris momenti circumstantiae concurrebant. Convocavi ergo (sicut etiam tunc feceram) omnes Episcopos, qui intervenire potuerunt, et in prima Congregatione mihi astiterunt numero quatuordecim.

" **26.** In illa Congregatione primo lecti et examinati fuere induciarum articuli, qui tunc per manus ibant. Secreti enim, de quibus inter partes agebatur, nemini communicati fuerunt. In illis notatae fuere omnes iniquae conditiones, quas postea fusius scripsi et Sanctitati Vestrae transmisi. Diffinitum autem

fuit quod non agebatur de solis induciis, quibus peculiare est ut res in eodem quo sunt, statu relinquant, sed de Catholicis debilitandis et Barone fortificando, cui utique dabant dominium illimitatum ; fines eius notabiliter augebant ; et (quod intolerabile visum est) decimarum Ecclesiasticarum exactiones ipsi in praemium concedebant. Praeter quae tunc aequum iudicavi praesentem Regni statum fuse repraesentare, quo cunctis esset perspectum faederatos nulla premi induciarum necessitate. Quo casu licet aliae rationes cessarent, inducias
52 cum | haereticis inire, suapte natura illicitum est. Omnibus ergo persuasum fuit Jonii exercitum Dubliniae in O Nello tota aestate observando confectum tria militum millia non continere, et ad eum reprimendum satis superque suffecturas Prestoni legiones. In Conacia et Ultonia Scotos haud aliud praestare posse quam inutiles excursiones. Baronem in Momonia redactum fuisse ad tria millia peditum sine stipendio et pene nudorum, proindeque facile delendorum intra paucos dies a D. Eugenii viribus sena circiter militum millia continentibus, quibus (ut nullus superesset excusationi locus) offerebam me ex Sanctitatis Vestrae pecuniis stipendia soluturum et meis humeris sine faederatorum dispendio sustenturum totum Momoniae pondus. Exclamarunt ad hunc sermonem Episcopi, et collectis suffragiis in id omnes consenserunt ut inducias velut iniquas condemnarent, ipseque Archiepiscopus Tuamensis, qui solus ab initio contradicere visus erat, ubi Sanctae Sedis pecuniam promissam esse vidisset, arrepto calamo cum aliis subscripsit, idque se hac sola ratione facturum declaravit. Cumque omnes eodem modo, quo in proscribenda pace factum erat, procedendum duxissent, censuras, si necessitas, sicut prima vice, exigeret, fulminandi authoritatem, et una, si impedimenta succederent, subdelegandi facultatem delegarunt. Haec declaratio ubi innotuisset, quam commotionem concitarit ? Quantopere Ormonistarum animos irritarit ? In quales fraudes et malignitate illi se praecipites dederint ? Supervacaneum esset
53 calamo | explicare, cum ipsa factorum evidentia effecerit ut neminem latuerit.

" **27.** Illi me penes se esse animadvertentes operam dederunt ut tria concluderent : primum fuit ut subito instrumentis cum Insequinnio convenirent. Secundum, ut se temperamenta, quibus utrique partium satisfieret, cum Clero procurare velle simularent. Tertium, ut omni celeritate Prestoni exercitum, quo cum altero ad Insequinnium spectante coniunctus in D.

Eugenium moveret, cogerent. Sed harum deliberationum prima et tertia occulebantur, et secunda tantum apparebat. Nihilominus cum mihi mediis in machinationibus relatum esset, iam clanculum missos fuisse ad Baronem Commissarios, et omnem reconciliationis modum esse simulatione propositum, decrevi ante omnia percontari de negotio Episcopum Limericensem, unum ex Consiliariis et, ne Regiminis parte excluderetur, semper conscium atque adhaerentem eorum cogitationibus, qui mea authoritate astrictus subito totum mihi confessus est. Tunc iudicavi oportere ut meam personam in tuto collocarem et fugam decernerem. Me tenebam in civitate, in quam ipse videram intrasse trecentos equites armatos sub Vicecomitis Montgaretensis imperio, et in qua futurum erat ut male affectorum dominium intra paucos dies cum haeretico, non solum Catholicorum directoris, sed etiam in me per litteras circulares declarati exercitu conveniret. Quam ergo securitatem unquam sperare valebam, et a quibus contumeliis verisimiliter mihi metuere non poteram ? Quare mane sequenti, praeparata extra Kilkenniam mea lectica, duobus tantum concomitantibus, per domus, in qua | habitabam, hortos ita murum ascendi ut 54
ad quandam portam parum frequentatam descenderim, et magnis passibus me Mariamburgum transportandum curaverim. Quo quidam Episcopi me conventuri accesserunt, et D. Eugenius, qui et ipse ita ibi se tenebat ut machinationes, quae in eum struebantur, haud probe sciret, tantae novitatis exitum observabat.

" **28.** Illi qui se Kilkenniae tenuerunt et hodie in hac aula morantur, testificari possunt in quam omnes devenerint consternationem ob improvisam meam discessionem. Incedebant vultu tremefacti, nec aliud audiebatur aut videbatur quam conventicula et susurra. Nec unquam apud me fidem habere potuit huius rei occasionem fuisse metum ne in ipsos O Nellum impellerem. Neque enim tunc O Nellus ultra septingentos pedites coegerat, et probe sciebant coniurati, modo reliquos coacturus esset, fore a Prestoni viribus praeveniendum. Quare credere cogor totum successisse quod eorum manibus dilapsus fuissem, proindeque existimarent ad nihilum recedisse suas machinationes in pecuniam et meam personam. Nec sententiam deinde mutavi, ubi in omnibus tractatibus sequentibus vidi primo omnium desiderari ut Kilkenniam remearem velut unicum dissidiorum remedium, et Episcopum Limericensem per litteras, nec non P. Malonium, Jesuitam, ore tenus, in canenda

mihi eadem cantilena et in suadendo ut redirem perstitisse, etiam cum Galviae pedem fixissem et accommodatio ex omni parte
55 esset desperata. Porro ad intelligendum | qua mente dictae instantiae toties iterarentur, considerare suffecerit, Consiliarios, praedictis repulsam passis, D. Decanum in carcerem coniecisse, et cum Nuncium amore capere non potuissent, Ministrum vi prehendisse. Iam unde digressus sum, redeo. Mihi mens erat Mariamburgo Galviam proficisci. Necessum esse existimabam ut ad mare pedem figerem, quo essem promptus in omni incommodo ad faciendum velum. Quanto autem ille portus mihi videbatur securus, tanto civitatem bene affectam compereram. Me etiam, ob officium, quo fungebar, illiciebat ille locus positus in ultima Insulae parte occidentali, nempe in extrema mundi veteris ora, ubi laborare et sudare pro Religione Catholica mihi videbatur haud esse aliud, quam efficere ut illa Europae in antemurale, et Americae in invitationem inserviret. Verum cum essem in procinctu ad proficiscendum, Concilii legati supervenerunt, specie quidem ut ad redeundum et ad proponendas circa armorum cessationem novas conditiones invitater, sed re ipsa ut Prestono tempus, quo movere posset, suppeteret. Duodecim diebus Mariamburgi permansi spe huius novae pactionis, in qua ut ex parte mea omnem, quae excogitari posset, ostenderem facilitatem, et subsidium saltem principale, quod mihi in Religionis usum suppetebat, in tuto ponerem, consensi ut D. Eugenius conditiones, quas in suam et sibi adhaerentium securitatem desiderabat, proponeret, quo deinde, si obtinerentur, permitterem ut induciae contraherentur. Responsa, quae dederunt, expressa fuere plus bombardis quam chartis. Nam eodem vespere, quo ea nos recepimus et |
56 derisoria esse duximus, Prestonus Caterlagha movit versus Birram Kilkennia iter tenens. Primum huius profectionis militaris nuncium quidam ex mea familia attulit, qui Kilkennia rediens exercitum incedentem vidit, et (sicut huiusmodi res fama crescere solent) retulit esse forsan dena militum millia. Observavi primum obstupescere, deindeque pallescere D. Eugenium. Nam (sicut superius dixi) non coegerat nisi circiter septingentos vel octingentos ex suis, licet secus divulgatum fuerit, et diligentiam adhibuerit ut maiorem numerum colligeret. Sane laetor, quoties video illam etiam authorum prophanorum adimpleri sententiam, nempe in eventis mundanis nisi ad divinam providentiam saepius recurratur, fieri non posse ut plena eorum ratio investigetur. Si ille exercitus recta Mariamburgum

venisset, aut si Birra, quae quatuor tantum millia passuum a nobis distabat, accessisset, O Nellum et me tam improvisos et locum tantopere debilem ita intercepisset ut factiosi ad ipsorum votum dissensiones terminassent et astutiis triumphassent. Verum Prestonus primum in loco ad vires Insequinnii auxiliis augendas idoneo se collocare statuit, quod forsan D. Eugenii vires fortes esse existimaret, iisdem deceptus umbris, quales etiam nobis obscuritatem pariebant. Tantopere verum est utilius esse in bello hostiles | vires explorare quam caedere, 57
adeoque maiori vigore pollere prudentiam quam potentiam.

" **29.** In hac cogitationum et virium angustia cum D. Eugenio et Episcopis coivi, deliberaturus quo pacto ab imminenti periculo liberarer. Cum iam tantopere in Insulam introierim, repatriandi libertatem perdideram. Nam Mariamburgo Waterfordiam redire, nihil erat aliud quam se in eorundem persecutorum fauces proiicere. Nec dissimulare volo me Waterfordiae post Decani appulsum ardentissime cupiisse cum ipso (ex Ibernia) regredi. Videbam iam res praecipitari sub iugo haereseos, potentes mihi palam adversari, habitum contemptui Sedis Apostolicae patrocinium, et parum abesse quin factiones inter se ad manus venirent, adeo ut mirum non sit appetitus fragilitatem et illos primos motus, qui etiam in Missionibus Apostolicis se interponunt, mihi persuasisse ut discederem. Verum ubi haec cogitatio ad aliorum aures penetrasset, mihi non suppetit lingua ad exprimendas partis, quae se derelictam videbat, tunc lamentationes. D. Eugenius ad me destinavit quendam Religiosum iam Romae commorantem, qui cum lachrymis mihi repraesentaret eius, maiorumque in Religionem Catholicam obsequium adeo constans ut nec vitae nec fortunis pepercerint, non meruisse ut eo tempore, quo iam ab adversariis oppressus esset, derelinqueretur. Omnes ei adhaerentes et plerique Episcoporum me flexis genibus obtestabantur, ne tot
filios | desererem et nisi proprii, certe Sedis Apostolicae honoris 58
rationem ducerem, de qua cum perpetuo in Ibernia opprobrio diceretur misisse quidem in Religionis defensionem suppetias, sed postea id effecisse ut mox reportarentur ob vanissimas suspiciones quae sinistrae subessent interpretationi. Hae rationes ita apud me valuerunt ut in negotio processerim. Quomodo ergo Mariamburgi hac deliberatione possessus repatriare potui, rebus iam tantopere ad peiorem statum redactis, et tali positus loco ut evadere non valerem, audiremque eundem O Nellum non iam per litteras sed viva voce offerentem et

promptum ad omnes plane facultates in causae Catholicae defensionem discrimini exponendas. Cuncti ergo in eam iverunt sententiam ut authoritate ab Episcopis Kilkenniae congregatis delegata uterer, et ob induciarum iniquitatem ad censuras veniretur. Nemo in mentem non revocabat quantae in exercitibus, cum pax proscripta erat, extiterint efficaciae, quae licet non eadem omnino succederet, omnes certe sperabant futurum ut ille censuris tepesceret si non omnino refrigeret ardor persecutionis. Ego quidem de causae iustitia certus eram, nec tamen maior in eo negotio me occupavit quam iudiciorum metus, quae de me fierent, si tam languidus nulla via tentata, dedissem in praedam adversariis me ipsum, O Nellum, et Sanctitatis Vestrae rem numariam. Quomodo ferre poteram
59 ut tribus modis viderem | inferri iniuriam Sedi Apostolicae, nec timerem ne meam maneret negligentiam diluvium repraehensionum ? Quinimo eadem ipsa Sedes quo pacto expectare poterat futurum ut debitam earundem iniuriarum a populo male affecto et longinquo unquam obtineret satisfactionem ? Quare concludebam consultius esse quamlibet nimiae audentiae subire notam et supremae authoritatis sustinere splendorem, nempe, iuxta Ministri officium, privato commodo praeferre publicum, et sic 27° Maii una cum Episcopis delegatis ac subdelegatis in induciarum complices atque adhaerentes publicavi excommunicationem et in civitates, in quibus receptae fuissent, Interdictum.

" **30.** Nescio quando meruerint unquam censurae magis nomen fulminis. Uno ictu concitata in populo maxima confusione transierunt ad O Nelli partes duo amplius millia ex militibus Prestonianis. Exercitus Ultoniensis vires sumpsit et vigorem in omnem defensionem, et ego evasi satis suffultus ad salvandam meam personam nec non ex parte pecuniam. Haec magna mutatio Religionis Catholicae tunc salus fuit et alit quicquid hodie nobis superest ad eam in illo Regno conservandam. Prestonus autem, ad quem misi meum Confessarium cum excommunicationis intimatione et illis officiis paternis, quae convenire iudicavi, non potuit se continere a duabus responsionibus, quibus factiosorum mentem et fraudes manifestavit : Primo, dixit se censuras non timere iam nixum opinione octo Episcoporum et multorum Theologorum, qui eas ante
60 discusserant quam de illis mittendis | cogitaverim. Deinde declaravit se solum contra O Nellum illuc venisse et absolute fore ut ea vice alteruter periret. Quod totum tametsi

indignationis acerbissimae impetu pronunciarit, non propterea latum unguem a veritate aberravit. Digbaeus enim et Ormonistae, ex quo primum pax reiecta fuerat, eam iterum intrusuri in id pene solum animos intenderunt ut Theologos, quo hac secunda vice ab ipsis starent, blandimentis et pollicitationibus sollicitarent, et in omnibus congressibus, censurarum vim enervando, populum earum metu solverent, eaeque sagittarum retusarum similes haberentur. Porro Prestonus circa D. Eugenium nihil certius affirmare poterat. Nam praeter tot malevolentiae indicia antea ab adversariis in ipsum ostensa inter conatum a me adhibitum ad peragendum ut meis impensis in Momoniam adversus Baronem progredi iuberetur, Ormonistae rationibus convicti et conditionibus a me oblatis confusi nunquam aliud mihi respondebant quam in Momonia non desiderari Ultonienses. Quod etiam persona Religiosa terminis longe magis communibus mihi affirmavit, quando mihi asserenti satius esse habere Catholicos quam haereticos in Provincia, aperta fronte et absque ulla haesitatione respondit hoc non esse semper verum. Itaque duae partes circa hanc (censurarum) fulminationem opinionibus variarunt. Septemdecim Episcopi pro censuris fecerunt, sed octo se alienarunt. Inter quos in omnium stuporem erant quatuor ex iis, qui induciarum condemnationi subscripserant. | Eadem 61
prope mensura non nulli Ordines Religiosi inter se discordabant. In quorum quibusdam pars minima, in aliis minor inducias approbabat, exceptis S. Dominici et Capucinorum Ordinibus, in quorum primo unus solus et in secundo a meis sensis aberrabat nemo. Notatu bene dignum fuit eorundem Episcoporum et aliorum omnium, etiam claustralium, a quibus induciae propugnabantur, ne unum quidem fuisse, qui veteribus Ibernis faveret, aut cuius non interesset ut Ormonistis adhaereret, et specialiter Episcopos manifestum fuit haud alia ductos esse ratione, quam suarum facultatum perdendarum metu vel suae factionis exaltandae desiderio. Perspicuum satis argumentum, quo dignoscatur, eorum dogmata essent charitas in patriam, an ardor factionum? Interea Clanricardiae Marchio nuntio neutralitati, de qua superius dixi, remisso, se induciis adhaerere manifestavit, et pacem illam, quam ad Dubliniam proposuerat, resuscitare cupiens, tanquam Conaciae Praeses milites authorare caepit ad defendendam (sicut dicebat) Provinciam in hac nova commotione, sed re ipsa ad coalescendum Insequinnio, sicut satis cito praestitit. Magna accessio fuit Clanricardii deliberatio

et tres Episcopi Conacienses aliorum quinque alienatorum socii, qui huius hominis authoritate tracti fuisse videntur. Cum hac divisione et dissidiis ibatur expectatum, quem sortirentur exitum illius anni expeditiones militares, et quales Religioni pareret fructus faedus iam contractum cum haeretico?

"**31.** Ego omnium primus operam dedi ut meae in tuto
62 collocarentur. | Bonis viae ducibus assistentibus ad Conaciae confinia in Terentii Coghlani domum me contuli. Ea erat huius viri prudentia et ita a muneribus publicis libenti animo se abstinebat ut omnibus partibus charus esset. Ipse quoque magnopere cupiebam cum eo conversari ob multa, quae in eo observaveram, specimina singularis studii in Religionem Catholicam. Quodam vespere rescivit Prestonum postridie transiturum, quo suas cum Vicecomitis Dilloni viribus coniungeret. Venit subito id mihi dicturus, nec ego tam paratus ad discedendum, quam Coghlanus ad id mihi suadendum promptus fuit. Eodem ipso temporis momento cum meis equum conscendi et noctis in Regionibus illis satis lucidae commoditate in locum fortissimum fluvio continentem me contuli. Illa fuga et molestia haud suffecerit ad quosdam adeo impediendos, quin illarum noctium septentrionalium alborem observaverint, qui crepusculum nunquam obscurari et Horizontem pene semper radiare animadvertentes gaudebant discere, etiam fugiendo, et experiri illa dogmata quorum notitiam a sphaeris Astronomicis in infantia hauserant. Ex illo loco cymba Atloniam, exindeque demum Galviam perrexi, unde amplius discedere non potui. Promulgato autem Interdicto quidam ex Consiliariis in Ecclesiam bene affecti se ab illo munere subtraxerunt. Sed mox totidem ex illis quadraginta octo, de quibus superius dixi, ita subrogati fuerunt ut magistratus demum in eo statu remanserit, quem factio ante desideraverat. Tunc quasi soluto omni fraeno, Ormonistae se suis desideriis penitus manciparunt. Declaratum fuit D.
63 Eugenium, | quod Insequinnio non cohaesisset, confaederationem dissuisse, proindeque pronunciatus est rebellis et reus criminis laesae Maiestatis. Iurisdictio Ecclesiastica mox corruit. Exierunt mandata ut omnes, qui censuras defendebant, nullo discrimine in carcerem contruderentur, et in multos ventum est ad executionem. Totidem in fugam se dederunt, et inter hos Carmelitarum discalceatorum Visitator, qui ex Flandria accesserat, alium ementitus, et noctu, navem conscendit. Proposita fuere Juramenta iniquissima ab omnibus suscipienda

ad faciendas nihili censuras praeteritas et quascumque alias in futurum. Episcopos etiam in suas partes illecturi, quodam edicto comminati sunt secus Ecclesias ipsis eripiendas, quibus Concilium a se de praelatis idoneis providendum affirmabat. Bene verum est hos excessus nunc magis, nunc minus crevisse secundum progressus exercitus Ultoniensis, qui (sicut suo loco dicam) tota aestate adversariis molestiam afferre non desiit. Unde Consiliarii ubi me rediturum non sperassent, in D. Decanum, qui Kilkenniae remanserat, manus iniecerunt, pauloque post ei omnes scripturas, quas apud ipsum deposueram, abstulerunt, adeo ut me spoliarunt facultate non solum ostendendi per instrumenta et accepti lationes rei pecuniariae administrationem, sed etiam exigendi multa scutorum millia, quae ipsis mutuo dederam, haud erubescentes resumere illa chirographa, quibus me de solutione securum reddiderant. Denique me ad novorum Comitiorum generalium initium per litteras monito ut tanquam in | Coronam Anglicanam rebellis 64
Regno abscederem, scripserunt etiam Galviam ut mihi obedientia denegaretur et, tanquam rebus ad vitam sustentandam necessariis indignus, tractarer. Harum tamen ultimarum et atrociorum deliberationum non nullae adeo clandestine exierunt et deinde ita retentae et negatae fuerunt, ut apparuerit certum, eas ex plena voluntate non exiisse sed authores se tenuisse ambiguos, quo aeque possent suae partis factiosis eas agnoscere tanquam conditas, ac aliis negare, qui eas turpes esse iudicarint.

" **32.** Dum politia sic furebat, res militares tempus non terebant. Tangam ex huius aestatis expeditionibus bellicis quicquid Relationi inchoatae necessarium erit, capita minutiora silentio praeteriturus ad contexendam suo tempore historiam. Itaque ex Ormonistarum parte, nihil magis cordi erat quam procurare mediis omnibus, ut Insequinnius, Prestonus et adhaerentes, quoties opus foret, mutuam sibi opem ferre valerent. Verum D. Eugenius, audita rebellionis sententia in se lata, indignationis plenus et ad faederis Juramentum usque ad mortem sustinendum plus solito paratus, exercitum cogere caepit, et quadam nocte Prestonum, qui magnum armentorum Ultoniensium numerum aggredi moliebatur, viae compendio antegressus, rapido cursu Atloniam pervenit. Ibi magis exacta notitia habita omnium, qui in Momonia adversus Baronem arma sumpturi erant, et Marchionem Ormoniae odio intensissimo prosequebantur, eos fecit certiores se cum paribus indigentiae viribus in eam provinciam brevi | transiturum. 65

Interea se ad Ultoniae confinia recepit et ut iudicavit sibi competentem esse exercitum, movit cum denis peditum millibus et mille quingentis equitibus, omnia late populans usque ad urbem Kilkenniensem. Consiliarii ob hunc exercitum vicinum tanto timore perculsi sunt, ut constantissima fuerit multorum opinio, futurum ut magistratus praecocem se in fugam daret, et praesidium non expectatis tormentis bellicis deditionem faceret, si O Nellus ad maenia accedens insultum tentasset. O Nellus tamen causabatur, Barone, qui (Ormonistis) velocissime suppetias veniebat, accedente; se opprimi nolle inter civitatem et hostem, et sic Kilkenniam declinans, se in Comitatum Tiperariensem contulit. Suis tamen per hanc deliberationem haud satisfecit, cum nemo non videret, expugnata Kilkennia, prorsus finitum iri perturbationes, et Rempublicam in ipsissimo reponendam novae confaederationis statu, in quem, ubi pax proscripta essct, redacta fuit. Crevit O Nelli culpatio viso tantum abfuisse ut conformiter promissis ante factis in Momoniam progressus sit, ut etiam contra Sineni fluminis cursum pedem retulerit. Ubi magna animi praestantia expugnavit praesidia ibi posita, praesertim munitissimum locum Benchoriensem ad traiiciendum idoneum. Eodem pene tempore Marchio Clanricardiae cum suis viribus movebat, quo se apud Conaciam in tuto poneret. Nihil tamen notatu dignum praestitit,
66 nisi quod Atloniam proditione | in potestatem recepit. Illius enim loci praefectus, qui antea ab O Nello stans omnia Regni mandata spreverat, iam a Clanricardio nescio quam pecuniae summam pactus, eum illi post viginti dierum obsidionem tradidit. Marchio, ubi hac ratione sui voti compos evasisset, celeriter movit, Fortfaclandiam petiturus, et Eugenium illo praesidio ad traiiciendum fluvium tantopere opportuno deturbaturus se omnibus Insequinnii copiis associavit. Coniunctis his viribus, dici nequit quae expectatio totius Regni animos suspenderit ? Nemo secum non cogitabat hoc futurum Iberniae praelium ultimum, a quo secuturorum temporum omnium status politicus dependere deberet. Ormonistae autem, recuperato tribus diebus Castello Benchoriensi, iam victoriam cantasse videbantur, cum eos ita Ultonienses cinxerunt ut prae situ paludoso et flumine ad tergum fluente nulla ipsis pateret ad exeundum via, praeterquam parvula terrae lingua, qua progredientes bini et bini ab hostibus occidione delerentur. Octo diebus O Nellus exercitum hoc modo obstructum tenuit. Cumque ex una partium phlegma et ex altera dominaretur

desperatio, expectabatur in horas singulas extremum militiae obsessae exterminium. Sed demum nunciatum est Baronem eluctari conatum, instructa acie se praesentasse, et absque ulla suorum laesione discessisse, nec non D. Eugenium classico | provocatum pugnare manifeste recusasse. Eius fautores ad 67
spei cumulum ante progressi quomodo remanserint, facilius est cogitare quam scribere. Certum est ipsos adversarios id non minus stupuisse, et Clanricardius, inter phylosophandum super rebus moralibus, dixit se die illa comprehendisse quod Deus ab O Nello non stabat. Ille autem in sui deinde apud omnes purgationem dixit se considerasse agi in illo temporis articulo de toto Insulae statu et spe Religionis, proindeque tam brevi experimento tantam gravissimarum rerum molem in discrimen adducere noluisse. In integro florenteque exercitu per totam aestatem et contra sex Praefectos Generales, omnes adversus unum coniuratos, salvando haud parum praestitisse. Quolibet infortunio die illa successuro ponendos fuisse in throno Protestantes, et omnes Catholicorum tractus mox haereseos veneno inficiendos. Restare intactum exercitum, eumque plus solito animatum ad iniurias ulciscendas, et modo res numaria non defutura esset, parem ad hostes etiam debellandos. Hae fuere eius excusationes, post quas se de novo in Ultoniam recepit, et partium iudicio reliquit libertatem examinandi facti circumstantias, edendique in lucem, quid sentirent.

"**33.** Ego Galviae commorabar exercitiis Ecclesiasticis animum intendens, et observans eventorum varietatem, quae in Regno audiebantur. Mihi sane mens fuit mox ac censurarum terrore meam propriam personam, magnam pecuniae (Pontificiae) partem, et D. Eugenii exercitum me salvasse videram, | congregare Synodum nationalem, et ibi ex omnium consensu 68
decernere, nec non (si necessarium videretur) illorum malorum, quae ab omnibus praevidebantur, torrentem sistere, publica absolutione. Quamobrem, excepta Civitate Kilkenniensi, omnibus urbibus Interdictum relaxavi, quae cum legitimis excusationibus et maxima erga Sedem Sanctam reverentia id a me instanter postularunt. Verum Consiliarii et Comitia generalia tota composita ex solitis factiosis sibi nimis consciis et occupatis metu, ne in illa congregatione mea acta confirmarentur, declararunt, se illam impedituros, nisi Kilkenniam redirem. Quare vias omnes insederunt diversis turmis equitum, qui Episcopos et omnes alias personas Ecclesiasticas violenter

repellentes hoc barbarum exemplum aliis sacrilegis actionibus superius tactis addiderunt. Nec ante, sed tunc discedendum duxi, cum me ad remedium adhibendum inutilem viderem. Verum quidem est quod si O Nellus (sicut saepius creditum erat) saltem aliis ex Momonia viam aperturus in Conaciae Provinciam intrasset, ego (sicut cogitabam) hoc exercitu suffultus non nisi tardius abscessissem. Sed ille neutiquam illo intravit. Quinimo non sine maxima admiratione successit, quod per quindecim dies, quibus ob aliqua vectigalia, quae Clanricardius praetendebat, Civitas Galviensis obsessa fuit, Ultonienses illo tunc penetrandi voluntatem non demonstrarint, dum nemo sibi non persuaderet Clanricardium (quod tamen mihi nullatenus constat) sub pecuniae praetextu Nuncii personam voluisse.
69 Qui respectus tantopere crevit inter | Ultonienses ut cum eos puderet quod nullum eius rei indicium praesetulissent, demum Rogerus Maguirius, Tribunus, bellator praestantissimus et perfectissimus Catholicus, ubi meas O Nello molestias probro dedisset, ab eo, quo sibi viam in provinciam patefaceret, duo peditum millia obtinuerit, et paucarum horarum spatio Druimruiskiae Castellum expugnaverit. Inter quem insultum dum stricto gladio in omnium fronte suos animaret, bombardae iaculo occubuit. Quae mors adeo exercitui infausta fuit, ut exinde provinciae, ubi omnes ei adhaerentes animum desponderunt, et Nunciaturae (nam propterea ad discedendum coactus fui) inutilis evaserit. Iam non solum in Conacia sed etiam in Momonia D. Eugenii fautores, qui se aliquo modo manifestaverant, persecutionem patiebantur. Iam intonabatur futurum ut Marchio Ormoniae appelleret, et tono vix finito cecidit fulmen appulsus in aestuario Corcagiensi. Iam illi ipsi, qui mihi toties promiserant nunquam fore ut eum admitterent, pluralitate succumbentes vel tacebant, vel cum aliis conveniebant, et ego in eo me habebam statu ut brevi fixis oculis aspecturus essem et ipsum et Baronem coram me spatientes et ludibrio haeretico deridentes meam diligentiam. Quare cum mihi videretur non esse amplius exercendae animi fortitudini locum, et nec muneris obligationem nec prudentiam civilem postulare ut morarer, dedi mandata in discessionem. Omnibus tamen declaravi me illa supersessurum usque ad ultimum deliberationum, quae in Comitiis faciendae essent,
70 articulum, et donec | Marchio (Ormoniae) restitutus esset, idque ut mea discessio ex una parte appareret spontanea, quandoquidem eam ipse meopte arbitrio statuebam, et ex

altera parte videretur coacta, quod Confaederatio, praeficiendo sibi haereticum, se dissolvebat.

" **34.** Verum opus erat nave, nec aliam magni pendere poteram quam S. Petri fregattam Nannetis emptam, quae a Decani appulsu cum altera S. Ursulae, quasi inter Consiliariorum, persecutorum, ungues, Waterfordiae relicta erat. Hoc ipso tempore Regis Hispaniae Orator (sicut Sanctitas Vestra probe novit) ob praedam in mari Gallico captam non solum eidem fregattae sed etiam Decani et meis rebus litem intendere caepit, et fidem superat, quanta aviditate Concilium Oratoris rationes admiserit, alueritque, arrogando sibi Judicis authoritatem, cum non nisi pars esse valeret. Nihilominus eorum Jurisdictione aliquot actis nostris, qui illud forum agnoscere nolebamus, detrectata, Decano, quicquid habebat, abstulerunt, et ad mea deinde progressi, modicum illud, quod mihi Kilkenniae supererat, voce praeconis vendendum curarunt. Pecuniae Pontificiae summas, quas residuas habebant, in multorum manibus sequestro posuerunt, et simile in fregattas iam dictas exequendum tentabant. Verum mei famuli provida sollicitudine S. Petri celocem noctu ita Waterfordia amoverunt, ut eam ad Duncananiae propugnaculum collocarint. Inter meae legationis annos nec Sedes Apostolica, nec Religio Catholica | experta est locum 71
hac munitione fideliorem. Quem (sicut antea dixi) biennio elapso Prestonus, P. Scarampo singulariter assistente et opem ferente, Anglis extorserat. Ego quoque inter eiusdem loci indigentias semper pecuniam et apparatum bellicum subministravi, quod iudicarem fieri non posse ut Religio in Ibernia usquequaque restingueretur, superstite hoc propugnaculo velut ad Bearouii fluminis ostia posito et ita sito ut praecipuum Insulae aditum aspiciat, praesitque. Ab illo praesidio, pari in me gratitudine, navis adeo custodita fuit ut nemo accedere potuerit. Unde non nulli ex Concilio a conscientia puncti connivendo permiserunt ut discederet, et sic post gravissimas impensas ac labores extraordinarios, Insula ducentorum milliariorum spatio ambita, in portum Galviensem pervenit. Verum S. Ursulae celox in portu Waterfordiensi relicta et praefati legati nomine sequestro posita satis ostendit, Consiliarii illud creditum adiuvabant, an eo in praetextum utebantur? Actis enim omnibus Hispani nomine conditis, demum navis cessit Marchioni (Ormoniae) et ventus Oratori. Alterius navigii conservatio id egit ut etiam speraverim nullam mihi aliam in occasione opem e caelo defuturam, et si Deus decreverat ut

abirem, id ab eo manifestandum per obsequia Ormonio exhibenda, quae sola in decretum mearum ultimarum deliberationum peremptorium praestolabar.

" **35.** Marchio autem paucis diebus ad conferendum cum Insequinnio Corcagiae commoratus, exinde ad suum nobile
72 Carrigiae palatium iuxta fluvium Suirensem | positum pedetentim se contulit, inter viam significans se venisse missum a Regina, quo aliquam rerum Ibernicarum componendarum rátionem iniret. Carrigiae solemnem a Comitiis Kilkenniensibus recepit legationem, cuius princeps fuit Archiepiscopus Tuamensis, eorum omnium, qui debitam Sedi Apostolicae reverentiam oblivioni tradentes nullam sacrilegae violentiae artem non patrarunt, antesignanus, et tamen is ipse, qui evidentius caeteris mihi promiserat, se nunquam consensurum ut idem Marchio revocaretur. Publica verborum urbanitas eo spectavit ut Kilkenniam invitaretur. Modo autem secreto eum certum reddiderunt, partem Ecclesiasticam, in quam Marchio maiori odio flagrabat, adeo tenui apud Comitiorum animos tantopere in ipsum bene affectos pollere authoritate, ut se mox in viam dare non deberet dubitare. Ille ergo deposita omni larva et iam Proregem gerens nullo cum applausu Kilkenniam non intravit et triduo interiecto in throno apud Comitiorum aulam collocatum idem Tuamensis omnium nomine rogavit ut ad Regni in tantas miserias lapsi clavum sederet, et iam probata per experientiam sua vigilantia populum sublevaret. Ille benigne consensit, et se cum ipsis vivere ac mori velle protestatus mox officio fungi caepit. Catholicorum confaederationem dissolutam declaravit et ex ipsorum non nullis novum Concilium formavit, quibus, post instantias aliquandiu apud eum iteratas, demum Episcopum Fernensem paulo ante Roma regressum accensuit, sed ea lege ut Episcopi titulum in subscriptionibus sileret. Porro Episcopus in gravem venit suspicionem apud omnes
73 Catholicos, qui eum viderunt | aulae (Romanae) placitis adeo recens imbutum ut tamen se Marchionis arbitrio manciparit, et adeo favoribus Romae receptis nec non studiis a me, quo eos reciperet, adhibitis devinctum ut tamen ei per tres menses tempus suppetere non potuerit, quo me salutaturus Galviam perveniret. Novum Regimen ante omnia id effecit ut, ex induciarum articulis omnes haeretici, qui se pro Rege facturos declarassent, in priores locorum suorum possessiones restituerentur, adeoque bona biennio antegresso Sanctitatis Vestrae pecuniis expugnata sine ullis impensis recuperarent. Quod ego

aliquoties perpendens magnopere admiror tempus a non nullis teri in quaerendis argumentis, quibus probent huius partis scopum nunquam fuisse respectum Religionis. Cuius rei quae evidentior probatio dari non potest communi Ormonistarum opinione toties mihi significata, nempe eos, qui Regem sequuntur, non habendos haereticos, sed illos solos, qui a Corona deficiunt, et propterea bellum in Puritanos esse iustum, quamdiu rebellant, sed iniustum mox ac ad obsequium redeunt, quasi solus Regis respectus haereses *qualificaret* vel contagionem, quam dogmata falsa animabus pariunt, purgaret, et quasi subsidia a Christi Vicario subministrata Religionem secundarent, si in adiuvandis *Protestantibus* collocarentur. |

" **36.** His actis auditis non distuli, sed subito meae 74
Nunciaturae exercitium haeretici Regimen pati non posse declaravi. Publicavi non esse Sedi Apostolicae familiare, nec decorum ut Ministros publicos apud illos habeat qui quamcumque Religionem praeterquam Catholicam profitenti se suapte sponte subiiciunt. Omnes, qui censuras fulminatas contraxerant, ad accipiendam absolutionem invitavi, exceptis illis solis, qui induciarum authores fuerant, a quibus praeterea exigebam ut omnia acta in Sanctam Sedem et immunitatem Ecclesiasticam condita condemnando refigerent. Illis autem diebus ultimis infiniti accesserunt, et ad alios absolvendos quatuor Episcopis authoritatem sufficientem delegavi. Verum nemo, ne per interpositas quidem personas, accessit ex principalibus, velut illis, qui vel Religiosorum factiosorum doctrinis persuasi, vel sperantes futurum ut Carmelitarum discalceatorum Provincialis paulo antea Romam destinati opera, censuras suspendendas curarent, longe magis satagebant ut de me vindictam sumerent, quam ut se Ecclesiae reconciliarent. Rebus ergo omnibus, quae mihi ullius momenti esse videbantur, expeditis, discessioni diem destinavi, ipsaque die condicta ventus aspiravit, qui ad exeundum illo portu a nautis desiderabatur triumphus, quo inter comitantis populi planctus ad navim conductus fui, maior extitit illo mei appulsus ante triennium velut iam soli Ministri (Apostolici) persecutionem passi et mendici Nunciaturae, non pecuniarum expectationi, qua anterius tenebantur, exhibitus. Nec Galviensium, in omnis mihi intentatae iniuriae semper repulsandae | constantia, obsequium 75
erga Sanctitatem Vestram maiori compensaverim praemio, quam accumulando eorum merita ad sanctos Beatitudinis Vestrae pedes, et illustrando apud archiva Romana, in pos-

teritatis memoriam, hoc exemplum fidelitatis singularis. Remotior orbis Christiani plaga in adorando Summo Pontificatu et defendendis eius Ministris forsan praeibit normam eorum corruptelis, qui sunt viciniores et ad ediscendam, quam fideles suo debent capiti, subiectionem, oportebit ut populi veritatis luce nutriti petant clima, in quo nunquam sol apparet. Septem diebus traieci in Galliam navigatione adeo prospera ut eluxerint effectus clementiae Divinae et vis benedictionum Vestrae Sanctitatis."

FINIS.

[EMENDATIONES IN HAC RELATIONE FACIENDAE.]

Non nulla in hac Relatione continentur, quae mihi videntur corrigenda.

Num. 1. Habet Anglo-Ibernos Guillelmi Coquestoris diebus caepisse in Ibernia propagari; sed vel memoriae vel calami lapsus est, cum non Guillelmi sed ejus pronepotis, Henrici Secundi tempore Angli Iberniam invaserint. Ibidem habetur veterum Ibernorum *plerosque bonorum* | **Ecclesiasticorum investituram sibi, ex quo Reges ab Ecclesia apostataverant, oblatam acceptare recusasse.* Quod dixisset non solum *de plerisque veterum Ibernorum*, sed etiam de omnibus, vel pene omnibus. Eodem numero Nuncius: "Iberni (inquit) recentiores sunt, maiori ex parte, statura non procera, spiritu vivaci et ingenio subtilissimi. Antiqui vero sunt grandi corpore et agendi ratione si non impoliti, certe simplices, et tarda potius apprehensione, minorique in tractandis negotiis dexteritate." Haec ille. Sed addidisset Anglos ex dogmatibus politicis semper operam dedisse ut veteres Ibernos ad omnem paupertatem, inscitiam, barbariem, infidelitatem, imo ad nihilum redigerent, secus suapte natura ingeniosissimos, usqueadeo ut etiam in hoc bello fuerint sagaciora Iberniae ingenia, praesertim Muscrius, episcopus Clogherensis, Eugenius O Nellus, et Insequinnius, quibus si inter se convenisset, Ibernia invitis Ormonistis reliquis effloruisset. Porro Nuncius, cum unius partis fraudes infinitas

* (*Harum chartarum desunt numeri.*)

et alterius sinceritatem, animi candorem, et summam integritatem expertus sit, parti, a qua deceptus erat, ingenii subtilitatem, | alteri vero parti simplicitatem ascribit.

Num. 3. Dicit Ibernis religionem in confaederatione fuisse praetextum. Quod eum de Ormonistis intelligere constat ex praecedentibus et sequentibus, praesertim num. 35, ut hic taceam multa alia eius acta, quibus id ad nauseam repetit.

Num. 7. Nuncii censura in plerosque episcoporum adeo aspera videtur ut crediderim mitigandam (excipio episcopos, qui anno 1648 in Nuncium insurrexerant), sicut aliam eius Relationem anno 1646 ex Ibernia Innocentio X° missam notis illustrans alibi ostendi et hic non repeto. Eodem numero Duncananiae propugnaculum Momoniae ascribit, quod tamen Lageniae communiter ascribi video, licet in ambarum Provinciarum colliminio collocetur.

Num. 8. Quod de Ultoniensibus et Conaciensium parte habetur, mitigandum videtur, juxta ea, quae eundem locum in historia ad annum 1646 citans dixi.

Num. 9. Dicit Nuncius ne minimam quidem Iberniae partem superfuturam Catholicam, nisi victoria Benborbiensis reportata fuisset. Cujus loci sensus esse videtur, futurum ut nulla Iberniae pars religionis Catholicae libere et palam exercendae facultatem ab haereticis obtineret, nisi illa victoria reportata. Nam secus experientia docuit nulla haereticorum arte aut Marte factum ut | Iberni, praeterquam pauci, fidei nuntium remiserint.

Num. 15. Clanricardius vocatur Joannes, qui tamen *Ullicus* vocabatur. Ibidem et numero 3° Clanricardium Conaciae Praesidem fuisse innuit. Verum hoc titulo Vicecomitem Dillonum insignitum et Clanricardium civitatis et Comitatus Galviensis praefectura in eadem Provincia a Rege impertitum fuisse indicat Bellingus suarum *Annotationum*, pag. 81 et 101.

Num. 18. Dicit Nuncius Ormonium Anglis Dubliniam tradidisse tribus librarum millibus, quae quidem summa ex pacto mox Dubliniae numeranda erat, sed alia longe major postea solvenda, quam secundam nunquam numeratam fuisse ipse Philopater, Ormonii apologista, tradit. Qui etiam rumor late percrebuit. Quare Nuncius hic summae non promissae sed secundum illam famam numeratae mentionem facere videtur. Eodem numero habet Ormonium Kalendis Iulii ex Ibernia anno 1647 vela fecisse. Verum alibi lego eum 28 Julii navigare caepisse.

Vindic: lib. 1, cap. 6.

Num. 22. Accusat Eugenium et ejus exercitum depraedationis nimiae, cui tamen in aliis actis tradit occasionem praebuisse stipendiorum | militarium inopiam, de qua re in historia fusius. Porro quae eodem numero Nuncius de Muscrio tanquam cum Insequinnio connivente tradit, referenda sunt non ad Cassiliae et Castelli Cahirensis expugnationem proxime praecedentem, quae utique in Taaffi praefecturam militarem incidit, sed ad alia in eodem numero praecedentia.

Num. 23. Indicatur Fernensem et Plunkettum ab Ormonistis fuisse vocatos in suspicionem propendendi in partes Catholicas ipsis adversantes, quae tamen longe aliam de illis duobus conceperunt opinionem. Circa quam hic sermonem non protraham, quia fusius discussam in historia, praesertim in chartis a Nuncio ex Normandiae maritimis mense Martio 1649 ad Cardinalem Panzirolum in Urbem scriptis et in meis illic notis huic spectantibus.

Num. 25. Waterfordia Lageniae accensetur, licet nunquam ad eam Provinciam, sed ad Momoniam semper pertinuerit. Quem etiam calami lapsum Nuncius in articulis Jesuitarum Ibernorum Visitatori adversus Jesuitas Anglo-Ibernicos a factione Ormonica stantes apud Iberniam antea traditis passus erat quod Waterfordia Lageniae sit vicina. Eodem numero invenitur Eugenium O Nellum ex Tironio descendisse, cujus tantum erat ex fratre nepos, licet ex alio Tironio, Conno Claudo, descenderit, ejus utique pronepos. |

Num. 26. Dicit Jonii exercitum in O Nello tota aestate observando fuisse confectum, ubi per *totam aestatem* intelligitur totum expeditionum militarium proxime praeteritarum tempus, ex quo Eugenius viribus Prestoni a Jonio anno 1647 profligatis in Lageniam adversus Jonium bellaturus transierat. Cum enim expeditiones bellicae aestate quolibet anno inchoari soleant, hinc factum ut dicta loquendi consuetudo inoleverit. Ibidem dicitur Insequinnii vires ad tria peditum millia fuisse tunc redactas. Quinimo Nuncium duo tantum peditum millia ibi scripsisse auguror, sed quendam alium postea maiorem illum numerum substituisse, quod (credo) posteritati constabit ex aliis ejusdem Relationis exemplaribus ab ipso Nuncio in Pontificem, Innocentium X, aliosque distributis. Verum in quibusdam ipsorum haereticorum actis Corcagiae anno 1648 in lucem editis maiorem Insequinnio militum numerum superfuisse legimus. Sed forsan hoc eorum artificium fuerit, ut ea simulatione Catholicis metum incuterent, et ampliora tributa

extorquerent etiam ab ipsis Ormonistis, qui forsan tanta Insequinnio tributa ex induciarum pacto in illius haeretici exercitus sustentationem non decrevissent, nisi illo fuco decepti fuissent. Praeterea | Nuncius solum peditatum recenset, eumque forsan non omnem, sed qui militi Catholico in castris negotium facessere posset toto numero longe inferior, cum magnae virium haereticarum parti praesidia sua semper custodienda essent, ne a Catholicis interciperentur.

Num. 30. Dicit ex octo episcopis alienatis fuisse quatuor, qui induciarum condemnationi, nempe decreto Cleri 27 Aprilis 1648 dato, subscripserint. Verum praeter illos quatuor, nempe Tuamensem, Aladensem, Limericensem, et Finiborensem, addidisset eorundem octo quintum, nempe Dromorensem per Congregationis Ecclesiasticae actum 2 Maii 1648 datum easdem inducias condemnasse. Octo praefatorum alii tres, nempe Ossoriensis, Midensis et Ardaghadensis, actorum iam dictorum neutri subscripserant.

Num. 36. Dicit se ex Ibernia navigaturum quatuor episcopis absolvendi a censuris anno 1648 ob inducias fulminatis fecisse potestatem. Quod ita verum est, ut in charta a se ex Normandiae maritimis anno 1649 ad Cardinalem Panzirolum circa illas censuras Romam scripta significarit, se illam absolvendi facultatem sex episcopis delegasse. Eodem numero 36 Galviensium fidelitatem extollit. Quod | ejus encomium sicut Galviensium boni optime meruerunt, ita eorum non pauci de ipso et causa Catholica pessime meriti sunt, nempe Richardus Blakus, Ormonistarum pseudo-Comitiis anno 1648 indictis a secretis, Patritius et Andreas Darcii, Robuccus Lynchaeus, Supremus Consiliarius, Zepherinus Brownus cum Antrimio et Muscrio in Galliam anno 1648 ineunte in Galliam missus, Nicolaus Lynchaeus, Valentinus Blakus, duo episcopi, nempe Aladensis et Finiborensis, aliique e Clero populoque plures, sicut in historia legas. Eodem numero 36 habet Nuncius solem in Ibernia nunquam apparere : est locutio hyperbolica. |

Lectorem moneo primo, annum in Ibernia incipere a die 25ª Martii, me autem in hoc opere illum exordiri a Kalendis Januariis ; secundo, me opellam dedisse ut veritati et aequitati insisterem, sed re ipsa tam infirmo et caeco esse judicio, tantaque voluntatis iniquitate ut opus sit adhibere approbatores non solum aequos sed etiam judicio pollentes et doctos, qui meum

defectum suppleant in discutiendis, nedum Juris, sed et facti quaestionibus, praesertim circa bellum Catholicum in Ibernia anno 1641 caeptum, deindeque aliquot annos continuatum. Et haec quidem sunt quae hic inserenda duxi, quo praelati nostri efficiant ut opus bene examinetur et ad veritatem usquequaque quadret.

FINIS OPERIS.

APPENDIX

Relationis a P. Richardo O Ferallo 5 Martii 1658 datae exemplar Londinense.

[*Desideratur in hujus operis textu Relatio a P. Richardo O Ferallo, Capucino Iberno, Sacrae Congregationi Propagandae Fidei die* 5 *Martii* 1658 *tradita et ab hoc titulo exordiens* : " Ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide. Modus et Authores eversionis Catholicae Religionis et Regni Iberniae et non nulla remedia ad conservandum ibi utriusque reliquias. 5 Martii 1658." (f. 2514v). *De qua postea P. Richardus Albritio, hujus Congregationis Secretario, scripsit* : " Relatiunculam illam contexui et Dominationi vestrae Illustrissimae tanquam Sacrae Congregationis Secretario confidenter ac privatim credidi, hoc ipso charactere ac propria mea manu descriptam." (f. 2527).

Hoc vero pacto non obstante, " illa rerum Ibernicarum Relatio quorundam Ormonistarum in Urbe se tenentium opera ad eosdem Ormonistas et ad ipsos haereticos in partes ultramontanas transmissa fuit, gravissimamque in P. Richardum procellam concitavit." (f. 2518). *Quod etiam P. Richardus his verbis asseruit* : " Nunc vero ex particulis et parte ejus majore ad me ex Gallia et Belgio missis video illam fuisse ad haereticos missam, traditamque Consiliariis Regis ac Reginae Angliae, et iisdem politicis, qui religionem et Regnum everterunt, ad eos omnes uniendum et irritandum contra me amicosque meos et contra omnes, qui illam laudare audent, vel damnare nolunt." (f. 2527v). *Et Summo Pontifici scribens* : " Nunquam vero (*inquit*) suspicatus sum Relationem toties ex me petitam et Sacrae Congregationi confidenter ac privatim creditam (cui et animam tunc credidissem) fuisse haereticis prodendam. Fuit tamen eis prodita cum aliis scripturis ex Secretaria Sacrae Congregationis et forsan ipsum originale." (f. 2530).

Post proditionem hanc conquestus est P. Richardus de suae Relationis " exemplaribus corruptis et depravatis " *ab inimicis factis* : " Quotidie a politicis augetur, vel alibi minuitur, vel mutatur ; quae enim initio fuit tantum sex, postea decem, nunc est foliorum duodecim." (f. 2528).

Fassus est P. Richardus se non servasse " exactam ejus copiam verbatim, sed primam solam delineationem in rescriptione (ut memini) alicubi mutatam." (f. 2528). *Quibus etiam addendum autographum propria P. Richardi manu exaratum nusquam omnino reperiri posse.*

Habetur equidem Londini in Musaeo Britannico (*Add. MSS*, 33744, *ff.* 8–17) *hujus Relationis exemplar, cujus tamen prima verba ab exordio supra dato aliquantulum differunt. Liquet vero ex jam scriptis dignosci non posse utrum ex ipso originali an ex apographo corrupto exscriptum sit.*

Idem etiam dicendum est de frustis ex Relatione citatis in libro, cui titulus : " ALITHINOLOGIA," *in hanc Relationem scripto. Fatetur auctor*

se Relationem ipsam non recepisse, sed " aliquas solum ejus lacinias ad me amicorum opera datas." (p. 3).

His itaque praemissis, haud abs re erit ad hujus voluminis calcem exemplar Londinense subnectere.]

" Ad Sacram Congregationem
de Propaganda Fide.

" Hic Authores et Modus Eversionis Catholicae Religionis in Ibernia recensentur, et aliquot remedia pro conservandis reliquiis Catholicae Religionis et Gentis proponuntur.

" Supplicante Richardo O Ferall Capucino.

8 " IBERNIA, quae olim Scotia et *Insula Sanctorum* dicebatur, et erat omnium Insularum Maris Oceani post Magnam Britanniam, quae Angliam et Scotiam complectitur, maxima, ita jamdudum opprimitur, ut nec ejus historias nec laudes vel notitiam ad externorum cognitionem pervenire permittant ejus Eversores, nisi mendose et mutilate, ne illam appeterent externi Principes, si penitus explorare possent illius magnitudinem, fortitudinem, incolarum copiam, divitias et commodissimum situm ad commercium cum omnibus Nationibus ineundum, et ad frenandum navigationem Anglorum, Scotorum, Hollandorum et caeterorum in Oceano Occidentali, ut in hoc postremo bello per quinque vel sex solum naves fecisse noverunt Angli et Hollandi.

" Habitatores Iberniae nunc varii sunt. Alii sunt veteres seu antiqui Regni indigenae, alii recentiores, alii denique recentissimi. Antiqui habitatores orti sunt ex tribus illis fratribus, qui Insulam bis mille quingentis circiter abhinc annis expugnarunt, et deinde per successionem 181 Regum Regnum propagarunt qui toti Insulae praefuerunt, praeter Regnorum quatuor, in quae dividebatur, Reges, qui non jure successionis haereditariae, sed electionis juridicae ad sceptra evehebantur, et quorum posteros et familiarum et tribuum Ductores totus populus ex eodem quoque genere progenitus in hodiernum usque sequitur, colit, veneratur, ac juvat quantumvis haereticorum minis ac paenis ab hoc avertatur. Regebantur a suscepta Fide Jure civili, municipali et Pontificio, donec Angli in horum locum Jus suum paulatim stabilierunt, sicut et viros novos obscuro loco et terra natos substituerunt loco Principum, Magnatum et Dynastarum Electivorum in Parlamentis et generalibus Regni Comitiis, ubi nunc nec jure sedendi, suffragandi nec decidendi fruuntur nisi titulos Baronum vel Procerum pretio sibi comparent, sicut et adscriptionem inter cives in propria Patria, ubi nativi sunt peregrini, et externi cives.

" Recentiores seu moderni orti sunt vel ex Ostmannis, Nordmannis, Norwegiis, Danis et similibus gentibus collectitiis in civitatibus maritimis negotiorum causa sedem figentibus, instar civium et populi Liburnici in Hetruria ex diversis advenis coaliti, vel ex Anglis et Cambris in colonias illuc adductis, vel alio modo ab Anglorum invasione ibi admissis, qui postea Anglorum Ministri fuerunt et instrumenta ad supprimendum Ibernos, ex quorum ruina isti se

suasque fortunas erigebant. Unde saepe conquesti sunt Iberni, nullam fuisse factam expeditionem, conspirationem, aut aliam (ad Nationis extirpationem) susceptam esse machinationem cujus illi non fuerunt inventores, promotores vel executores. Hi non in urbibus solum maritimis, ubi cum eis conspirarunt gentes illae collectitiae, habitant, sed etiam ruri et in coloniis acquisitis, ubi conantur linguam et mores Anglorum retinere. Unde disparitas et dissimilitudo magna inter illos et populum antiquum. |

" Novissimi vel recentissimi Iberniae incolae sunt haeretici Angli et Scoti in Colonias et Plantationes in Iberniam confluentes tempore haereseos ad plantandam haereticam pravitatem et exstirpandum Catholicos, cum quibus se junxerunt Catholici politici illarum coloniarum et civitatum, sicut gens illa collectitia sese initio junxerat Anglis contra Ibernos ; ex quorum consortio et cohabitatione zelus imminuitur et mores depravantur horum Anglo-Ibernorum (ut ipsi sese vocant) magis quam antiquorum, qui ab illis quo possunt longius habitant, cum omnes illi cives non nisi e crumena sint nobiles. 8v

" Fuit Ibernia ad Christianam Fidem conversa sub anno a Christo nato 431 a Sancto Patricio illuc misso a Caelestino primo, Pontifice Maximo, a quo ornatus erat dignitate Legati Apostolici, Pallio et Potestate Archiepiscopi Armachani et Primatis illius regni, cujus successores saepe titulum Legati et semper dignitatem Archiepiscopi et Primatis retinuerunt absque interruptione ut cerni potest ex continuata serie Primatum. Visitationem septennalem per universum Regnum instituebant, et a Regibus, Magnatibus et Clero statuebantur arbitri omnium negotiorum majoris momenti. Adeo fuerunt Iberni Catholicae Fidei tenaces et observantes obedientiae in Sanctam Sedem, ut effecerint se vectigales Sedis Apostolicae, a qua salutis viam et doctrinam acceperunt, suaque ei tandem consecraverint sceptra, et coronam Regiam donaverint, nec non majorem Insulae partem fundandis et dotandis templis Cathedralibus et Caenobiis donaverint, tantaeque pietatis et sanctitatis, et tanta miraculorum gloria splenduerunt, ut praeter martyres et alios Sanctos, qui me latent, ultra quadringentos celebriores Sanctos in Calendario enumerent ex eadem stirpe oriundos ; quibus consecrata sunt templa, Festa, Altaria. Et ita semina doctrinae et pietatis Christianae domi et inter exteras quoque Nationes spargentes, miraculis, prodigiis et viris Divorum albo illatis excelluerunt, ut fuerit jure merito deinceps Ibernia Insula Sanctorum nuncupata. Eundem Fidei et sanctitatis splendorem fuderunt in Scotia, quam suae ditioni et imperio subjecerant, magnamque Angliae partem sacro Evangelii lumine collustrarunt. Conservavit Ibernia hanc doctrinae, pietatis ac sanctitatis claritatem usque ad Danorum, Ostmannorum et Norwegiorum Invasionem, et quamvis isti eam plurimum obfuscaverint demoliendo templa et persequendo Ecclesiam, nunquam tamen aut Ibernos a Fide divertere, aut Religionem et sacram Ecclesiae Hierarchiam extinguere potuerunt, ut ex sacris et profanis historiis, ac Primatum et caeterorum Episcoporum nunquam interrupta serie abunde probari potest, licet Romae ad Sedem Apostolicam suo jure privandam, et Iberniae honorem minuendum, nescio quinam aliud persuadere videantur. |

9 " Esto autem fingamus collapsam fuisse Iberniam in Paganismum tempore Normannorum istorum, ex hoc tamen probari nequit id quod Henricus Secundus Angliae Rex asserit in Libello suo supplici et Narratione ad Adrianum IV, Summum Pontificem, quia ab anno 1014, quo fuerunt deleti Dani, usque ad 1156, quo Henricus ad imperium suum augendum petiit et impetravit illud Indultum, Hierarchia Ibernica, quam Primas, Episcopi, Pastores et maximus Religiosorum numerus constituunt, constanter floruit. Et ex Primatibus (ut caeteros taceam) tunc sibi invicem succedentibus plerique erant summa sanctitate per totam Ecclesiam adeo celebres, ut meruerint in Divorum Catalogum inscribi, ut Sanctus Celsus, Mauritius, Sanctus Malachias, familiaris Divi Bernardi. Post mortem vero S. Malachiae anno scilicet 1148, Eugenius Tertius transmisit in Iberniam S. Christianum O Conarchys suum condiscipulum Legatum Apostolicum, et cum Joanne Papyrone Cardinali Presbytero quatuor Pallia ad quatuor Archiepiscopos, quae ab ipso et a Legato fuerunt consignata quatuor Archiepiscopis, Ardmachano, Dubliniensi, Cassellensi, et Tuamensi, in celeberrimo illo Concilio Nationali omnium Episcoporum (40 scilicet). Abbatum, Regum, Principum, Magnatum et Nobilium celebrato apud Mel anno 1152. Nemo igitur Iberniam tunc fide destitutam aut ad Ecclesiam non pertinuisse potest asserere. Caeterum si Pontifex transtulit in Principem externum, qui nec vi nec jure quidquam poterat ipse aut ejus praedecessores in Iberniam (licet saepius id tentaverint) transtulit jura, Regnum, et Patrimonia Regum Catholicorum ac Principum et Magnatum Iberniae sub titulo reducendi Insulam ad Fidem Christianam. Si igitur tunc fuit Catholica nedum Christiana, petitio illa falso inniti dicenda est. An autem alio titulo concesserit, vel an vere concesserit? aut transtulerit illam in personam Henrici, privando Reges legitimos proprio jure dominioque nulla expressa causa, citatione aut convictione, id certe in Brevi seu Indulto non habetur. Iberni illi tanquam missum a Pontifice sive ad colligendum vectigal Ecclesiasticum, sive ad aliud negotium transigendum acceperunt eum tanquam Magnum Dominum ut ait Breve, Utut sit Breve videtur inniti falso et subreptitium esse.

" Conditiones autem in eo expressae et ab Henrico acceptatae, fuerunt ab eo et a successoribus violatae, ut constat ex Regum Iberniae et Pontificum literis, ex quibus constat Reges Angliae ita afflixisse Iberniam, ut in ea doctrinam, sanctitatem et Religionem tunc reflorescentem oppresserint, et ab eorum invasione ita cessasse sanctitatis splendorem et Sanctorum numerum, ut nec ipsi nec Iberni fere ulli deinceps Sanctorum catalogo fuerint adscripti. Nec solum Reges, Principes, Dynastas et reliquos Catholicos bonis, patrimoniis, dignitate ac jure eorum spoliarunt, a Comitiis et Parlamentis excluserunt, sed et Clerus adeo opprimebatur, ut nemo, sive a Pontifice sive jure electionis ad beneficia pinguiora seu ad dignitates et Episcopatus
9v evectus admitteretur ad beneficia illa | saltem quoad temporalia donec se Regi Angliae submitterent. Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias dabant viris advenis, politicis, linguaeque vulgaris ignaris, suspectis et odiosis populo, unde ingens damnum Religioni et Ibernis illatum, maxime quod pascere non possent sed deglubere gregem,

eorum bona alio et in cognatos suos transferentes, ut hi votis et suffragiis contra eos in Parlamentis concurrerent, legesque decreta et statuta in eorum damnum sancirent. Pro-Rex enim et Concilium Regium, quorum authoritate regebatur pars Regni Anglis subjecta, usurpando nomen totius Iberniae, cum colonorum et gentis collectitiae civitatum auxilio condebant quascumque libuit leges ad privandum Ibernos doctrina, militia, officiis, terris, bonis, &c. Si sic a Catholicis in Ibernos saevitum quid ab haereticis ministris deinceps non patratum ?

" Noluerunt quidem coloni illi ut et civitates, paucis exceptis, polluere se haeresi Henrici Octavi cogentis subditos ad agnoscendum illum caput Ecclesiae etiam in spiritualibus per sua dominia ; tamen in Comitiis illicite Dublinii celebratis anno 1541, usurpato nomine totius Regni, reluctante Sede Apostolica et praecipuis Regni Magnatibus, acceptarunt eum in Regem, et ejus autoritate sibi sacrilege absque Pontificis consensu multi arripuerunt bona Ecclesiae et ampla Monasteriorum praedia, quae sibi appropriare vel alio modo a Pontificis collatione subtrahere non potuit impius Rex. Quibus ipsi inebriati atque inescati sese semper deinceps opposuerunt authoritati Sanctae Sedis et Religionis restaurationi adhaerentes non solum Henrico et Eduardo, sed impiae etiam Elizabethae juvando eam armis, viris, viribus, pecuniis et legibus contra Catholicos, adeo ut haereticos sub illa saepius ab exterminio et a deserenda Ibernia retraxerint, praebendo sese illis in Duces, Ductores, auxiliares, suaque bona in sustentationem haeretici exercitus conferentes, quorum praecipui erant Butleri, Burghi, Nugentii, Geraldini, Plunkettii, Barnevallii, Prestonii, Flemingii, Barrii, Whitii, Cusacii, Talbotii, Breminghamii, Darcii, Purcellii, Taaffii, etc., his similes aucti beneficiis, divitiis et honoribus haereticorum. Hos viros politicos in impia illa unione cum haereticis confirmabant et animabant Ecclesiastici illorum parentes et amici, asserendo (etiam post censuras Pii Quinti et aliorum Pontificum) licitum esse adhaerere et opem ferre haereticis in bello etiam offensivo contra Catholicos, dummodo in ipsa haeresi formaliter cum eis non consentirent. Quo impio dogmate animati, iisdem in Parlamentis adstiterunt, leges paenales vitae et necis contra Catholicos ferendo qui Primatum spiritualem Regum haereticorum negabant, contra eos qui Pontificis authoritatem agnoscendo ad eam recurrebant, impiaque haereticorum sacra adire recusabant, et similia.

" Hisce artificiis fracti et superati Catholici sub Elizabetha, resistere non potuerunt sub Jacobo impiis modis quibus facilius propagavit haeresim tempore pacis suae quam tempore belli fieri potuit, dum Catholici soli resistere non valebant omnibus politicis, et haereticorum trium regnorum sectis. Atque ita praevaluit et stabilita est haeresis illa, quae hodie illic debacchatur et minatur universae Europae, quae initio quidem | quasi imperceptibilis, mox in altercatione sub praetextu quorundam gravaminum visibilis, deinde in schisma haereticale, ac tandem in formalem haeresim prorupit, quae primo Parlamentaria, Protestantica et Anglicana dicebatur, excerpta ex Calvinismo, Lutheranismo et aliis olim damnatis, multos tamen ritus et imaginem Hierarchiae retinuit sub nomine Pseudo-Archie-

piscoporum, Pseudo-Episcoporum et Pastorum uxoratorum. Sed paulatim degeneravit in eas Sectas et Atheismum, ut hodie nesciant, quid credere aut facere debeant.

" Variis et sequentibus maxime mediis usi sunt haeretici ad plantandam haeresim et extirpandam Catholicam Religionem in Ibernia. 1.° Per cruenta bella omnes quos poterant promiscue mactando. 2.° Per multas leges impias pecuniarias, ablationem libertatis, bonorum et vitae. 3.° Per exilia, carceres, privationem honoris, dignitatum, officiorum, et per iniquas sententias tollendo e medio omnes qui virtute bellica, potentia, ingenio, vel aliter eminebant. 4.° Exuendo omnes Catholicos armis, munitionibus, castris, praefecturis, navibus. 5.° Interdicendo Catholicis literis, scholis et doctrina domi et apud exteros, ut juniores corrumperentur et redderentur ignavi. 6.° Ad juventutis depravationem erigendo et dotando bonis Academiam et publica studia haereticorum, fundando scholas (suppressis scholis Catholicorum) ubi haereses et omnia impietatis elementa et praecepta tradebant. 7.° Publicando lingua Ibernica varios libros pravos et haereticos, et proscribendo typos et libros Catholicos. 8.° Plantando inter Catholicos varias colonias, praesidia, incolas Anglos et Scotos haereticos, et donando eorum pagos et viculos privilegiis municipiorum et civitatum, ut inde exclusis civibus Catholicis, haereticos ad Comitia semper deputarent, et suffragiorum numero Catholicos superare possent. 9.° In haeresi et prava libertate educando orphanos Nobilium usque ad vigesimum primum aetatis annum.

" Contra has iniquissimas haereticorum artes pugnabant ipsi quidem Catholici patiendo potius quam resistendo, pugnabat etiam acrius Clerus Catholicus licet occulte et Hierarchia Ecclesiastica, cujus ope Ibernia fuit conservata tempore Danorum, eadem et nunc consilio, auxilio, diligentia et doctrina fidem conservavit incolumem, et maxime privata administratione sacramentorum et Verbi Dei. Summi enim Pontifices ad instantiam Nobilium et Cleri substituebant successive Primates, Episcopos et Vicarios Apostolicos, hi vero instituebant et distribuebant Pastores et Rectores per universum Regnum juxta locorum necessitatem. His in Fidei et Religionis conservatione opem incredibilem et summum auxilium tulerunt Regulares, et prae omnibus Fratres Minores strictae observantiae. Post illos Dominicani, deinde Augustiniani, Capucini, Jesuitae, Carmelitae, nec defuerunt aliqui monachi Sancti Bernardi, Benedictini sed pauciores, nec non Canonici aliquot regulares Sancti Augustini. Sed ardor horum monachorum ad recuperandum monasteria minuit eorum fervorem in cultura Vineae Domini, uti parum possunt illi qui emolumento temporali inhiant. |
10v Contra ignorantiam, et ad augendam perfectionem, et conservandam linguam Patriae mirum in modum contulerunt Iberniae tres libri: Doctrina Christiana, Speculum Paenitentiae, et Speculum Vitae Religiosae Ibernicis typis publicati a Fratribus Minoribus Lovanii, nimirum a Fratre Hugone Cavello Primate Iberniae, a Fratre Florentio Conryo Archiepiscopo Tuamensi, et a Fratre Bonaventura O Hosio Guardiano Lovaniensi. Media utilia et necessaria ad conservandam Hierarchiam, ad educandam juventutem, ad pietatem et doctrinam

augendam fuerunt Seminaria plurima Ibernis erecta per diversas Nationes, nec non quaedam Coenobia Regularium, ut Lovaniense et Pragense, Romanum Sancti Isidori; Ordinis etiam Praedicatorum Lovaniense, et Carolopolitanum et Sedanense Capucinorum, unde novi recentesque quotannis milites Christi prodibant in arenam contra haereticos. Hisce mediis fuit conservatus Clerus, et a Clero ignis sacer Fidei in Ibernia usque ad hoc ultimum bellum pro Fide gestum. Cujus causas, progressus et successum hic potius indicare quam narrare conabor.

"Haeresis Anglicana omni veritatis fundamento destituta, fuit semper instabilis et de malo in pejus quotidie degenerans, donec sese tandem praecipitavit in mille impietates, in varias sectas et usque in Calvinismum quem nos appellamus Puritanismum, cujus essentiale principium est, extirpandam esse tam sacram Ecclesiae Hierarchiam, quam etiam omnem temporalem Monarchiam, asserendo nullum debere esse inter fideles principatum, unde et Hierarchiam Catholicam et Pseudo-hierarchiam Protestantium et ipsam Monarchiam prius in tribus hisce Regnis deinde per universam Europam extinguendam esse concluserunt et modum exequendi machinam ita arripuerunt.

"Carolus Primus, Angliae Rex, sua regna jam dudum regens per se suumque Concilium arcanum, Regni Ordines seu Generalia Comitia Parlamentum nominatum cogere non voluit, sive ad reddendum se paulatim absolutum et independentem, ut Puritani effutiebant, sive ad evitandum malum sibi inferendum a Puritanis, sive ad alium finem, donec anno 1637 suasu Gulielmi Laudi, Pseudo-Archiepiscopi Cantuariensis (qui novus Autor nescio cujus Reformationis seu Uniformitatis haeresum Angliae et Scotiae haberi cupiebat), misit in Scotiam Liturgiae et Communionis, Precum et Caeremoniarum Librum tunc editum ad stabiliendam illam Uniformitatem, et ad cohibendum Puritanismum. Scoti in librum et in Pseudo-Episcopos eum publicantes, ac tandem in ipsum Regem, cujus iussu editus erat, insurrexerunt, et Angliam cum exercitu ingressi (adjuti a Puritanis Angliae et incitati ab externis quibusdam) edito faedere illo impio seu voto et juramento Calvinistico explicite contra Ecclesiam Catholicam, implicite vero contra Monarchiam, statuerunt duos exercitus ex Anglia et Scotia mittendos esse ad cogendos Ibernos, et Regi et Catholicae Religioni fideles vel ad haeresim vel ad internecionem. Fuit vero hoc eorum consilium detectum et Ibernis communicatum a Thoma Straffordiae Comite et Pro-Rege Iberniae eo fine, ut Iberni in quibus solis spem salutis Regis et Coronae esse dicebat, se ipsos et Regem defenderent. Ipse tamen Pro-Rex accersitus in Angliam a Parlamento, Ductorem exercitus in Ultonia in Scotiam trajiciendi eligit non Catholicum sed Jacobum Butlerum, Ormoniae Comitem haereticum, qui a promissa fidelitate et tractatu cum Catholicis de modo succurrendi Regi mox resiluit ad Puritanos. |

"Coegerunt interim Puritani Regem ad convocandum Angliae 11
Parlamentum, deinde ad idem pro eorum lubitu continuandum, nec non ad subscribendum ejusdem Pro-Regis morti, deinde ab eo extorserunt plurima similia et potestatem adversus Catholicos, &c. Et ab Iberniae Praefectis et Ministris Regiis tunc Puritanis, Parlamentarii ad accelerandum bellum in Iberniae Catholicos fuerunt

invitati et instigati. Unde considerata conjunctione illa periculosa Puritanorum Scotiae et Angliae et Officialium Regiorum in ruinam Religionis et Catholicorum, nonnulli sinceri Iberni, viri nobilissimi, Duces et capita antiquissimarum familiarum, videlicet O Nellii, Maguirii, O Reilii, Magnesii, O Ferrallii, O Rorckii, O Moorii, etc., de praesenti illa ruina avertenda occultissime tractarunt, licet armis, pecuniis, exercitu, classe et caeteris bello necessariis destituti, Dei tamen ope et justitia causae freti sub diem 23 Octobris 1641 aggressi sunt arduum illud opus Defensionis Catholicae Fidei et Nationis, et nonnullos subito Deo Duce sibi comitatus et Episcopatus subjecerunt, in corpus exercitus coierunt, Nobiles Coloniarum Anglorum Catholicos de justitia et necessitate illius defensionis edocuerunt, et ad eam enixe invitarunt, offerentes eis omnem opem et operam contra Puritanos, iisque ostenderunt sua gravamina et Declarationem ad Regem, sed surdis canebant. Nam Politici Catholici respuentes Catholicam causam personaliter accesserunt ad Puritanos, suas eis vires, personas et bona offerentes ad opprimendum Catholicos, asserendo se suosque antecessores semper stetisse cum Anglis contra Ibernos, et hunc in finem ibi plantatas fuisse colonias. Susceperunt in se, si armis munirentur, onus sedandi motum Catholicorum, idque propriis expensis, et oblatis suis Primogenitis in fidelitatis et executionis securitatem, ut patet ex Apologia Procerum, Equitum, etc., Anglicanae in Ibernia Coloniae pro assumptis armis, &c.

"Verum justo Dei judicio fuerunt eorum preces et petitiones a Puritanis rejectae, et ipsi partim caesi et mactati, partim incarcerati, bonis exuti, et totum eorum territorium flamma et gladio est devastatum. Et tamen etiam tunc illi soli se cum Catholicis junxerunt qui vel timore vel gladio erant ad id coacti, simulque occasionem resiliendi ad haereticos expectabant. Catholici vero pluribus animati victoriis divinum cultum et Religionis exercitium in templis recuperatis palam stabilierunt, et antiquissimo Ibernorum more recurrerunt ad Primatem Regni, qui in Synodo sua Provinciali 22 Martii 1642 celebrata multa decreta utilia edidit circa res bellicas, civiles et Ecclesiasticas, Censuras tulit in fautores haereticorum, potissimum in Clerum Politicum seducentem Catholicos ad partes haereticorum, et nominatim in D. Thomam Dessy, Episcopum Midensem, ea in re convictum, hortatus Regnum ad obedientiam Concilii et Regiminis Generalis mox erigendi. Ipse ad hoc accelerandum cum caeteris Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis, Abbatibus, Provincialibus Religionum Kilkenniam properavit, ibique in nova et universali Synodo apertius declararunt justitiam belli Catholici, traxerunt Clerum et Nobiles ad convocandum Generalia Regni Comitia, ad stabilienda Concilia Provincialia, et ut juramento Unionis et fidelitatis se invicem obstringerent. Tulerunt ad hoc censuras in eos qui se haereticis submitterent, vel pacem absque Supremi Concilii consensu quaererent. In Comitiis tunc coactis statuerunt Regni Ordines *Normam Regiminis*, erexerunt Supremum Concilium dantes
IIv ei potestatem limitatam et vicariam | Comitiorum, restringentes illud in rebus concernentibus universum Regnum, Provincias, Ecclesiam, pacem, etc., fueruntque ei alia tribunalia juncta, et nominati Praefecti Militiae, etc.

"Urbanus VIII sanctae memoriae animarum saluti et publicae incolumitati consulturus ablegavit ad eos mense Aprili 1643 Patrem Petrum Franciscum Scarampum e Congregatione Oratorii Sancti Philippi Nerii cum aliquo subsidio ab Eminentissimis Cardinalibus ejus nepotibus collecto, cujus adventus fuerat aeque gratus sinceris Catholicis atque ingratus Politicis, qui in mediis victoriis adspirabant et suspirabant ad unionem cum haereticis, quamvis ad Regni clavum evecti cumularentur omni favore, viderentque suum Dominium quotidie ampliari, haereticosque ad exterminium praecipitari. Illi tamen ad illos anhelabant qui erant 1°, Parentes, amici vel sequaces haereticorum. 2.° Possessores bonorum Ecclesiae. 3.° Causidici et juris Anglicani periti. 4.° Possessores terrarum Catholicorum pro Fide alias damnatorum. 5.° Beneficiarii et fautores haereticorum.

"Hi praeferendo haereticorum amicitiam splendori Fidei sese unitis animis et consiliis opposuerunt victoriis et progressui Catholicorum, quotidie succurrendo haereticis, et specie Tractatus ad transmittendum sua gravamina ad Regem tractabant clam cum Jacobo Ormoniae Comite, haeretico, consanguineo vel amico plurium ipsorum. Eum in coryphaeum suae factionis elegerunt eique Catholicos prodiderunt sub nomine Cessationis ab armis, statim atque Dominus Eugenius O Neille Generalis exercitum et Generalem haereticorum caedendo capturus erat Metropolim Dublinium, qua fraude, invito Patre Scarampo, et cursum victoriarum interruperunt, et haereticos ab internecione eripuerunt. Et ad ulterius tractandum cum Ormonio intruserunt ejus amicos et fautores in Concilium, asserentes hoc ei gratum et Regno utile futurum, cum tamen fuerint Regno fatales.

"Dum colluctarentur hoc modo Catholici cum haereticis ac Politicis misit in Iberniam Papa Innocentius X sanctae memoriae D. Rinuccini Archiepiscopum et Principem Firmanum, Nuncium Apostolicum extraordinarium cum Legati Apostolici facultatibus, et non mediocri pecuniarum summa. Substitit aliquamdiu Dominus Nuncius in Gallia pluribus ab itinere modis retardatus, et nonnullorum artificio. Vidit enim non modo haereticos sed et ipsos Politicos Catholicos ejus legationem aegre ferre, imo voluisse ad eum excludendum sese haereticis sub pacis nomine submittere, et palam in Concilio respondisse Patri Scarampo, *se quidem pecunias non vero Nuncium a Papa postulasse*. Videns autem ex adverso veros Catholicos summopere urgere ejus adventum, et in publicis Regni Comitiis decreto solemni omnium Ordinum nomine edito, se caput totius Confaederationis constitui in temporalibus et spiritualibus, intercedente publico pacto nullam faciendi pacem absque suo consensu, modo in Regnum venire et Catholicos juvare dignaretur. Invitis omnibus accessit et miraculose protectus et ereptus e manibus cujusdam Plunketi Piratae Puritanici et aliorum eum insequentium. Ita animabat Catholicos, promovebat Religionem, ejusque ampliabat limites, Confaederationis autoritatem augebat et vires, et haereticorum spem animumque deprimebat, ut in tribus omnino Provinciis essent omnino debilitati, profligati et victi, donec (parta ingenti victoria Bonborbiensi, qua D. Eugenius O Neill Scotos | omnino delevit) isti Politici invito Domino Nuncio, Clero 12
et Catholicis, ne Sancta Sedes et Catholici praevalerent, contra Regni

Decreta, Juramenta et solemnia pacta inierunt et publicarunt iniquissimam pacem cum haereticis advocando Ormonium et Regimen haereticum in locum Catholicae Confaederationis, ut duobus libris D. Nuncii et Congregationis Ecclesiasticae publicatis manifeste probat D. Doctor Enos hodie Praeses Collegii Pastoralis Lovanii, tunc Secretarius Congregationis, quibus perfidia Politicorum, enormitas proditionis, iniquitas et invaliditas pacis, utilitas inde in haereticos redundans, et ruina Religionis clare manifestantur.

" Dominus vero Nuncius et Regni Clerus pacem illam fallacem discussis ejus articulis censurarum fulmine ferierunt, dissiparunt, Ormonium cum haereticis fugarunt, Catholicam conjurationem ab haereticis dissolutam restaurarunt, et simul cum Nobilibus et utroque exercitus Generali instituerunt novum Concilium Supremum, ut simul cum Congregatione Cleri rempublicam administraret ; quorum caput et praesidem constituerunt ipsum D. Nuncium quantumvis reluctantem. Romam cum legatione a toto Clero mandarunt ad Summum Pontificem Dominum Massarium, et ad instantiam D Nuncii aggressi sunt Dublinium, conjectis prius in carcerem Consiliariis ob proditam Religionem et Patriam hoc meritis. Sed expeditionem Dubliniensem renovata conjuratione inter haereticos et Caco-Catholicos sub novi Tractatus titulo et aliis artibus impediverunt Politici, et ipsum Nuncium, D. Eugenium et totum exercitum paene perdiderunt mediante Marchione Clanricardiae, Generali Prestono et caeteris Politicis, Laicis, et Ecclesiasticis potissimum. Politici enim et haeretici jam experti, se incassum omnia tentaturos contra Catholicos quamdiu Clerus, a cujus nutu omnino dependent Iberni, sese opponeret, Clerum diviserunt, suos parentes et amicos seduxerunt, ad erigendum altare adversus altare invitarunt. Ex quibus duodecim Ecclesiastici ad instantiam Ormonii et haereticorum Dublinii suam ediderunt sententiam, 1°, contra determinationem totius Congregationis totius Cleri ; 2°, quod Catholici Iberniae conscientia tenerentur etiam cum periculo vitae et bonorum Domino Nuncio, Clero et Catholicis resistere, si quid contra Dublinium tentarent. Praeter Clerum aperte contra D. Nuncium et Catholicos varia molientem, alii Ecclesiastici Politici qui fideles se fingebant, eum periculosius fefellerunt, et ii prae caeteris, quos ei tanquam fidelissimos commendavit P. Scarampus, P. Robertus Nugentius, P. Oliverius Darcius nunc Dromorensis Episcopus, Pater Patricius Plunkettus nunc Episcopus Ardachensis, D. Nicolaus Plunkett Juris Anglici peritus, et D. Episcopus Fernensis, qui ejus intentiones et secreta quantum potuerunt, communicarunt, adversarios in Catholicos, Clerum et Laicos, praesertim in D. Eugenium O Neillium irritarunt, et erant autores fere omnium malorum subsequentium, seducentes et corrumpentes quos poterant contra D. Nuncium et Catholicos. Et utinam ipsum P. Scarampum non decepissent et contra D. Nuncium non instigassent. Illi ad extorquendum Gubernium ex Cleri manibus persuaserunt convocationem fatalium istorum Comitiorum, deinde liberationem antedictorum Consiliariorum e carcere, et eorum
12v restitutionem in Supremum Concilium, et | institutionem denique illam subreptitiam Magni Concilii ex Politicis 48 fere solis in fine Comitiorum, qui postea everterunt omnia.

" Ad revocandum haereticorum Gubernium et solvendam faederationem mira usi sunt machinatione Politici. I.° Conati sunt D. Eugenium et exercitum Catholicum fame, inedia, exautoratione et variis insidiis evertere, irritando D. Nuncium et totum populum contra exercitum sub specie necessitatis et impotentiae, statuendo iniquissimum faedus cum Puritanis contra Clerum et Catholicos et nominatim *contra exercitum Catholicum* eodem tempore quo erant a Catholicis extirpandi. D. Nuncius et Congregatio Episcoporum, detecta conjuratione illorum sub cessationis armorum nomine, absque utilitate et ulla necessitate, sed solum ad destruendum Catholicos, tentatis et oblatis mediis et modis omnibus ad avertendum faedus illud, offerendo pecunias S. Sedis ad sustentandum exercitum contra illos haereticos sed frustra, declaravit se una cum universa Congregatione Episcoporum contra illud faedus destructivum Religionis et Catholicorum, deputando e corpore Congregationis quatuor Episcopos qui cum D. Nuncio illud etiam cum censuris damnarent. Detectis insidiis in personam ipsius Nuncii, ab illa civitate ad exercitum secreto discessit, et cum in ipsum et in D. Eugenium et Episcopos irruentes videret exercitus Politicorum cum Puritanis in auxilium advocatis, juxta articulos faederis, cum nullum aliud humanum superesset remedium in defensionem fidei Catholicae, Cleri et bonorum omnium, in extrema illa necessitate legitimae et necessariae defensionis, ipse cum Episcopis juxta mandatum Congregationis censurarum fulmine percussit autores et fautores illius faederis, nisi desisterent, et omnes qui se cum istis aut aliis haereticis jungerent contra Catholicos.

" Hoc fulmine divisit exercitum, divisit Concilium Supremum in duas partes, separavit bonos a malis, sinceros a Politicis, et post decimum quartum diem D. Robertus Lincius a Concilio indignatus et exprobrans eis injurias factas D. Decano Firmano discessit. A die itaque illa deinceps non fuit re ipsa nec dici potuit Concilium Supremum, quod in pauciore numero quam septem subsistere non potuit. Quare quidquid deinceps tentarunt fuit contra leges, invalidum et tyrannicum. Sex tamen (exclusis collegis) reliqui invaserunt Gubernium, usurpantes nomen et potestatem Concilii et totius Regni, licet Regnum iis contradiceret, aggressi Clerum persecuti sunt primo D. Nuncium, et ad exequendum conjurationis machinam iterum diviserunt Clerum suum a corpore totius Cleri, statuendo apud se Anti-Clerum cujus sententias et libellos contra D. Nuncium, Clerum Catholicum et immunitates Ecclesiae deinceps publicarunt. Ex Episcopis viginti septem, *octo* directe concurrunt *ad haec ad oppressionem D. Nuncii et ad restabiliendos haereticos.* D. Joannes de Burgo electus Archiepiscopus Tuamensis, DD. Episcopi Aladensis, Finaborensis, Ossoriensis, Dromorensis, Ardachensis, Limericensis, et Midensis, quia Episcopus Waterfordensis usque ad finem illius semestris induciarum sese illis non adjunxerat, et Archiepiscopus Casselensis dicebatur timore et pusillanimitate cecidisse, et quia humiliter absolutionem petiit, ideo eos cum Anti-Clero non adnumero. Nulli Vicarii Apostolici aut Generales erant pro eis, praeter D. Oliverium Dessy nepotem Midensis et ejusdem Vicarium. |

" Inter Regulares illi soli in Ecclesiam insurrexerunt, qui vel infamia 13
aliqua vel nota laborabant, vel erant libertini, vel apostatae secuti

carnem et sanguinem, vel lucrum aut factionem parentum, vel praemiis aut alio modo fuerunt corrupti. Ex universa Provincia Fratrum Minorum, quae supra mille numerabat Religiosos, soli duodecem circiter corrupti et stipendiati a Politicis subscripserunt contra Clerum. Ex Provincia Ordinis Praedicatorum et Eremitarum Sancti Augustini licet nonnulli pro ipsis steterint, nemo tamen eorum actis subscripsit usque ad reductionem haereticorum. Ex Canonicis Regularibus, et ex Ordinibus Sancti Benedicti et Sancti Bernardi nemo praeter P. Patricium Plunkettum Episcopum Ardachensem. Capucinorum etiam nemo amplexus est illorum quaestuosam subscriptionem vel doctrinam, nemo stetit pro Catholicorum desertoribus, licet fuerint varie ad hoc sollicitati, tentati, minis coacti. Sed major pars Carmelitarum excalceatorum fuit ab eorum Provinciali in Clerum et Catholicos immissa, adeo ut cum publico etiam haereticorum scandalo steterint pro Politicis et factione haereticorum. Sed Clero magis displicuit cernere Patres Societatis Jesu (caeteroqui externe inter se concordes) sibi ipsis in Congregatione plurium Episcoporum et totius Cleri palam contradicere. Nonnulli enim doctissimi Patres et zelotae sequi nolebant voluntatem et sententiam Patris Maloni eorum Superioris, urgentis eos ad partes Ormonii ; unde nonnulli eorum vexati, nonnulli mortificati, alii fuerunt ex Societate dimissi. Caeteri autem Politicorum consanguinei et amici gloriantes se esse Consiliariorum Theologos palam et publice D. Nuncium impugnarunt, item Clerum, Censuras et Catholicos. Sex illorum schismatico illi libello cui Titulus *Quaeries seu Quaestiones* subscripserunt, aliosque in idem secum barathrum pertraxerunt, affirmando illos non peccare innixos opinioni probabili tot patrum. Linguis et calamis propugnarunt sacrilega Politicorum acta ad promovendum factionem Ormonii, ad extinguendum Catholicorum faedus, unde ab Ormonio (cui etiam Poemata et Elogia dicarunt) et ab excommunicatis haud levem pecuniarum summam nomine fundandi Collegium acceperunt.

" Consiliarii hoc Anti-Cleri auxilio fulti contra Clerum praevaluerunt cum jam et aerarium et exercitum suum et haereticorum et officiales plerosque praeoccuparunt, unde quidquid ipsis contra D. Nuncium et Catholicos suggerebat rabies et factio, id totum adprobabant Ecclesiastici illi stipendiati, et executioni postea mandabant. Schismatici igitur et haeretici laxantes habenas vindictae et furori decreverunt horrenda illa sacrilega et impia mandata et edicta publica (de privatis machinationibus hic sileo) contra D. Nuncium, Clerum et Catholicos, quorum amplius quinquaginta produci possunt ; contra D. Nuncii personam, famam, authoritatem saevierunt. Personam ejus impetierunt persecutione, insidiis et obsidione per Politicorum et haereticorum exercitus simul junctos sub excommunicatorum [imperio]. Famam ejus lacerarunt sacrilegi dicteriis, calumniis,
13v libellis famosis. | Quorum nonnulli hodie Romae proteguntur, ne damnarentur. Autoritatem, jurisdictionem, et ipsam Nunciaturam ejus profanis edictis abrogare ausi sunt, sicut et armis dissipare Concilium Nationale ab ipso coactum. Simili tyrannide debacchati sunt in Episcopos, Ecclesiasticos et Catholicos omnes sinceros, quae hic praetereo quia fidem paene excedunt, et lectionem eorum abhorrerent

piae aures. Quibus tamen Episcopi superius nominati nec restiterunt nec recesserunt, nec sese apud Sanctam Sedem excusarunt. Imo Archiepiscopus Tuamensis ivit Carrigiam usque ad invitandum et reducendum Ormonium cum suis haereticis, et eundem in thronum excelsum elevatum una cum Cassellensi humillime rogavit nomine Regni Iberniae, ut suscipere dignaretur Reipublicae Gubernium, licet paucis antea diebus typis publicasset professionem, declarationem et protestationem haeresis suae Puritanicae, et contra Catholicam Religionem sese declarasset, et centum praesidiarios Calvinistas imposuisset castro Comitiorum. Pacem ipsius in damnum Fidei et Catholicorum plenam fallaciis publicarunt, et Catholicam faederationem dissolverunt D. Archiepiscopus Tuamensis et D. Episcopus Fernensis, qui inter istius haeretici Consiliarios ea lege fuerunt admissi, ut nomen et dignitatem Episcopatus omitterent in subscriptionibus publicis, utendo solum propriis nominibus et cognominibus. Quis non credat justo Dei judicio nunc factum ut ipsi mediante eodem suo idolo haeretico, fuerint, et in hanc horam sint privati et Episcopatu et Magistratu illo Ormonico, et panem peregrinum emendicare cogantur in terra aliena.

" Ormonius ita in thronum et ad Regni clavum evectus declaravit se non potuisse munus suum exercere, quamdiu in Regno remaneret Nuncius Papae. D. vero Nuncius, qui illic eousque manserat ut videret finem, et fraenaret furorem Anti-Cleri, publicata iam pace declaravit, se non potuisse nec voluisse ulterius esse Nuncium apud illos, qui sese ex Dominis et Supremis Consiliariis ultro reddiderunt servos unius haeretici hostis, inopis, exulis. Atque ita summo Cleri et Catholicorum cum dolore et angustia, ea ipsa die, qua id determinavit, et navi qua veherat, discessit. *Hic finis et deplorandus exitus gloriosae illius Nunciaturae, quae Europae Catholicos spe et gaudio, haereticos autem timore repleverat. Et vere liberasset vir vere Apostolicus non Iberniam solum, sed et Angliam et Scotiam ab haeresi nisi pertinax Politicorum et multiplex conjuratio eum toties prodidisset. Caeterum ipse instar alterius Sancti Patricii in muneris sui functione verbo et opere ita excelluit, ut ipsi Politici ejus hostes saepe fateri coacti sint, nunquam sic locutus est homo.*

" Ormonius et Politici pecuniarum collectioni et Catholicorum extirpationi toti intenti nullas dabant conditiones D. Eugenio et caeteris Catholicis a pace illa aversis, nisi sese prius ad ejus lubitum submitterent. Dum autem fluctuarent Catholici quid factu opus, et nescirent cui fidendum, aequale utrobique periculum et perfidiam praevidentes, et ab Ormonianis insidiose impeterentur dum cum ipso tractarent, et ad summas redigerentur angustias, et nusquam suppetias exspectarent, ultra iis oblatae sunt a Parlamentariis induciae bimestres, pecuniae et annonae, et promissae conditiones pro Religione, dummodo | succurrere vellent Civitati Derrensi a Puritanis obsessae, 14
quas acceptarunt, sed astutia Ormonii conditiones pro Religione retractarunt Parlamentarii magnam contra ipsum Ormonium victoriam reportantes hoc modo.

" Ormonius cum exercitu ex quindecim mille haereticis, schismaticis et excommunicatis compacto paulo ante meridiem a quatuor mille

Dubliniensibus fusus, fugatus et caesus, ignominiose fugit et dissipatus est, unde Parlamentarii triumphantes tractatum cum Catholicis, hoc astu delusis, retractarunt. Nec tamen etiam tunc sese cum Politicis et Ormonio jungere voluerunt Catholici, licet a Politicis ad hoc urgerentur, donec hunc primum Tractatus articulum concluserunt: ut Consiliarii et caeteri excommunicati se ipsos Ecclesiae, Summo Pontifici et D. Nuncio submitterent, veniam et absolutionem procurarent.

"Deus interim ultor malorum non solum prope Dublinium, ubi prodiderunt D. Nuncium, vindictam sumpsit de Politicis, sed per pestem etiam ac famem primo Galviae, ubi Nuncius fuit obsessus et inde ejectus: deinde Kilkenniae, ubi omnia sacrilega illa statuta et decreta fuerunt facta, adeo saeviit, ut ipsi haeretici nedum schismatici justam vindictam agnoverint. Adeo manifeste Ormonius omnia prodebat haereticis Parlamentariis, ut ipsi Politici et Anti-Clerus, qui ad illum introducendum expulerunt D. Nuncium et Gubernium Catholicum, humillimis precibus recurrentes ad D. Primatem et sincerum Clerum, amoverint illum et e Regno expulerint, Censuris in tota Congregatione Cleri editis contra fautores ipsius. Politici autem, ne Regni Gubernium maneret penes Clerum vel Catholicos, constituerunt loco Ormonii non eos, qui nominati erant a Clero et Catholicis, sed Clanricardiae Marchionem, persecutorem D. Nuncii, Cleromastigem, Corvum, Noeticum, qui inter Ibernos solus toto illo bello remanserat inter putrida cadavera vita gratiae privata extra sacram Catholici faederis arcam. Hic ad extirpandum Iberniae Catholicos et Clerum, et ad excludendum Sedem Apostolicam pactum iniit cum Parlamentariis, sicut fecerat Ormonius, mediantibus Dillonis, Taaffis, Burghiis, etc., in redditione Athloniae, de toto Regno iis tradendo et extirpandis Catholicis, dummodo ipsi postea sua bona et terras obtinerent pro se, Ormonio, eorumque adhaerentibus. Vi cujus pacti reliqua deinceps loca, castra, civitates, militiam, et Provincias eis ultro prodebant, prohibendo sub interminatione mortis ne quis Catholicorum cum Parlamentariis in communi vel particulari pacisci auderet, ne quis peteret absolutionem, et hanc eandem proditionem hodie continuant Politici et haeretici in Belgio, Gallia et ubique terrarum, excludentes Catholicos ubique, ne unquam ipse Clerus vel Sancta Sedes praevaleat, unionem aut faederationem Catholicam restaurent, sicut universus populus exoptat, et Clerus revocare statuit.

"Politici autem sese pro sinceris Catholicis vendicantes, officia omnia, fidem et autoritatem sibi acquirunt, non solum apud Principes et exercitus, sed etiam Romae et apud Nuncios Apostolicos. Et praevidentes sese infamandos et gradu dejiciendos, si innotescat veritas, proditionem suadent omnibus insinuantes, eos omnes esse viros seditiosos, inimicos boni publici, qui loquuntur, informant, aut aliquid scribunt de proditoribus Religionis et Patriae, cum tamen ad malum imminens avertendum necesse sit, ut Sancta Sedes veritatem sciat. Illi autem perduellionis accusant, et ad Regem Angliae ejusque
14v Ministros haereticos deferunt | eos, qui has veritates sciunt. *Quibus artibus usi a 400 annis in Curia Romana incredibili prorsus jactura et damno Religionem et Regnum affecerunt, promovendo eos, qui sic*

omnia prodiderunt, et excludendo fideles, prodendo ea Politicis et haereticis quae in Curia tractantur et fiunt, vendendo quodammodo dignitates, beneficia a Sancta Sede gratis concessa, etc. Unde rem Deo gratam, Catholicae Ecclesiae, Sanctae Sedi et Iberniae utilem et necessariam praestaret Sancta Congregatio, si tanto malo mederi dignaretur, quod factu est facillimum absque labore et periculo, impediendo nempe ne Cardinales, Ministri et Nuncii Sanctae Sedis in posterum decipiantur, sed examinentur informationes, relationes et Libelli facti in damnum ipsius Sanctae Sedis, et ad stabiliendum haereticorum dominium. Deinde ne in Curia praevaleant, qui eam produnt, sicut praevalere videntur, quandoquidem nonnulli etiam Eminentissimi, nedum Praelati eorum artibus delusi et fidentes nonnulla in favorem Catholicae Religionis cedere credant, quae *in ejus potius ruinam afferrent.* Sic multi absolutionem illam generalem exoptabant donec Sanctissimus Dominus Noster divino prorsus lumine illustratus damna inde Religioni et Catholicis emersura detegens, eam negavit. Caetera his similia oretenus potius et in particulari explicanda quam calamo.

"Et Sancta Congregatio propediem animadvertet, contumaciam Politicorum non alio tendere quam ad excludendum splendorem Fidei et Sanctae Sedis autoritatem ex Ibernia. Licet enim sciant illi per supradicta et his similia mala se provocasse iram et indignationem Dei in se, pestem, famem, bellum, Patriae et Religionis eversionem; tamen sicut eorum praedecessores tempore Henrici VIII, Elizabethae, Jacobi, varias Censuras Pauli III, Pii V, et aliorum Pontificum contrahentes, se nunquam absolvi voluerunt, ne discedere cogerentur a consortio haereticorum. Ita nec isti absolutionem volunt, etiamsi a Sanctissimo Domino Nostro benigne oblatam, sed generalem cupiunt, quam prima data resiliendi ad haereticos ansa, negabunt se petiisse, et in hunc finem homines ad fallendum Ministros Apostolicos instructos submiserunt ad illam procurandam. Et similes adhuc constituere satagunt apud Sanctam Sedem in oppressionem veritatis et justitiae, sollicitando per omnes nationes Clerum et Catholicos, ut eis ad hoc mandatum seu Procurationem generalem concedant, ad excludendum illos qui sunt et semper fuerunt fideles Deo, Ecclesiae et Fidei, et ipsi, sicut a quadraginta annis factum est, cogant Ministros Sanctae Sedis ad stabilienda fundamenta contra Sanctam Sedem et jura Ecclesiae. Ex quibus omnibus manifestum est, quod Politici sint causa et autores quibus mediantibus redegerunt haeretici totam Iberniam in suam potestatem, extirparunt Clericos et Catholicos plectendo eos cruentis legibus, exilio et morte ad extinguendam Sanctae Sedis et Catholicorum autoritatem. Unde quia nunc impia Politicorum dogmata et fallaciae, et truculenta haereticorum rabies ad eam crudelitatis altitudinem intumuit, ut Christianus Orbis nedum Sancta Congregatio nullum aliud negotium majoris momenti aut meriti aggredi posse videatur, cum adhuc continuent conjurationem (ut coram et oretenus probari potest) ad impediendum Catholicorum restitutionem et Confaederationem, quam ut remedium adhibeat. Ideo ego omnium remediorum optimum et maxime necessarium esse puto: 1.° Ut caveat Sancta Sedes et Sancta Congregatio a Politicorum artibus et machinationibus. 2.° Ut contra haereticorum dolos et media ad

extirpandam Fidem et ad plantandam haeresim, adhibeat etiam nonnulla remedia. 3.° Ut ad confirmandam ibi Catholicam Religionem et gentem constituat ibi copiosum et fidelem Clerum. |

15 " *Remedia Contra Policitorum Artificia.*

" Primo inquirendum, an sint u'li Politicorum negotiatores in Curia, vel apud Ministros Apostolicos, et quinam sint.

" 2.° An sint, quales, ubi, et a quibus factae relationes in praejudicium Ecclesiae ut examinarentur coram Illustrissimo Domino Secretario et Ibernis expertis; cum nequeat Sancta Congregatio similibus vacare. Curandum ut fiat una approbanda ab Episcopis, quae probet et propugnet jura Ecclesiae, et libri et libelli contra haec jura damnentur.

" 3.° Optandum ut dignitates et praecipua beneficia non conferantur in personas Politicas, nec propter pecunias, cum Sancta Sedes ea gratis expediat.

" 4.° Committenda cura examinandi justitiam et validitatem Censurarum olim latarum aliquibus viris doctis, nec non causas et finem illius generalis absolutionis quae petebatur pro excommunicatis.

" *Remedia contra Haereticorum Conatus.*

" Ad plantandam haeresim et eradicandam Catholicam Religionem utuntur haeretici diversis mediis: 1.° Iniquissimis legibus, impiis et sacrilegis juramentis, confiscatione bonorum, carceribus, exilio, et ipsa morte, nec non impia doctrina et novis Coloniis inter Catholicos plantatis. Remedium horum et similium est: 1.° Recursus ad Deum. 2.° Assistentia et diligentia numerosi et fidelis Cleri, cujus consilio et opera corroborabuntur et unientur Catholici, si semel ibi restauretur Hierarchia Ecclesiastica. 3.° Ordinarii et Missionarii iteratis literis scribunt, multas faeminas etiam nobiles, a parentibus morte vel exilio mulctatis, derelictas, et defectu dotis vel ad evitandam vim impiorum haereticorum, nubere haereticis et quidem valide (cum non sit ibi Concilium Tridentinum, nec cogantur ad haeresim) cum defectu dispensationis non possint nubere consanguineis in gradibus jure solum humano prohibitis. Remedium unicum ab omnibus Ecclesiasticis petitum, est facultas dispensandi in illis gradibus ob gravem necessitatem, utilitatem, vel similes causas legitimas. Hoc erit in confusionem haereticorum vel aedificationem, quia fingunt Ecclesiam illa impedimenta quae non habentur capite 18 Levitici induxisse ob lucrum trahendum ex dispensationibus. Cum vero videant illas dari gratis cessabit periculum Fidei, et pudicitiae illarum faeminarum cavebitur, nec cogentur tota vita in miseriis vivere.

"4.° Haeretici rati energiam aliquam et vim conservandae Catholicae fidei inesse ipsi Ibernorum linguae, illam cruentis legibus extirpare sed frustra conati sunt. Deinde varios ediderunt libros haereticos typis Ibernicis summo studio et sumptibus factis. In remedium hujus jam Sancta Congregatio singulari olim providentia Ibernicos characteres, typos et praelum fieri curavit. Nunc ingens foret Catholicis subsidium si paucos alios et necessarios libros in antidotum haereti-

corum, et ad conservandam linguam illam originariam, castam et elegantem edere curaret. De libris edendis, et personis ad hoc aptis brevitatis causa hic sileo.

" 5.° Ad corrumpendam juventutem, ex cujus educatione recta pendet publica et privata Reipublicae salus, haeretici exstinctis scholis omnibus Catholicorum publicas erexerunt scholas, ad quas praemiis, beneficiis, officiis alliciunt juniores, et ab exteris regionibus sub paena mortis arcentur. Unde aut ignari aut impii debent esse Iberni, si cum literarum elementis venenum haereticae pravitatis haurire debent. Ad occurrendum summo huic | malo, et ad colendam 15v
vineam illam Domini erecta sunt plurima Collegia et Seminaria, de quorum statu necesse est exactius et amplius tractari, quam brevitas hujus loci permittat.

" 6.° Sicut haeretici Politici et nonnulli Religiosi propter fines sibi notos averterunt Ibernos a studio Sacri Juris Canonici; ita Sancta Congregatio pie jubere posset, ut pauci saltem aliqui, loco unius vel alterius anni sacrae Theologiae, applicare se possint Juri Pontificio.

" 7.° Quia morte, exilio et defectu Dimissoriarum deficiunt paulatim sacerdotes in Ibernia, et multi juvenes, qui vel non habent Ordinarios, vel nesciunt ubi vel an sint, nequeunt ordinari defectu Dimissoriarum. Ideo modo aliquo iis provideri posset vel per Sanctam Congregationem vel per Nuncios Apostolicos, &c.

" *De Clero.*

" Sicut ad conservandam Catholicam Religionem, ad uniendum et animandum Catholicos in Ibernia necessarius est Clerus sincerus et fidelis, ita discordiae, ruinae et omnium malorum causa est Clerus politicus, maxime hi qui sunt constituti Praelati et Superiores, cum tuto fieri nequit, ut lupi in pastores praeficiantur gregi imbecillo. Cum igitur ex bonitate et fidelitate Cleri pendeat salus illius Regni, summa adhibenda est in delectu Cleri diligentia. Cum enim continuatio et absque delectu promotio politicorum Praesulum everterit Religionem et Ibernian, et statuant politici deinceps Sanctam Sedem et Catholicos excludere a potestate in Ibernia, necessario ab eis cavendum est. Nam si promotio Cleri et Episcoporum fieri debet ad conservandam et propagandam Religionem, illi sane promoveri non merentur, qui Religionis splendorem toties extinxerunt et extinguere tenentur. Hinc de promovendorum delectu sequentia annotavi:

" *De Promovendorum Delectu.*

" 1.° Videtur in hoc delectu habendus (caeteris paribus) aliqualis respectus eorum, quorum majores fundarunt, dotarunt et repararunt ecclesias potius quam eorum qui eas suppresserunt, bonis et praediis spoliaverunt, et contra Clerum, ne splendórem Religionis stabilirent, bella gesserunt, et haereticos in auxilium introduxerunt, et ad continuandam conjurationem illam jurejurando tenentur.

" 2.° Praeferendi videntur illi qui residere possunt, et qui verbo, opere, autoritate prodesse possunt gregi suo, quales sunt Ecclesiastici fideles, sinceri. Politici autem, ut ex singulorum enumeratione

constabit, nec volunt nec recte possunt residere, cum sint populo parum grati et suspecti tanquam Ministri Politicorum, exempli gratia N. N. et alii qui nunquam ingressi sunt in Diaeceses, vel timore vel pudore cum odio habeantur, nec perfecte, nec correcte, nec congrue loquantur Ibernice, unde nec palam loqui, nec docere, nec intelligi vel audiri absque risu possunt.

" 3.° Diaecesani praeferendi sunt externis nisi urgens aliqua causa in favorem fidei vel necessitas aliud suadeat, cum hoc sit et jure communi et a Sacra etiam Congregatione sancitum pro Ibernia, ubi promotiones in contrarium multum nocuerunt. Externi gravant Clerum et Catholicos et tempore belli sunt timendi, nec non tempore persecutionis.

" 4.° Nobiles praeferendi sunt aliis, cum non minuant sed augeant splendorem et autoritatem illius dignitatis. Sunt grati et utiles Nobilibus (et Clero etiam) qui illos protegunt, hospitio accipiunt, occultant, sustentant. |

16 " 5.° Hinc praeferendi sunt illi, qui nominatim petuntur ab illis, ne amplius quaerantur inter se intrudi personas obscuras, ignotas, politicas, suspectas, odiosas, et viros (qui licet precario vivant) factos tamen quasi ad exanimandum et periculis exponendum Nobiles. Sic conquesti sunt multi Nobiles non ita pridem de Episcopis alienis inter eos intrusis, et de neglectis jure longe capacioribus a totis Diaecesibus postulatis seu commendatis.

" 6.° Praeferendi viri probati, approbati et experti iis qui carent experientia, praxi, gratia tractandi, etc.

" 7.° Viri notae et indubitatae fidelitatis et constantiae in Catholicam Religionem et Sedem Apostolicam, quorum parentes nunquam pro haereticis in Ecclesiam insurrexerunt, praeferendi sunt suspectis, etc.

" 8.° Timendi sunt illi qui nimium ambiunt Episcopatus, nisi ex vero zelo id poscant.

" Facta hac diligenti inquisitione et delectu personarum utile futurum credo si provideatur ecclesiis nunc vacantibus, vel earum administratio committatur saltem vicinioribus. Et certe duo boni Archiepiscopi videntur necessarii, qui suas ecclesias et Provincias, Vicarios, sacerdotes, et Missionarios regant, dirigant, et pro locorum et necessitatis exigentia sacra distribuant, et afflicto populo adesse possint consilio et autoritate, nec non unionem et faederationem stabilire possint, si occurrat occasio.

" Ut innotescat Status Cathedralium hoc Schema subjunxi :

" *Provincia Ardmachana.*

" Ardmac : D. Edmundus O Reily, Primas Iberniae, Archiepiscopus nobilis, sincerus, practicus, rediit in patriam.

Ardach : Episcopus Fr. Patricius Plunkettus nondum absolutus a Censuris, etc. Est in Gallia, etc.

Clocherensis : Vicarius Apostolicus D. Philippus Croly residet.

Clonmacnosiensis : Vicarius Apostolicus.

Derriensis :

Dromorensis : Episcopus Fr. Oliverius Darcy nondum absolutus. Est in Gallia. Nunquam residet, etc.

Dunum et Connor : Vicarius Apostolicus D. Nicolaus O Byrn residet.
Kilmorensis : Episcopus D. Eugenius O Swiny residet si vivit. Nihil de eo audivi ab uno anno.
Midiensis : Episcopus Fr. Antonius Magheoghegan tendit in Iberniam.
Rapotum : vacat.

" *Provincia Casselensis.*

" Casseliensis : Vicarius Apostolicus D. Johannes de Burgo. Est in Ibernia.
Ardfert : cui juncta Ardee. Vicarius Apostolicus D. Moriart O Brien, Doctor Salmanticus, nobilis, practicus. Est in Hispania, quia non recepit Breve suum non residet.
Corckagiensis, cui unita Clona : Episcopus D. Robertus Barry, bonus senex est in Gallia. Resident duo ejus Vicarii.
Finabor : Episcopus D. Andreas Lynch nondum absolutus. Est in Gallia, etc.
Imlia : Vicarius Apostolicus D. Gulielmus Burgat. Forte residet, designatus Agens Politicorum ad Curiam Romanam, etc.
Laonensis : Vicarius Apostolicus D. Dionysius Hart septuagenarius ; est in Hispania.
Rossensis : vacat.
Limeric : Vicarius Apostolicus D. Jacobus Duleus. Est in Hispania ; jam fugit e Diaecesi.
Waterford : Vicarius Apostolicus D. Patricius Hacket ; est in Ibernia, etc. |

" *Provincia Dubliniensis.* 16v

" Dublinium : Vicarius Apostolicus D. Jacobus O Dempsy, fidelis, nobilissimus, practicus. It cum Primate in Iberniam, etc.
Ferna : Episcopus D. Nicolaus French ; est in Hispania, etc.
Kildara : Vacat. Vicarius Dubliniensis qui illam rexit 16 annis posset illam aliquamdiu administrare.
Laghlena : Episcopus Dr. Edmundus Dempsy nobilissimus, optimus senex nominatim proscriptus ; est in Hispania.
Ossoria, alias Kilkennia : Vicarius Apostolicus D. Terentius Patricius, bonus, nobilis, residet.

" *Provincia Tuamensis.*

" Tuamia : Archiepiscopus D. Joannes de Burgo nuper absolutus ; est in Gallia, etc.
Aconra seu Arda : Vicarius Apostolicus D. Jacobus Fallonus proscriptus nuper ex residentia ad insulam vicinam, etc.
Alada : Episcopus D. Franciscus Chirovanus nuper petiit et habuit absolutionem ; est senex in Gallia, etc.
Clonfert : Episcopus D. Walther Lincius doctus, expertus, senex Est Iaurini in Hungaria.
Duacum : Vacat.
Elphina : Vacat.

Mayo : Vacat. Administratur a Tuamensi ut dives : absque titulo vel unione, etc.

" Sanctae Congregationis providentiae relinquo, utrum magis expediat Episcopos politicos vel excommunicatos ad residentiam mittere, an relinquendos judicet ubi sunt extra Regnum, cum periculum potius afferat eorum residentia quam emolumentum.

" Quia concurrit Clerus in loca ditiora et tutiora in damnum eorum qui inhabitant loca periculosiora, ideo cum nullus ibi sit Minister Apostolicus, saltem D. Primas vel alius monendus, ut huic inconvenienti medeatur, quousque Sancta Congregatio provideat vel Ordinarii multiplicentur.

" *De Regularibus.*

" Sicut politici et haeretici conantur viros suae factionis ad Episcopatus et dignitates evehere, ita suos etiam Regulares ad gubernium, Provincialatum, etc. : quod in ruinam aliquorum Ordinum, in scandalum et detrimentum Catholicorum praestiterunt, ut patet ex actis publicis jussu Ormonii editis, et ex aliis Ormonii et haereticorum conatibus. Iste haereticus Vice-Comitem Muskerrium, sororium suum, colligi curavit postulationes et subscriptiones plurimorum Procerum et Nobilium ad promovendum Romae N. N. negotiatorem suum. Item propria manu scripsit Romam ad N. N. pro Religiosis politicis, quos ipse protegebat et promovebat, invitis
17 Superioribus legitimis. Deinde scripsit ut | Provincia Fratrum Minorum divideretur in duas, ut una esset politicorum pro politicis contra Clerum Catholicum.

" Sollicite invitant et mittunt politicos Regulares tam in Patriam quam per exteras Regiones, et per exercitus ad seducendum et pertrahendum Catholicos in partes politicorum, et ad explorandum omnes et informandum Ormonium. Hinc prodesset si Sua Sanctitas vel Congregatio per Generales Ordinum huic malo providere dignarentur.

" Multi Missionarii qui pluribus inservire possent, includentes se in una vel altera domo commodiore, deserunt caeteros. De hoc monendi Superiores vel Ordinarii.

" Ego relatiunculam hanc sive potius Ideam eversionis Iberniae eorum jussu, quibus reluctari non poteram, scripsi, paratus ex publicis Actis, quorum citationes hic brevitatis causa prudens praetermisi, probare, et longe graviora detegere, si quis quid ibi ambiguum insinuet. Nullius defectus, errores, aut facinora malevolo animo detexi, sed, omissis gravioribus, haec pauca solum qua potui modestia et sinceritate insinuavi, ut malo adhuc serpenti occurrere dignentur Eminentiae Vestrae.

" Quare Deus etc."